FRANC. BOISSIER DE SAUVAGES

NOSOLOGIA METHODICA

SISTENS

AEGRITVDINES MORBOS PASSIONES

ORDINE ARTIFICIALI AC NATVRALI.

CASTIGAVIT EMENDAVIT AVXIT

ICONES (IAM V.) ETIAM

AD NATVRAM PICTAS

ADIECIT

C. F. DANIEL

TOM. II.

LIPSIAE

SVMTV E. B. SCHWICKERTI

A. MDCCLXXXXI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO.

Non eſt, quod operis et laboris cauſſa multa praefarer. Repeto ea, quae praefatio primi Tomi continet. Nulla fere Cl. virorum iudicia de primo tomo vidi, qui exſpectaſſe videntur hunc, perſpicientes, in priore me non multum potuiſſe aut emendare, aut addere. Spero autem, lectorem in hoc et multas correctiones, et multa additamenta, eſſe reperturum. Quod correctiones attinet, eae erunt quidem lectori huic illi nullius ponderis, erunt tamen aliis. Vt ex pluribus aliquot adducam, moneo, *vagum errorem manuum Auct.* eſſe correctum *in vagum motum manuum*, quod Germ. Vagiren vocant. In loco difficili, quem omnes editiones *Sauv.*, etiam illa in 8ua, habent: p. 478. T. I. 4. „Cathartica tria vel quatuor, interpoſitis praemiſſiſue phlebotomiis dolorem epigaſtrii *ſubleuabant licet cum ſenna*." (quod arguit, vel typographum lineam omiſiſſe, vel legendum eſſe: Cathartica, licet cum ſenna data, ſeu irritantia etiam cet.) Vtvt ſit, delere volui verba: *licet cum ſenna*: quod quidem et medici Clari Hallae et Lipſiae ſuadebant. Correcta etiam: p. 492. d. „Qui angina ſtrangulatus eſt, loco laryngis nihil praeter naturam inuentum eſt: obtulit rel. Miſſa p. 681. Angina ſcorbutica. Die böſen Hälſe Germ. cyn. angina prunella. Die Bräune. Quidni!

Quod *additamenta* ſpectat, ea ſigno [hoc] vtplurimum, aliquando male a typographo omiſſo, veluti p. 43. ad N. Febrium theor. anal. quae pergunt ad p. 49. fin. deſignata, facile inuenies, ſicque me adauxiſſe vere laborem *Sauvageſii*, facile tibi perſuadebis. Sic pro Auct. variol. ſpec. 13. iam 28. pro pleurit. 20 ſpec. iam 41. peripneum. 12 iam 25. et ſic omnia aegritudinum genera plus, minus, adaucta deprehendis.

Multa dici, vel a me, adhuc potuiſſe, quis negabit? nec ego quidem. Attamen ſuppreſſi, dum, practicis breuem librum talem deſiderantibus non intereſſe putabam. Sic de variola diſputans plura in medium proferre potuiſſem, quae

theoriam magis, quam praxin, attinent. Veluti ea, quae hic adiungere placet, ne penitus praetermiſiſſe videar. Cel. Chriſtoph. Lud. Hoffmann propr. libr. inſcr. Abh. v. d. Pocken 2 Th. Mon. 1770. 8. ſingularem de variolis theoriam promulgauit, quam, etiamſi facile diſſentias, ſi vel accedas ad Cl. *Vnzerum*, qui propr. libr. theor. auct. impugnauit, nec auct. reſponſ. ad Vnzeri oppoſit. *) ad conſenſum inuiteris; tamen attentione non plane indignam aeſtimes, ſiquidem vtique obſeruationes non ſpernendae ſubſunt, quas rite aeſtimes et ad experientiam et theoriam tuam adhibeas. Igitur Hoffm. ſtatuit: peculiares glandulas eſſe, quas varioloſas dixeris, peculiaria organa, ſita in cute, ore interno, naribus anticis, exceptis partibus internis, viſceribus, admodum frequentes, vt tamen aliquae tantum, ſub morbo varioloſo, licet omnes humore ſeptico impletae fuerint, peculiari in his ſecreto, in corpore putrefacto liquore inflammentur, tumque abeant in organa ſecretoria ichoroſa. Has glandulas habere, innuit, ductus excretorios, et vti ſub ſanitate transſpirabilem humorem adaugeant, ita ſub variolis putridum contagioſum humorem continere.

Quemadmodum dudum Malpighiana glanduloſa theoria corp. hum. diſplicuit, et vaſculoſa Ruyſchiana theoria fautores omnes medicos habet, ita et auct. ſententiam ſingularem defendere, quis non videt, quis cupiat rationes ſententiae hic legere? Sufficiant ſequentia.

Concedo vltro, auct. humore ſubinflammatorio, ſeptico, euolui quaſi vaſa minima ſecretoria, quae in ſanitate humorem transſpirabilem ſecernunt, diſtenſione eryſipelatoſa, humorem decumbere, vt in exanthemata abeat inflammatio, eum humorem, et ex parte in corpus reſumi, niſi diſciſſa ruptaue cuticula erumpat, alias coqui in pus et ſenſim inſpiſſatum abire in cruſtas, vaſis, etiam vltro euolutis connexis. Cauum puſtulae reticulare ex varie modificatis vaſis ſecretoriis et excretoriis componi, largior. Sed argumen-

*) Huc: Vnzer üb. d. Anſteckung beſ. d. Pocken in ein. Beurth. d. Hoffm. Pockentheorie. Leipz. 1778. 8. Hoffm. Beantw. der Einwürfe des Hrn. Vnz. Münſter. 1781. 8. Vnzers Vertheid. ſeiner Einwürfe gegen d. H. Pockentheorie. Leipz. 1783. 8. rel.

ta nulla praeterea video, quae vere ſtringant, ex his vaſis componere peculiares glandulas, quae in omnibus obſeruationibus non ſolum nihil lucis diſpergunt, quin imo potius obnubilant.

Audias auct. ipſum ſibi contradicentem (T. I. §. 312.) dum ex laeſa cuticula variolae inſititiae oriri vlcuſculum narrat, oriturum etiam citra puſtulam, et ante febrim eruptionis comparere: hoc die 1. 2. 3. ante eruptionem variolae largiri pus, quo auctor, et Dimsdale ſimil. certe variolas produxerit.

Graue etiam adparenter auct. argumentum, puſtulas varioloſas glandulas eſſe, quod eo continetur (§. 339.), vt quidem puſtulae inciſae denuo impleantur humore, nequaquam eae, quae expertae fuerint acus goſſypium ductae vim, et frictionem quidem maiorem, non ita explicauerim, quod ſic quidem deſtructa fuerit glandula, ſed vtique interpretor per laeſa explicita vaſa ſecretoria, laeſa adeo, vt ſecretio vlterior cohibeatur. Quid vltra? ſed mittamus dulcia auctoris ſomnia.

Liceat etiam meminiſſe theoriae febrium a Cl. Chr. Kramp in d. de vi vitali arteriarum addita noua de febrium indole generali coniectura Argentor. 1786. 8. Debet in ſanis aequalitas eſſe inter vndam arterioſam proiectam et venoſam reſumtam, hinc virium motus ſang. debet aequilibrium obtinere: quod ſi ſublatum eſt, febris adeſt. Quod tolli poterit, vel, vbi venoſa vnda arterioſae praeualuerit (exceſſus motus circulatorii, *poſitiua* febris), aut contra (defectus M. circ. *negatiua F.*) Hinc frequentiorem cordis contractionem cum aucta reſiſtentia ad vaſa capillaria, omnem febris acutae ideam abſoluere. In F. poſitiua nulla in vaſis minimis obſtructio, vel aliud impedimentum eſt. Quin potius et per venas minores cum celeritate maiori ſang. tranſit, — congeritur in venis ſummo cum impetu verſus praecordia ruit, transſudat in celluloſam, diſtendit vaſa minora, pulmones, et vel morte, vel inflammatione, vel reſolutione, terminatur. In F. negatiua lentius in minimis vaſis ſang. mouetur, aegre tranſit in venas, craſſiore parte in capillaribus vaſis relicta, pulmones ſenſim oppri-

mit, in praecordiis haeret, et morte terminatur, niſi tranſeat in F. poſitiuam.

Cognoſcitur F. poſitiua pulſu magno, forti, ſaepe duriori, reſpiratione quandoque difficili, magna tamen et libera, facie rubra, venis turgentibus, diatheſi inflammatoria. Negatiua autem viribus proſtratis, pulſu debili, paruo, intermittente, reſpir. difficillima, anheloſa, parua, cita, facie pallida, cadaueroſa, venis collapſis, diatheſi pituitoſa aut ſubputrida.

In ſing. intermitt. paroxyſmis negat. f. primum occurrit, quae dein tranſit in poſitiuam et ſudore terminatur.

Feb. inflammatoria continua cet. pertinet ad poſitiuas: et neutiquam ſang. lentor accuſandus, quum celerius potius per venas redeant humores: nec inflamm. fit ab obſtructione, nimius potius humorum motus.

F. cont. putrida (neruoſa lenta) vtique negatiua eſt: vti et hectica. Dicta etiam de topica F. valent. Vbi exceſſu peccat motus humorum, poſitiua, gangraena, ſphacelus, ſcirrhus, cancer adſunt, vbi defectu, inflammatio, ſuppuratio.

Eadem theoria accedit proxime ad noſtram in Syſt. aegrit. ſtabilitam, *actiuam* et *paſſiuam:* ad quam diſtinctionem practici vt confirmarent vltro notionem, deſideraui.

Sed quorſum haec, et quorſum Sauvageſii labor omnis, emendatus, adauctus; niſi placuerit practicis materiam medicam et therapiam his, id eſt naturae legibus, vltro adaptare. Si modo aegritudines huius tomi cum materiae medicae et therapiae celebriorum etiam medicorum fundamentis comparare placeat: quantus diſſenſus! Quid deſideretur vere, tum per ſe patet, tum dixi in rudim. dialecticae iatrices, tum adiungo in ſpecimine therapeutici capitis de plethora.

Indicationes. — — — —	Aegritudinum
prophylacticae. — — —	cauſſae, principia.
therapeuticae. — — — —	verae,
curatio methodica. aetiologicae. —	proxima, remotae.
noſologicae. — — — —	morbus.
vitales. — — — — —	energia naturae.
prophyl. therap. — — —	metaſchematiſmus.
patheticae. — — — —	paſſiones.
vrgens aut empir. palliat. — —	ſymptomata.

Plethora.

Indicat. prophylaƈt.

1. cauendum, ne vires nimium debilitentur.
2. — —, ne humores copia nimium creſcant. Hinc

ad 1. fugiendae cauſſae, quae vires exhauriunt, v. neuroſin.

2. fugiendae cauſſae plethorae, praetereaque conſeruentur excretiones conſuetae, ſanguinis etiam, et huius praeternaturales, vt catamenia, haemorrhoides, diaphoreſis: euacuetur artificioſe ſanguis per VSt. ſcarif. hum. hirudines, purgantia, diuretica, diaphoretica, quantum confert et vbi. cf. ſymptom. et indic. aetiolog. Viƈtus ſit tenuis, mediocri copia ſumatur, exercitat. ſomn. mod.

Indicat. aetiologicae.

1. reſcindatur cauſſa, ſi et quantum licet (in pleth. a mutil. non poſſumus.)
2. adhibeantur cauſſae proximae aduerſa, antiphlogiſtica, quorſum venaeſeƈtio, ſcarif. hirud. purg. ex tamar. ſale mirab., nitrum, camphora.
3. cauſſae remotae indicant ſic, vt in plethora a catameniis aut hhdibus ſuppreſſis, haec prouoces, et horum impedimenta remoueas.

Indicat. noſolog.

1. in morbo recenti, graui, acuto, ſi criſis per haemorrhagias exſpeƈtanda, haec adiuuanda.
2. alias antiphlogiſtica methodus adhibenda, venaeſeƈt. pro indole morbi larga, aut repetita, conducit.
3. ſi vires ſuppreſſae ſunt, haec erigendae meth. antiphlogiſtica.

Indicat. pathol.

1. Febres potiſſimum et phlegmaſiae celeres et largas ſanguinis detraƈtiones, aut in loco adfeƈto ipſo, v. g. in hhdibus caecis, ophthalmia, aut quam proxime, vt in pleuritide VStio in brachio, hirudin. in phrenit. cet. deſiderant.

2. In ſtatu crudo VStio omni adhuc die celebrari poteſt, et repeti, et inſtitui, vbi haemorrhagia ſymptomatica, aut non ſufficiens critica, aut inſtat, aut exſtat.
3. Paſſiones plethorae, impetu maiori ad partem conſpicuae, congeſtiones, phlegmaſiae, deſiderant ſui remotionem citam, reuulſionem, ſi nobilior pars adficitur: quod fit, ſi impetus ad caput eſt, in paſſion. cap. pediluuiis, enematibus, lax. antiphlogiſt.

Indicat. prophyl. therap.

1. vt caueatur, quo minus hhdum ſuppreſſio transeat in haemoptyſin, aut catameniorum emanſio in eamdem, aut aliam paſſionem; catamenia, aut hhdes reuocentur.

Indicat. ſymptomat. crit.

1. Catamenia, hhdes, tum ad auertendum morbum, tum ad fugiendum ipſum, et paſſionum metaſchem. ſalutarem efficiendo, fouendae, producendae, quod ſit cet.

Indicat. patheticae prophylact.

1. Caueantur ira, rixus, coitus.

Adiunxiſſem aliqua adhuc, niſi animi triſtitia ex orbato prole maſculo, iterum iterumque animum diſtraheret, dum nupera iactura priſtinam reducit. En, quae animus in ſui erectionem cogitauit, alibi mortis rationem dabo.

HIC. IACET.
OLIM. VIVVS. MORTALIS. IAM VITALIS MORTVVS.

MAXIMILIAN. CAROL. IOSEPH.
DANIELIS.

FILIVS.
VITAM. ADEPTVS. IN. SEPVLCHRO. CARNEO.
D. XXIX. IVN.
A. cIↄIↄccLxxxvI.
HINC. MAXIMILIANVS.
VIVVS. IN. EODEM. D. XV. M. OCT.
A. cIↄIↄccLxxxvI. PR.
VNDE. CAROLVS.
IAM. VITALIS.
D. XIX. FEBR. A. CIↃIↃCCLXXXVII.
PVLSAVIT. PAVPERVM. *) TABERNAS.
VIXIT. VITAM. MATVRAM. REGVMQVE. PVLSAVIT.
TVRRES. **)
D. XIX. M. MART. A. C.
HINC. IOSEPHVS.
CORONATVS. PARTV.
MOX. CAESAR. CORONAM. VTERI. PRAETVLIT.
VIXIT. IN. SEPVLCHRO. MORTVVS. EST. SVB. PARTV.
NATVS. EST. SVB. MORTE. ANIMAM. REDDIDIT.
CAELO. CORPVS. HVMO.
D. XXII. M. MART.
RELIQVIT. PARENTES. IPSIVS. FATO. CONTRISTATOS.
ERECTOS. MATREM. AEGROTAM.
SALVAM.
SPERNENS. VITAM. TERRESTREM. VIVIT. VITAM.
CAELESTEM. AETERNAM.

L. P. P. L.

---

*) Vberibus lacte nondum repletis. (Horat. imit.)
**) Vbera lacte turgida. — Cet. vide Calend.

ECCE. HOMO!
MORTALIVM. EREMITA.
FERDINANDVS.LVDOVICVS.CAROLVS
MATRE. ADIVTVS. IEIVNIVM. XLMALE.
TOLERAT.
RES. MVNDANAS. NON. CVRANS.
QVIBVS.
QVVM. VELLET. INTERESSE. MVNDVM.
VIDENS. MATRE. RELICTA.
PER. HORAS. LIV. OBSTVPESCENS.
DE. MVNDO. ADSPECTABILI. LAETVS. ADMIRANS.
DVLCIA. ADSTANTIVM. SOMNIA.
IEIVNIVM. QVADRAGESIMALE.
IN. CAELO. INIIT. *)
ET. AMPLEXVS. PRAEMATVRA. MORTE.
EXSTINCTI. FRATRIS.
OSSA.
VITAM. AETERNAM. VIVIT.
SIC. VITA.
FVNE. TENETVR.

*) Moritur a. d. VIII. M. Mart. cIↃIↃccLXXXXI.

Scrib. Hall. Magd. M. Apr. 1791.

CLASSIS SECVNDAE SYNOPSIS.

FEBRES.

Character. Syndromes frigoris, ſucceſſiuique caloris cum artuum debilitate et pulſus vi adaucta, ſaepe quoad frequentiam.

ORDO I. Continvae. *Pyrexia ſemel creſcit, et ſemel decreſcit in decurſu aegritudinis.*

I. Ephemera, *fièvre éphémère*, decurſus aegritudinis intra dimidiam ſeptimanam abſoluitur. Vigor morbi ſubito accedit.

II. Synocha, decurſus intra ſeptimanam, incrementum ſucceſſiuum.

III. Synochvs, *ſynoque*, decurſus intra duas ſaltem ſeptimanas, pyrexia maior.

IV. Typhvs, *fièvre maligne*, decurſus ad tres ſeptimanas et vltra, pyrexia nulla, aut exigua, debilitas maxima.

V. Hectica, *fièvre lente*, decurſus vltra menſem, pyrexia exigua, debilitas parua.

ORDO II. Remittentes. *Pyrexia pluries in decurſu morbi creſcit et decreſcit, non omnino recedit, typus ſaepe confuſus.*

VI. Amphimerina, *amphimerine*, remiſſio quotidianae typum ſeruat, frigus in paroxyſmis.

VII. Tritaeophya, *tritéophie*, remiſſionis typus tertianarius, frigus fere nullum.

VIII. Tetartophya, *quarte continue*, remiſſio quartanae typum ſeruans.

ORDO III. Intermittentes. *Pyrexia pluries in decurſu aegritudinis deſerit et recurrit cum interuallis lucidis.*

IX. Quotidiana, *fièvre quotidienne*, acceſſus ſimiles quolibet die accidunt.

X. Tertiana, *fièvre tierce*, acceſſus ſimiles alternis diebus reuertuntur.

XI. Quartana, *fièvre quarte*, acceſſus ſimiles duobus interpoſitis diebus redeunt.

XII. Erratica, *fièvre erratique*, acceſſus ſimiles diſtantes ab inuicem pluribus, quam quatuor diebus; aut typi omnino incerti.

Conſulantur pyretologiae ſcriptores ſequentes:

De febribus in vniuerſum, praeter *Sydenhami*, *Huxhami*, *de Haën*, *Stoll.* opera.

Th. Glaſs comment. XII de febribus ad Hippocr. diſcipl. accommod. Amſt. 1743. 8.

I. Freind comm. IX. de febribus ad Hipp. de morb. popul. L. I. et III. Amſt. 1717. 8. et in opp.

I. Eller obſeruationes de cognoſc. et curandis morbis, praeſertim acutis. Reg. et Lipſ. 1762. 8.

A. de Haën theſ. ſiſtent. febrium diuiſiones natamque ea de cauſſa de miliaribus ac petechiis, diſſ. ed. 2. Vind. 1760. 8.

C. G. Selle rudimenta pyretologiae methodicae. Berol. 1773 ed. 3. ib. 1789. 8.

I. Quarin methodus medendarum febrium. Vind. 1772. 8.

I. Ball's pract. Abh. v. d. Fiebern a. d. Engl. Frcf. u. L. 1762. Deſſen Fortſetz. od. Anweiſ. z. med. Praxis ib. 1763. 8.

W. Grants Beobacht. v. d. Natur u. Heil. d. Fieber a. d. Engl. Leipz. 1775. 8.

I. B. Burſerius v. Kanilfeld Anleit. z. Kenntniſs der Fieber. v. Fortſetzung. Gieſsen et Marb. 1785. 8.

Galens Fieberlehre v. K. *Sprengel.* Bresl. u. L. 1788. 8.

W. Trnka de Krzowitz hiſtoria febris hecticae, omnis aeui obſeru. med. continens. Vind. 1783. 8.

Eiuſdem hiſtoria febrium intermitt. Vol. I. ib. 1775. 8.

N. F. Coling tr. de febribus intermitt. cognoſc. et curandis. Argent. 1760. 8.

C. Strack obſeru. medic. de febrib. intermitt. et qua ratione eidem medendum ſit. Offenbach. 1785. 8.

F. W. v. Hoven Verſuch v. d. Wechſelfieber u. ſ. Heilung. I. II. Th. Winterthur 1789. 8.

P. G. Werlhoff obſeruationes de febribus, praec. intermittentibus, et ex earum gen. continuis, deque earum periculis et reuerſionibus praenoſcendis et praecauendis cet. Hannov. 1732. 4. et in opp.

F. Torti therapeutice ſpecialis ad febres periodicas pernicioſas cet. Frcf. et Lipſ. 1756. 4.

(Senac) tr. de recondita febrium intermittent. tum remittentium natura, earumque curationes Genev. 1769. 8.

CLASSIS II. THEORIA.*

MORBI FEBRILES, ſeu FEBRES.

1. Graecis pyreta (et pyrectica noſemata); *Latinis* febres; *Anglis* fevers, agues; *Hiſpanis* fiebres, calenturas; *Germanis* Fieber; *Italis* Caldezze, febbre; Morbi critici *Ill. Linnaei.*

2. Aegri *Graece* pyretontes, pyrecticoi; *Latine* febrientes, febricitantes; *Anglice* Feverish; *Hiſpanis* achacoſos de calentura; *Germanis* Fieberkranke; *Italis* febroſi.

3. Etymologia febris et febriculae. a *ferveo*, incaleſco, vel a *februo* expurgo; nomina tamen Graeca, Hiſpanica et Italica ab *igne* et *calore* potius deriuantur.

Febres ſunt duae fere tertiae omnium, qui ſunt, morborum partes. *Sydenham.* Ita cum Sydenhamo medici fere omnes, an recte; ſtatuunt? Non putarem. Cenſeo potius, medicos, vere obſeruatores, ex praeiudicata opinione morbos acutos, febribus vtique ſtipatos vtplurimum, cum ſolertia attendere, negligere magis morbos chronicos, quorum et dimidia forte pars medicos ob aegrotantium neglectum fugit, vt alteram partem non ſatis aeſtiment. Ex morbis acutis duas tertias partes credas febribus ſtipatas eſſe, non poteris tamen febrium nomine omnes comprehendere, quum dimidia fere pars febres ſolum comites habeat, alterius eſſentia febris idea continetur.

4. Character; vires pulſus, reſpectiue ad vires artuum, adauctae, *vt plurimum* vero pulſus ſolito frequentior cum virium, voluntati ſubditarum, imminutione. Vires autem pulſus adaugentur in ratione magnitudinis et frequentiae duplicatae coniunctim. Vires vero artuum eo minores ſunt, quo tardius, rariusque, ac quo pauciores, vel minores, ſimul artus moueri poſ-

* Vtinam ſtabilem dare cum A. poſſem! Hiſtoriam febrium litterariam animo concipiens, video, theorias Cl. virorum fuiſſe breuis temporis, vt eadem fata et noſtrae tribuens. A. theoriam, vt viſum fuerit, correctam, dabo, meam qualemcumque, quae practica magis ſit, adiiciens. Non lubet, nimis onerare et theoriam, et noſologiam febrium, quo facilius quisque lectorum in febribus certe aliis auxiliis non deſtituitur, et ſufficit, lectoris attentionem excitaſſe, ne in diſcernendis differentiis et ſpeciebus hallucinetur. Quas ſi nouerit, facile veram viam ſequetur, atque imagines febrium vltro excolere poterit.

ſunt. Datur itaque febris, quoties 1° viribus artuum iisdem permanentibus vires vitales cordis, et arteriarum, maxime quoad frequentiam, intenduntur; 2° Viribus artuum imminutis, vires vitales eaedem permanent, modo nec ſopor, nec anaeſtheſia, ſeu inſenſibilitas artuum, adſit; ſopor enim et paralyſis impediunt, quo minus vires artuum voluntati ſubditarum exerceantur; 3° Viribus artuum adauctis, vires pulſus augentur in maiori ratione, vt accidit in phrenitide; 4° Viribus artuum imminutis, vires vitales intenſiores euadunt, aut eaedem perſtant, ac in ſtatu ſano, vel demum in minori ratione decreſcunt. *

Hiſtoria Generalis.

5. Conueniunt initio maxime: frigus, horror, pallor, pulſus exilis, ſitis, carebaria, cet. augmento et ſtatui: calor, ſitis, virium proſtratio, ſiccitas, anxietas; declinationi: ſudor humidus mitior, vrinae ſubrubrae, ſudor.

6. Symptomata 1° *in functionibus liberis* intellectus et motus; *laſſitudo* corpus occupat et lecto proſternit, maxime in continuis et exacerbantibus acutis, nec non in intermittentium acceſſibus. *Situs* eo magis horizontalis, ſupinus et immobilis, quo vires artuum magis proſtratae; hinc febrientes abſtinent lubentius a negotiis, loquela, geſtu, *motu* totius, niſi anxietas vrgeat; luce viuida, ſonis validis, attentione, *defatigantur;* ſtantes vacillant, taedio, et *faſtidio* aſſuetorum laborant, languent vires animi in ſtudendo, ratiocinando: caput ſaepe vertiginoſa grauitate, cephalalgia, imo in ſtatu acutarum, delirio, agrypnia tentatur.

7. 2° In *functionibus naturalibus* appetitus, pulſus et reſpirationis; *fames* euaneſcit in continuis et exacerbantibus, nec non in intermittentium acceſſibus, imo accedit carnium, iuſculorum, ſalitorum, faſtidium; *ſitis* vero intenditur, et creſcit cum morbo, niſi caput delirio vel ſopore tentetur; *tacet* tamen interdum. *Venus* ſilet, vinum, tabacum, cupediae, faſtidiuntur; *pulſus* ab initio ad finem *frequentior ſolito et celeris*, niſi delirio, vel comate, aut ſimili affectu, caput tentetur, vt in malignis;

* Signum febris pathognomonicum eſt pulſus alteratio, cum dolorifica totius corporis ſpeciali laſſitudine, ſubitaque arbitrarii motus imbecillitate; *Bianchi Hiſt. hep.* p. 847. [Vide infra noſtram diſtinctionem in febres actiuas et paſſiuas, quorſum haec ſpectant.]

initio exilis, et quandoque intermittens perſtante frigore, atque tunc cardialgiae, nauſeae imminent, in ſenibus, quibus ſunt pulſus intermittentes, *naturalis*; in ſtatu vero plenus et validus, pulſationibus diſtinctis, ſi plethora deſit, ſecus confuſis; in fine mollis, minor; in inflammationibus genuinis, excepta peripneumonia, durus, ſubdurus, fortior. *Reſpiratio* in frigore difficilis, breuis, ſemper frequens, eodem prorſus tenore, quo pulſus increſcens quoad numerum et magnitudinem, ita vt ex illa ſic, vti ex pulſu, febris poſſit dignoſci.

8. 3° *In excretionibus*; ſaliua deficit, areſcunt fauces, fiſtulae, vlcera, exſiccantur, vrina, in frigore emiſſa, limpida, aſt in declinatione pauca, rubra, feruida, et in intermittentibus lateritia, ſeu quaſi lateribus rubris pulueratis turbida; perſpiratio in frigore parca, in calore magna, ſudor in fine copioſus, poſt quasdam ſynochos et tritaeophyas olidus.

9. 4° In *qualitatibus*; cutis ineunte febri, aut ſub acceſſu, ſicca, pallida, ſcabra, venae nullae in frigore febrili, capilli cum rigore rigiduli, ſeu horripilatio, annuli digitorum laxiores; frigus cum rigore et in acceſſu tremula maxillarum, artuum, ſaltem cutis concuſſione, vnguium liuore, apicis digitorum corrugatione; labia, palpebrae pallent; lingua in putridis pallet, alba, vel flaua; in malignis lingua et dentes ac labia muco etiam nigro, ſicco, obducuntur, et tunc odor foetidus, putris proprius exhalat. Oculi in acutorum vigore ſplendent, in grauiſſimis et pertinacibus febribus exſtinguuntur; calore accedente genae rubent, labiaque; cutis turgidula, mollis euadit; annuli ſtrictiores videntur, venae turgent, pili flacceſcunt, calor ſenſim creſcit et intenditur vſque ad gradum 32um, imo aeſtate vltra 36um, ſi thermometrum manu contineatur; non creſcit tamen eadem ratione, qua pulſuum numerus intra datum tempus.

Theoria Febrium.

10. Ab una eademque origine promanant vires, tum liberae, tum naturales; priores artubus voluntati ſubditis, poſteriores cordi et pectori potiſſimum proſpiciunt; ambae reſpondent energiae facultatum animae, eiusdem libertati ſcilicet et naturae, quae in eumdem finem conſpirant, nec inuicem pugnant, quamdiu perfectiſſima ſanitas eſt, tum phyſica, tum moralis; ambae quantitati fluidi neruei, quod facultatum inſtru

mentum eſt, eiusque velocitati duplicatae proportione reſpondent.

11. In ſanitate facultas non, niſi exiguam, virium ſuarum partem diuerſis organis, tum libere, tum naturaliter erogat, nunc quidem eidem muſculo maiorem, nunc minorem, prout vſus et neceſſitas agendi videtur exigere; et quoniam cordis et reſpirationis motus ſunt ſemper neceſſarii noctu ac interdiu, ſatis aequabiliter ipſis vires tribuuntur, vnde maximum diſpendium; aſt artubus, quorum actio ad vitam actualem non eſt ſemper neceſſaria, non niſi interdiu ad labores et exercitia interpolata vires erogantur, atque cum eorum actiones ſunt maximae, vires ſunt vt eorum moles, demonſtrante *Borello*; non autem accidit, nec opus eſt, vt omnes ſimul agant muſculi in toto corpore, licet in labore maxima eorum pars agat: quaenam vero ſit potentia abſoluta muſculorum omnium, qui ſimul agunt in operariis, per duodecim horas quaque die laborantibus, reſiduas vero ſomno, paſtui et quieti impendentibus, docent *Illuſtriſſ. Dan. Bernoulli* * experimenta; ea ſcilicet aequalis eſt proxime ponderi pedis cubici aquae ſingulis ſecundis ad vnius pedis altitudinem eleuatae per horas duodecim continuato labore.

12. Potentia vero abſoluta cordis, quod ſingulis ſecundis vnciam vnam et ſemiſſem ſanguinis ea velocitate emittit ex ſiniſtro ventriculo, vt aſcendat intra tubum verticalem ipſi aortae aptatum ad pedes ſeptem et ſemiſſem, aequalis eſt ponderi quadrageſies minori, ſi per dimidium diem cor tantum ageret; adeoque cum labor eius duplo longior ſit, eius abſoluta potentia eſt ad muſculorum, in operariis libere agentium, potentiam abſolutam, ſeu laborem, vt 1 ad 20; calculum iniuit, et benigniſſime communicauit *Ill. Bernoulli.*

13. Vis eſt cauſa, ſeu ratio ſufficiens actionis actualis, adeoque vis aeſtimanda eſt ex pondere, ducto in ſpatium, dato tempore percurſum, non habita ratione durationis laboris; quae vltima conſideratio vim a potentia abſoluta diſtinguit; atque ex hoc ſe-

* *Bernoulli Hydrodyn. pag.* 199. *D. Euler* iudicat hominis vim eam eſſe qua horizontaliter procedendo poſſit 60 lib. geſtare velocitate ſex pedum quouis ſecundo *Mem. de l'Acad. de Berlin* 1752. *pag.* 163.

quitur vt vis cordis ſit ad vim muſculorum voluntati ſubditorum in ſtatu ſano vti 1 ad 40; vires enim ex effectibus actualibus aeſtimantur, et effectus ſunt vt 1 ad 40, vt mechanices gnari intelligent.

14. Iam vero vis, quam cor ſanguini imprimit, diſtribuitur in omnes arterias in ratione quantitatis ſanguinis eas ſimul transiicientis, adeoque in ratione earum orificii ad eamdem a corde diſtantiam: datur itaque ratio conſtans inter vires cordis, et vim cuiusuis arteriae datae, vt radialis, quae in carpo exploratur, atque ex vi arteriae radialis de vi cordis iudicamus.

15. Vis pulſus eſt vt vis ſanguinis in arteriam pulſantem proiecti, et ea vt vis totius ſanguinis, e corde eiecti; vis vero ſanguinis, e corde eiecti, eſt vt orificii cordis ſectio, per quadratum velocitatis ſanguinis multiplicata; verum quadrata velocitatum ſunt, vt altitudines, ad quas fluida poſſent motu, ſurſum conuerſo, aſſurgere, aut quod eodem recidit, vti altitudines, ex quibus delapſa cenſentur, vt eam, quam obtinent, velocitatem acquirant, ſi nulla foret ex parte medii transiiciendi reſiſtentia; ergo vis ſanguinis, ex dato orificio in aërem emiſſi, eſt vt altitudo, ad quam poteſt attingere.

16. Secta arteria temporali in homine ſano adulto, ſanguis ad ſeptem pedes regios ſupra cor adſcendere valet, vt docent experimenta haemaſtatica; ſed velocitas ſanguinis, ex ea altitudine delapſi et horizontaliter effluentis, eſt circiter aequalis 20 pedibus intra ſecundum, vt docet hydrodynamica; ergo velocitas totalis, quam ſanguis, e cordis ſiniſtro ventriculo profluens, poteſt concipere, eſt circiter 20 pedum in ſecundo.

17. In ſtatu ſano velocitas ſanguinis per vas quodlibet, vt per venam brachii datam et aequaliter pertuſam, eſt in eadem ſemper ratione ad velocitatem ſanguinis, aortam tranſeuntis, ita, vt ea creſcente creſcat altera, decreſcente decreſcat; ergo velocitas ſanguinis, phlebotomia emiſſi, abſtrahendo ab affrictuum inaequalitate, eſt menſura virium cordis, cum ſaltus ſanguinis eſt conſtans.

18. Velocitas ſanguinis, reſiſtentias ſuperantis, aut intra vaſa fluentis, multo minor eſt eius velocitate, quam intra aërem poteſt conſeruare; prior *actualis*, altera *virtualis* nuncupatur; et quoniam veriſimillimum eſt, ſanguinis velocitatem in aorta non eſſe actu maiorem ſemipede intra ſecundum, velocitas actualis eſt ad virtualem vt vnum ad 40.

19. Corollarivm I. Detracta mole ſanguinis antecedentis, citra toni cordis imminutionem, velocitas actualis ſanguinis creſcet in minori ratione quam ſubduplicata reſiſtentiae imminutae; velocitates enim fluidorum moles inaequales promouentium ſunt, vt radices illarum maſſarum inuerſe; verum quoniam non poteſt detrahi ſanguis, quin moles, per aortam fluxura, ſeu ex orificio cordis egreſſura, minuatur; cumque velocitas ſit ceteris paribus eo maior, quo moles ſanguinis maior e corde per orificia eius tendinoſa et conſtantia egreditur, velocitas actualis creſcere debet, in paulo minori ratione, quam eſt radix maſſae ſanguinis ſuperſtitis ad priorem maſſam.

20. Corollarivm II. Liquidiori facta mole ſanguinis, vel imminuta eius viſciditate per diluentia, calida, attenuantia, velocitas actualis ſanguinis creſcit in minori ratione, quam ſubduplicata viſciditatis decreſcentis: viſciditas enim eſt reſiſtentia moli mouendae analoga, adeoque idem valet ratiocinium, quod prius. Vtrumque vero docet experientia.

21. Corollarivm III. Dilatatis orificiis minimarum arteriolarum, velocitas ſanguinis actualis creſcit in minori ratione, quam ſubduplicata orificiorum. Magnos affrictus patitur ſanguis arterioſus, dum orificia vltimarum arteriolarum ſuperanda habet, vt patet experimentis haemaſtaticis *D. Hales* (*exper.* 9. *et pag.* 249.) atque eadem lege fluit, qua ſi ſumma horum orificiorum foret vigeſima circiter pars orificii aortae. Notum autem eſt ex hydraulicis, quod magis deficiat effluxus ex paruo orificio, quam ex magno, id eſt maior, ſit defectus in ratione diametrorum inuerſa, (*Mem. de l'Acad. R. des Sc. Carré* 1705.) ita, vt orificium, cuius diameter eſt 26 linearum, duplum aquae effundat eius, cuius orificium eſt 20; licet orificia, adeoque effluxus, abſtrahendo ab affrictu, debeant eſſe inuicem vt 708 ad 400, non vt 2 ad 1: hinc ſequitur, quod, ſi orificiola arteriolarum creſcant vt 4 ad 7, effluxus creſcant in maiori ratione, ſeu vt 1 ad 2, adeoque velocitas ſanguinis in arteriarum truncis maior euadat.

22. Quoniam quo difficilior eſt tranſitus ſanguinis per vaſa minima, eo preſſio, quam exercet aduerſus parietes arteriarum, magis accedit ad totalem preſſionem, (*Haemaſtatique pag.* 250.) atque arteriarum tenſio et reniſtentia eſt huius preſſionis menſura, ex hac tenſione aeſtimare poſſumus reſiſtentias ſangui-

ni oppoſitas, atque ſub iisdem reſiſtentiis vis cordis eſt proportionalis quadrato magnitudini arteriae, et frequentiae pulſus in ſe inuicem ductis, quod ſic probari poteſt.

23. Vt ſanguis, a corde emiſſus, arterias duplo magis diducat, neceſſe eſt, vt duplo maiori copia intra datum tempus e corde exeat; verum quoniam orificia arterioſa cordis ſunt tendinea et vix mutabilia, ſanguis illa transiiciens debet gaudere duplo maiori velocitate, adeoque ex principiis hydraulices vi quadruplo maiore proiici; iam ſi pulſus ſit duplo frequentior ſolito, eiectio, quae perficiebatur in vno ſecundo, perfici debet in ſemiſecundo, ſeu in tempore duplo minore, quam ſuppoſuimus; ſed vt eadem ſanguinis quantitas per orificium idem eiiciatur duplo minori tempore, ſeu duplo velocius, illud debet vi quadruplo maiore proiici, adeoque vt eiiciatur frequentius, vis debet intendi in ratione duplicata frequentiae. Sic et phyſiologi, praeeunte hydraulica. At recte et phyſiologi, vti *Martcrr.* cum corde *arterias ipſas* in determinanda vi pulſus non omittunt, vt arteriis etiam ſuum competat; quod analoga ratione ponas.

24. Quamdiu fluidum libere per orificia tubi emiſſaria effluit, tamdiu nullam preſſionem parietibus vaſorum infert (*Haemaſt.* 246.); verum arteriae, quae nullam intus preſſionem a ſanguine paterentur, facillime flecti poſſent (ex demonſtratis *Varignoni*), adeoque renitentia arteriarum eſt proportionalis preſſioni ſanguinis laterali.

25. Preſſio autem lateralis ſanguinis eſt proportionalis quadrato velocitatis reſpectiuae, ſeu quadrato exceſſus velocitatis ſanguinis ſubſequentis ſupra velocitatem antecedentis, adeoque arteriarum renitentia huicce quadrato proportionalis eſt.

26. Corollarivm. Si itaque eadem data arteriae magnitudine et pulſus frequentia, eius renitentia ſit duplo maior, actio reſpectiua columnarum ſanguinis duplo maior eſt: ſi quadruplo maior ſit velocitas reſpectiua, ſexdecuplo maior eſt, cet.

27. Corollarivm. Velocitas reſpectiua eſt, vt differentia velocitatum; ſi itaque velocitas ſanguinis antecedentis ſit eadem, et tamen renitentia arteriarum quadruplo maior, neceſſum eſt, vt velocitas ſanguinis ſubſequentis ſit duplo maior, adeoque vt vis cordis quadruplo maior euaſerit (*Haemaſt.* 216.

Pr. 21.) Vires itaque, cor contrahentes, ſi eaedem ſint, ex parte ſanguinis antecedentis reſiſtentiae, et eadem velocitas abſoluta, ſunt: vt renitentiae arteriarum. [Adde: Vires arteriarum maiorum — ſunt: vti renitentiae venarum, vaſorum minorum, telae celluloſae contractilitas: rel. — quae in celeritate pulſuum aeſtimanda potiſſimum ſunt.]

28. Corollarivm. Vires itaque cordis ſunt in ratione compoſita ex duplicata magnitudinis ac frequentiae pulſuum, atque ſimpla renitentiae arteriarum, modo eadem ſit in ſubſequentibus vaſis libertas, adeoque virium vitalium ad vires artuum liberas ratio cognoſci poteſt.

29. *Frequentia* pulſus eſt numerus pulſationum intra datum tempus, qui vulgo ſolito maior cenſetur, niſi expreſſe moneatur. Numerus vero pulſuum intra minutum diuerſus eſt pro diuerſitate aetatis, temperamenti et tranquillitatis, etiam in ſtatu ſano. Sic infantibus pulſus eſt frequentior, quam adultis, biliosis, quam pituitoſis, recens paſtis, quam ieiunis, pathemate, vel exercitio, agitatis, quam animo et corpore pacatis. Differt etiam in ſtatu erecto et ſupino, et decubitu. *de Haen. R. M.*

30. Si ſumantur in qualibet aetate numeri pulſuum medii hominum eiusdem altitudinis, illi numeri ſunt inuerſe, vt radices biquadratae cuborum longitudinis corporis: *Robinſon animal oeconomy, p.* 14.

Anni aetatis.		[illegible]		14	12	9	6	3	2	1	½	0
Longitudines corpor. in pollicibus.	72	68	60	55	51	46	42	35	32	28	25	18
Numeri pulſuum ex obſeruatione.	65	67	72	77	82	90	97	113	122	126	137	150 6. die
Numeri pulſuum ex theoria.	65	68	74	79	84	91	97	111	119	132	144	184

31. Corollarivm. Inde ſequitur, vt frequentia pulſuum ſit in diuerſis ſubiectis in minori ratione, quam inuerſa longitudinis corporum; nam puerorum pulſus non ſunt tanto frequentiores pulſibus virorum, quanto pueri virorum longitudine ſuperantur, etenim 18 : 72 :: 65 : 260 : cui numero reſpondet tantum 150.

32. Quantitas ſanguinis, quae per vltimas arteriolas in venas tranſire poteſt, minor eſt quantitate, quam a cordis contra-

ctione deberet exſpectari, niſi ſanguinis antecedentis et parietum vaſorum obſtaret reſiſtentia.

33. Etenim tota vis contractiua cordis impenditur partim dilatandis arteriarum tubis, partimque promouendo ſanguini: *Iurin. Theor. III.*

34. Atque motus, qui in ſyſtole cordis communicatur cum ſanguine praecedenti, eſt ad motum, cum tunicis arteriarum communicatum, vt tempus ſyſtoles ad tempus diaſtoles: *Iurin. Theor. IV.*

35. Verum in ſtatu ſano, tempus diaſtoles cordis, eius ſyſtoles tempori aequale eſt, adeoque dimidia pars virium, quas cor in contractione ſua exſerit in arteriarum tunicis diducendis, altera vero pars in ſanguine promouendo, abſumitur.

36. Quantitas vero actualis ſanguinis per arteriolas fluentis, ſeu eius transfluxus actualis, non eſt, niſi circiter vigeſima pars transfluxus poſſibilis et virtualis, ſeu qualis foret ablatis omnibus reſiſtentiis: *Haemaſtat pag.* 218. *n*⁰. 27.

37. Sanguis itaque, a corde proiectus, eſt intra maiores arterias tam coactus, ac preſſus, quam ſi tranſiret ex tubo vigeſies latiori in anguſtiorem, licet reapſe ex anguſtiori in latiorem tranſeat.

38. Preſſio itaque lateralis, arteriis illata, a ſanguine eſt ad preſſionem totalem, ſeu maximam poſſibilem, quam a data vi cordis poſſunt arteriae ſuſtinere, vt 399 ad 400: *Haemaſt. pag.* 249 *n*⁰ 105.

39. Si obſtructione, viſciditate, conſtrictione, aut quouis modo transfluxus actualis ſanguinis per minima vaſa duplo minor euadat, quam in ſtatu ſano, preſſio lateralis erit ad totalem vt 1599 ad 1600. Si vero is transfluxus ſit ad ſanum vt 2 ad 3, preſſio lateralis erit ad totalem vt 3599 ad 3600, (*Haemaſt. pag.* 250 *n*⁰ 108.) eadem vi cordis ſuperſtite.

40. Status *permanens* dicitur, quamdiu intra datum tempus ſibi aequales ſunt pulſuum numeri, altitudines, et tenſiones; in hoc ſtatu ſanguinis aequalis quantitas in quauis aluei arterioſi et venoſi ſectione circulatur.

41. Obſtructis, ſeu imminutis, vltimis arteriarum orificiis, vires neceſſariae ad cordis contractiones, ſub iisdem velocitate et frequentia producendas ſunt inter ſe, vt quadrata orificiorum ſuperſtitum inuerſe (*Haemaſt. p.* 312.). Si itaque ſumma orifi-

ciorum in arteriolis obſtructis ſit ad ſummam in ſtatu ſano, vt vnum ad duo, atque eadem, ac prius, ſit cordis contractio, quoad altitudinem et frequentiam, vis cordis quadruplo maior euaſit.

42. Obſtructis, quoad dimidiam partem, vitimis arteriolis, vt ſolitam magnitudinem ſeruans, pulſus, frequentior euadit, vis cordis contractiua adaucta eſt in ratione compoſita, ex duplicata inuerſa orificiorum ſuperſtitum, et directa numeri pulſuum intra datum tempus: *Haemaſt. pag.* 309 *no* 69.

43. Obſtructis arteriolis, vis cordis neceſſaria ad hoc, vt pulſus magnitudo maior euadat, eſt in ratione compoſita ex orificiorum ſuperſtitum duplicata inuerſa, et duplicata plenitudinis, ſeu magnitudinis pulſus: *Haemaſt. pag.* 315 *no* 93.

In praxi ſufficiet perſpecta habere principia a *Cel. Iurino in Tranſ. Phil.* tradita, quae forte pluribus intellectu faciliora videbuntur, et *haec* ſunt.

44. Quoties pulſus fit frequentior, aut minuitur reſiſtentia, aut potentia cordis augetur, aut minor ſolito ſanguinis copia ſingulis vicibus ex corde exprimitur.

45. Si pulſus ſolito fiat rarior, neceſſe eſt, vt vel augeatur reſiſtentia, aut potentia cordis minuatur, aut maior ſanguinis moles e corde eiiciatur.

46. Aucta reſiſtentia, vel neceſſario pulſus retardatur, vel augetur cordis potentia, vel ſolito minus ſanguinis e corde exprimitur.

47. Imminutis cordis viribus, vel minuatur, neceſſe eſt, reſiſtentia, vel pulſus tardior fiat, vel minus ſanguinis e corde exprimatur.

48. Auctis cordis viribus, vel augebitur reſiſtentia, vel pulſus accelerabitur, vel plus ſanguinis e corde eiicietur.

49. Imminuta mole ſanguinis, e corde proiecti, vel acceleratur pulſus, vel cordis vires minuuntur, vel augetur reſiſtentia.

50. Aucta ſanguinis, e corde eiecti, copia, vel pulſus tardior fiet, vel augebitur cordis potentia, vel reſiſtentia minuetur.

51. Tota vis, ad ſingulam cordis contractionem impenſa, abſumitur ipſa ſyſtole, et ſubſequenti diaſtole, tum ad ſanguinem permeandum ad cor vſque, tum ad arterias dilatandas.

In arteriis enim vis ſanguinis eſt duodecies maior, quam in venis; verum ſanguis confluens in auriculam dextram, velocitatis ſuae ſuperſtitis maximam partem amittit; nam auriculae ſectio transuerſa eſt triplo maior orificio cauae, adeoque velocitas in illa auricula triplo minor, et vis viua in datam aequalem ſuperficiem nouies minor, proindeque fere centies minor, quam in aorta.

52. Quoties in omni machinatione hydraulica fluidum, in loco, ad quem deferendum aut eleuandum eſt, notabilem retinet velocitatem, magnum fit potentiae abſolutae diſpendium; nam ſi vis 7 pedum altitudinis ſufficiat ad hoc, vt trans reſiſtentias ſanguis ad auriculam dextram deuehatur, ibique habeat velocitatem minimam, requiritur vis tanto maior, quo velocitatis illius notabilis quadratum maius eſt, nec tamen maior fluidi copia transfertur; ergo magnum eſt potentiae abſolutae diſpendium: Vide *D. Bernoulli Hydrodyn. p.* 168.

53. Renouanda itaque vis contractiua cordis ſingulis pulſibus; ſed quoniam in homine illud a machina et potentiis inanimatis fieri nequaquam poteſt, vt ſuo loco videbimus, reliquum eſt, vt a natura peragatur. Verum cum frequentia exigat vires ſolito maiores, natura ad has virium impenſas inſtituendas non, niſi motiuis ſufficientibus, induci poteſt. Motiuum autem eſt, intendere circulationem ſanguinis, ob reſiſtentias fatiſcentem, vel ob motus muſculorum neceſſario adaugendam; prior neceſſitas datur in febribus, altera vero in laboribus immodicis, vt curſu, vociferatione, et in pathematis viuidis, vt ira, gaudio.

54. Adauctis quidem reſiſtentiis, circulanti ſanguini oppoſitis, velocitas eius neceſſario minuitur, ni vires cordis increſcant; etenim velocitas ſanguinis reſpondet quantitati a corde eiectae directe, et tempori, intra quod eiicitur, inuerſe; verum quantitas, a corde eiecta, eſt in ſtatu permanente aequalis quantitati, in venas traiectae; cum itaque iſta ob reſiſtentias minuitur, cordis euacuatio pari paſſu imminuatur, neceſſe eſt.

55. Si itaque ob vaſorum obturationem, vel conſtrictionem, vel fluidorum viſcoſitatem, non, niſi dimidia, orificiorum pars ſit pertuſa, data eadem vi cordis, velocitas in illis extremis orificiis, quae ſemper eſt vt radix virium prementium, erit eadem; verum quantitates effluentes eadem velocitate per orifi-

cia inaequalia, ſunt vt orificia; ergo duplo minor erit per vaſa ſanguinis transfluxus, adeoque cor non, niſi dimidiatam ſui ſanguinis partem intra datum tempus eiiciet.

56. Verum docet experientia, quantitatem ſecretionum, quantitatem motus muſcularis, adeoque omnium fere functionum vigorem, reſpondere velocitati ſanguinis intra limites ſanitatis; cum itaque velocitas ſanguinis duplo minor eſt, functiones omnes, calor maxime et fluiditas ſanguinis, duplo minus intenſae ſint, conſequitur, quo ſtatu confuſe percepto, natura debet admodum moleſtari, adeoque iuxta ſympathiae leges, vires ſuas exſerere, vt functionibus vigorem et ſanguini priſtinam velocitatem per maiora vaſa conciliet, ſimulque noxam, ſeu principium huius aegritudinis, remoueat.

57. Illud autem per externa motus inſtrumenta nequaquam praeſtare poteſt, niſi ligaturae externae, preſſiones, frigida, applicata fuerint; et tunc animalia ipſa, natura duce, eas noxas pro viribus et mira ſolertia remouere contendunt, vt videre eſt in animalibus vinctis; verum quoniam ſaepiſſime ſanguis, vel humor viſcidus craſſus vaſa infarcit; quoniam illud vitium per vaſorum oſcillationes, muſculorum vibrationes, ſanguinis ſubſequentis colliſiones, liquidi ſeri mixtionem, poteſt tantummodo corrigi, atque cum illa molimina ſalubria imminuta ſanguinis mole, euacuata primarum viarum ſarcina, abſtinentia a motibus in hunc finem inutilibus, felicius inſtituantur, natura ea omnia, vel ex his plurima, ſibi parat ſubſidia.

58. Symptomata itaque noxiae cauſae ſe produnt per languorem animi et corporis, functionum omnium, potiſſimum motus muſcularis, tarditatem, ſenſum grauitatis et taedii, frigus in extremis, laſſitudinem, capitis grauitatem, ſaepe vertiginoſam; quae omnia ex retardato ſanguinis circuitu facile deducuntur.

59. Symptomata vero, naturae opitulatrici tribuenda, alia directe, alia indirecte materiam morbificam impugnant; indirecte quidem vomitus et diarrhoeae, a quibus grauiſſimae febres, imo acceſſus intermittentium non raro ordiuntur; natura enim, hac eiecta ſarcina, vires harum materierum coctioni impendendas vtilius collocat, et ſaepe fomitem morbi praeripit, deinde viribus adauctis per vaſa ſalubrem non raro ciet haemorrhagiam, aut ſudorem, vnde moles mouenda minuitur, et facilius feliciusque deinde per vaſa prouoluitur.

Directe vero obſtructiones reſerat, 1° *rigore* ſebrili, ſeu leuibus totius cutis iteratis conſtrictionibus, *ſpaſmo* fibrillari muſculorum, qui ad ſanguini fluorem conciliandum aptus eſt: 2° auctis cordis contractionibus, adeoque arteriarum pulſibus, vnde ſanguis viſcidus, iners atteritur, et vehementius in obicem irruit, vt eum intra venulas adigat, et adigendo ſolvat, atteratque: 3° aucto ſimul calore, qui eximius eſt ad fluorem liquidis inertibus conciliandum infra gradum 36um thermometri Reaumuriani, ſimulque feliciſſime vaſa obſtructa diducit, laxat, adeoque fluidis peruia facit. 4° Potum per ſitim et calorem imperat natura, eumque ſimul copioſum, frigidiuſculum, ſubacidum, cuius ope laxantur vaſa, fluida diluuntur, ſecretoria expediuntur, vno verbo vrgentiſſimae implentur indicationes. *

60. Verum quoniam ita connexa ſunt corporis humani machinamenta, vt certi motus vtiles cum aliis minus ad finem vtilibus coniungantur, natura his plus, vel minus, acriter incumbit, et vrgentiori ſemper occurrens, per media vtcumque noxia, noxam maiorem pro viribus impugnat.

Carotides v. g. iuxta aortae aſcendentis directionem in caput tendunt, ceterae vero arteriae ſtatim ab ea directione deflectunt; quamdiu fluidum per truncum, ramis plus vel minus obliquis terminatum, lentiſſime promouetur, tamdiu eius preſſio lateralis aequalis eſt directae; nam fluida preſſa quoquouerſum premunt aequaliter, ſi lentiſſime prouoluantur, adeoque ramos laterales et directos eadem velocitate ſubeunt, ac quantitate ipſorum orificiis proportionali. Verum ſi velocitas fluidi ſit magna tunc temporis, more ſolidorum corporum, columnae proiectae in directum fortius nituntur, et in latera non, niſi repercuſſae, valent agere. Hoc theorema nouum experimento ſae-

* Hactenus dicta ad paraphyſiologiam pertinentia non videntur feliciingenio cogitata, ſiquidem facile omnium argumentorum contrarium eadem, ni meliori fortuna, adiicere poſſem, niſi diſpliceret, theoriam onerare theoria, quam maxime ob A. Stahliani ſententiam, hodie iterum magni factam, retinui. Moneo haec, ne quis facile his ſubſcribat in ſui damnum, vt pathologia ſit affinis phyſiologia, in qua doctrina, aut vere contrarium multo plauſu poſuerunt, aut vt contrarium poni poſſet, cogitationibus effecerunt.

pe confirmaui: tubum rectum ſyringae orificio aptaui, ex cuius latere tubulus alter oblique naſcebatur; immiſſa in truncum leniſſime aqua, obſeruaui, quanta foret ex tubo recto, et ex obliquo, iactus longitudo; deinde vero fortius impulſo embolo, conſtanter obſeruaui iactus ambos longiores quidem euadere, verum ex tubo recto in maiori ratione creſcere iactum, quam ex obliquo; inde facile eſt deducere, velocitatem ſanguinis vix notabiliter adaugeri poſſe, quin ſanguis irruat in carotides in maiori ratione, quam in ceteras corporis arterias, et in truncos rectos maiori ratione, quam in obliquos eorum ramos.

Cum itaque neceſſitas exigit, vt cor velocius contrahatur, impoſſibile eſt, quin ſanguis maiori impetu ſubeat carotides, earumque ramos, quam aortam deſcendentem, cum ad iſtam ſubeundam a via recta magis deflectat, adeoque plures repercuſſiones et inflexiones patiatur, a quibus tanto magis retardatur, quo ad angulos maiores et frequentius reflectitur: non mirum itaque, ſi in febribus acutis vaſa piae meningis ſanguine turgeant in maiori ratione, quam vaſa ceterarum partium, ac proinde dolores capitis, deliria, ſopores, aliaque mala exinde ſuboleſcant.

61. Pluries, iniecta per aortam aqua calida, ex eadem tubi altitudine, obſeruaui frontem multo citius incaleſcere aliis partibus; deinde collum, axillas, et abdomen; ſanguis ergo, viuide a corde proiectus, illas velocitate, minus retuſa, ſubire debet; vnde calor et ſudor frontis in febribus ſaepius accidit.

62. Secretiones ideo fiunt, [Amplum campum video, quo quisque aliam ſecretionum theoriam amans poſſit exſpatiari. Breuis, vt dixi, temporis doctrina eſſet, ſi aliam adderem.] quia moleculae fluidorum excernendae in lateralibus arteriolis lymphaticis admodum retardatae poſſunt abripi a tubulis ſecretoriis, vi ſuctoria praeditis, et illae ſeligi, quarum ſpecifica grauitas horumce tuborum ſpecificae grauitati magis conuenit, (obſeruante *Illuſtriſſ. Hambergero diſſert. de Secretionibus.*) Verum vrgente febri, ſanguis maioribus cordis viribus vrgetur; ergo intra ipſamet vaſa arterioſa lymphatica velocius truditur, adeoque cum fluida viribus inaequalibus hinc et inde preſſa maiori obſecundent, illa fluida ſecernenda fluento circulationis abripiuntur, et ſuctionem vaſorum eludunt; vnde minor ſecretio vrinae, ſaliuae, ſucci gaſtri-

ci, inteſtinalis, muci narium, ſpermatis, quamdiu vel frigore febrili coagulata haerent fluida, vel aeſtu febrili vltra ſecretoriorum vaſculorum oſtia abripiuntur.

Natura non poteſt vires cordis et pectoris diutius adaugere, quin virium illarum penus decreſcat; cum enim, quamdiu febrilis labor perſeuerat, nulla vel modica fiat harum reparatio, quae paſtui, ſomnoque [ſecretionibus, excretionibus, rel.] debetur, et magna ſimul omni momento fiat earum impenſa, cito potentia motrix fatiſceret, ſi ſimul ad artus, et partes voluntati ſubditas, fluidi neruei ſolita mitteretur copia: quod vt auertatur malum, natura, quidquid eſt fluidi neruei in vitalibus organis actuandis, impendit, reſeruat, et ab omnibus aliis partibus mouendis, actuandis abſtinet; hinc virium liberarum imminutio et ſucceſſiua proſtratio. Num minori quis iure dixerit, ſtimulum iniectum, et actiuum, et paſſiuum, facere, vt natura quidquid virium poteſt, impendat organis vitalibus, reliquis detrahat, quod deficiant plus minus vires?

63. Verum cum per aliquot dies in continuis, et per aliquot horas in intermittentibus illud febrile molimen exantlauit, et ſic materies morbifica ſufficienter attrita, diluta, atque ad excretionem parata fuit, ſeu cocta, tunc a labore deſiſtit natura, tum vt vires ſuperſtites conſeruet, tum vt negotiis conſuetis incumbat, adeoque febris accedit declinatio; mutatur ſcilicet fluidi neruei diſtributio; in organa vitalia maior, et in libera minor fit, et hac anadoſi inuerſa ſenſim accedit apyrexia.

64. Verum quoniam virium penus minor eſt conſueto, licet virium ſolita reſtituatur proportio, non tamen ſolita reſtituitur quantitas; adeoque febre declinante, artus non conſuetum virium gradum ſtatim recuperant, quod reſtauratis deinde viribus integris, reſtituta valetudine, fiet. Interea laxatis a calore tubulis ſecretoriis, reſolutisque humoribus, pacato cruoris impetu, maior fluidi ſecernendi praeſto eſt copia, maior ad excretionem aptitudo; vnde poris cutis emollitis et patulis, vber ſudor profunditur, vrinae licet paucae et rutilae fluunt, ſaliua, mucique omnes fluxiliores euadunt, et ſic ſenſim ſecretiones reſtituuntur.

65. Situs corporis horizontalis, ſeu decubitus ad virium liberarum parcimoniam, vtilis eſt; in illo ſiquidem ſitu, potiſſi-

mum ſupino, nullius muſculi contractione opus eſt, hunc itaque in febrili calore affectamus: vtrum vero ſimul ad vberiorem fluidi neruei ſecretionem conferat, hic non inquiro. Redeunte vero apyrexia, et reſtituta ſana virium diſtributione, aeger orthoſtadiam rurſus affectat, muſculis vtitur, et ſuis muniis conſuetis reſtituitur.

66. *De virium diſpendio.* Sit vis cordi contrahendo impenſa aequalis 2 libris, eaque ſufficiat ad promouendam et expellendam ex arteriis in venas libram 1 ſanguinis intra minutum per foramen vt vnum; ſi iam illud foramen duplo minus euadat, et tamen velis, vt ſanguis per illud dupla prioris velocitate transiiciatur, eadem, quae prius, erit traiecti ſanguinis in venas quantitas, et ad hunc eumdem, qui prius, praeſtandum effectum, primo vis cordis ratione ſolius velocitatis duplae in orificio debet eſſe quadrupla prioris, ſeu octo librarum; verum cum idem effectus ratione transfluxus obtinebatur per vim 2 librarum foramine duplo maiori, euidens eſt, quod illius ſolius effectus habita ratione, ſex librae virium fruſtra impendantur, ſeu diſpendium virium eſſe tres quartas partes vis requiſitae.

67. In illis circumſtantiis ſi velis cordis motum duplo velociorem ſolito, cum, poſitis primis conditionibus, foret conſueto ſimilis, vis eius quadruplo maior requiritur, adeoque 16 librarum; verum foramine ſtante ſubduplo vt prius, non niſi dupla conſuetae transiicietur ſanguinis copia, et ſic huius transfluxus ratione, effectus erit tantum duplus prioris, cum vires impenſae ſint octuplae; ergo iterum in hoc caſu diſpendium virium ad tres quartas partes virium huic duplo transfluxui neceſſariarum aſſurgit, cum ſuffeciſſet iisdem poſitis virium duabus libris foramen duplum addere, vt dupla tranſiret ſanguinis copia.

68. Ex his percipimus, quanta fiant, in febribus acutis, quas minimorum vaſorum fouet obſtructio, virium diſpendia, quae ad circulationem ſanguinis generalem intendendam ſunt fruſtranea, ſed quae ad ſanguinem atterendum et repagula remouenda ſunt neceſſaria.

Si iam ea diſpendia, quae quouis minuto fieri ſupponimus, ducantur in totum tempus, quo febris perſeuerat, v. g. in 24or horas, vt in ephemera ſimplici, quoniam ſupponimus, praeter duas libras impendi 14im, intra horam 840, et intra diem

20160 librae impendentur. Verum quoniam vires a corde intra diem impenſae ſunt ad vires liberas quotidie impenſas, vt 1 ad 20, (12) cum cor intra diem vires 2880 librarum in ſanitate ſupponatur impendere, et ceteri artus 57600 libr., ſumma virium impenſarum erit 60480 libr. : aſt in febre, etiam quieſcentibus artubus, ſolius cordis motus 20160 libras impendit, ſeu vires ter maiores, quam in ſtatu ſano, qui calculus non quantitates virium impenſarum veras et abſolutas, ſed tantum relatiuas, exprimit.

In hoc exemplo ſuppoſuimus, velocitatem cordis tantum duplo maiorem, adeoque vel magnitudinem, vel frequentiam, vel vtramque, leuiſſime adauctam. Si etenim in ſtatu ſano magnitudo pulſus ſit 1, et frequentia 72 intra minutum, iam vero magnitudo ſit 1 et ſemis, et numerus pulſuum 108, velocitas cordis dupla prioris euadet, verum vtramque in maiori ratione creſcere docet obſeruatio (267). Si itaque ex illo ſummo virium diſpendio detrahatur exigua, quae ſit in febre per iuſcula, quietem et ſomnum, virium reſtauratio, iactura multo minor, potentiae imminutio habebitur, nec mirum erit, cito febricitantium potentiam imminui.

De frequentia Pulſus.

69. Arteriarum ſectio tranſuerſa duplex ſpectari debet, altera *conſtans*, quae in fine ſyſtoles, altera *variabilis*, quae eſt exceſſus diaſtoles ſupra ſectionem conſtantem: ſi fingamus duos circulos concentricos, zona, inter duas illorum peripherias contenta, exceſſum illum exprimit, cui pulſus reſpondet; cum enim arteria, vtcumque plena, ſanguine nequaquam digitum explorantem feriat in ſyſtole, nec in ſyncope, pulſus non ex conſtanti ſola, ſed ex ſectione variabili, aeſtimatur; illud autem arteriae augmentum debetur quantitati dimidiae ſanguinis, a corde ſingulo pulſu eius eiectae; cum enim vniformis ſit ſanguinis in venulis minimis velocitas atque ſectio, et ſanguinis copia, a corde eiecta, diuidatur in duas partes, quarum vna diducit arterias, altera ſanguinem antrorſum in venas promouet, atque demum tempus ſyſtoles aequale ſit in ſanitate tempori diaſtoles, quantum ſanguinis tranſit tempore diaſtoles arteriarum in venas, tantum in ipſis arteriis diducendis impenditur, ſeu dimidia ſangui-

nis, e corde eiecti, moles arterias diducit, et pulſum facit, altera vero vel ipſi aequalis venas ingreditur.

70. Si vero obſtruantur arteriarum orificia, et vires cordis non ſatis increſcant, tunc arteriae diſtenduntur illo ſuperfluo cruore, et ſic diameter conſtans ſolito maior euadit, quin pulſus pari proportione creſcat; nam cum minor exinde ſanguinis copia tubos maiores diducendos habeat, incrementum illud, quod pulſum metitur, eſt minus in ratione ſectionis conſtantis adauctae, et in ratione molis eiectae minoris: conſtat enim ex Geometria, incrementa voluminum, ab eadem mole addita, eſſe eo minus ſenſibilia, quo volumina prima ſunt maiora.

Hinc patet, quaré datis obſtructionibus, ſi vires cordis non augeantur, vel augeantur in minori ratione, quam obſtructionum quantitas, pulſus minor euadat, vt in praeludiis febrium, atque pulſus tanto minor eſt, quo moles dato tempore eiecta minor, et arteriae ſectio conſtans maior eſt.

71. Si vis motrix, quae prius interuallis aequalibus applicabatur embolo machinae hydraulicae, eadem remaneat atque augeantur reſiſtentiae, vel quod eodem recidit, minuatur orificium emiſſarium, nequaquam ex eo frequentior, ſed e contra rarior, euadet emboli itus et reditus.

Demonſtratio. Vis inanimata eadem eodem ſemper modo agit, atque tamdiu premit fluidum eiiciendum, quamdiu ſupereſt illud fluidum; ſed eo diutius ſupereſt illud fluidum, quo tardius euacuatur receptaculum huic continendo dicatum, et eo tardius euacuatur, quo ſub eadem velocitate fluit per minus orificium; cum itaque data eadem vi motrice, eadem in orificio ſit velocitas, et per hypotheſin orificium ſit dimidio minus, tempus itus et reditus emboli erit dimidio minus, ſeu ſingulus itus et reditus erit duplo longioris durationis, adeoque rariores erunt illi itus et reditus.

Datis reſiſtentiis, vel obturatis extremis arteriolarum in venulas hiantium orificiis, pulſus cordis frequentiores quandoque euadunt; hoc docet experientia, et vnanimis Medicorum conſenſus. Sic vinctis arctiſſime aegrorum artubus, pulſus frequentior euadit: obſtructis viſceribus quandoque frequentior euadit pulſus. Verum ſi vires eaedem cordi applicentur, aut ſi ſimiliter ac antea applicentur, pulſus tardiores, ac proinde rariores tantum euaderent, adeoque cum frequentiores euadunt, ne-

eſſe, eſt vt, illae vires ſaepius, ſeu diuerſo modo et ordine quam antea, cordi applicentur.

Veroſimillimum eſt, naturam has obſtructiones et reſiſtentias confuſe perſentire, et in multis circumſtantiis ab illis moleſtari (285), atque cum ea ſit ſanitatis cuſtos prouida et vrgentiori occurrat, ea quo periculoſiores et maiores ſunt obſtructiones, eo ſaepius et fortius cor contrahit, vt haecce repagula ſuperet; ſiue enim ſaepius, ſiue fortius, cor contrahat, exinde velocitatem ſanguinis intendit, adeoque materiae obſtruenti maiorem vim infert.

72. Natura quandoque tantum pulſus magnitudinem, quandoque illius tantum frequentiam, ſaepius vtramque, adaugere conatur; et 1° magnitudinem tantum adauget, cum nullo metu perculſa et viribus integris praedita, obſtaculum remouendum aggreditur: 2° Si vero obſtaculum difficilius cedat, aut pertinacius reſiſtat, aut in mora periculum ſit, aut demum pathemate graui natura moleſtetur, tunc additis viribus et magnitudinem et frequentiam intendit, vt in febrium acutarum vigore: 3° Verum ſi vel maxima ſit reſiſtentia, vt cum frigus febrile inuadit, vel cum exſoluta eſt potentia motrix, vt in fine febrium letalium poſt magnas euacuationes, longam inediam, in ſummo terrore, tunc frequentiam tantum intendit.

73. Impenſa virium eſt ſemper proportionalis, 1° periculi grauitati, 2° potentiae viribus: ſed cum virium ſuarum parca ſit natura, quando periculum obuium virium impenſam ſeu accelerationem circulationis indicat, tunc ſi potentia ſit exigua, pulſum frequentiorem et tantumdem minorem inſtituit; ea enim methodo intenditur ſanguinis actio aduerſus repagula in ratione duplicata numeri pulſuum, et impenſa virium minuitur in ratione duplicata magnitudinis pulſus (28), adeoque ſub eadem virium impenſa effectus optatus habetur. Si facultas ſit exſoluta, materies morbifica cruda, et vires impenſae magnae, in ſummo periculo verſatur aegrotans.

74. Duplo maior ſolito ſit pulſuum numerus, velocitas ex hoc capite duplo maior ſanguini conciliatur; ergo vis ſanguinis in materiam morbificam, ſeu columnas antecedentes, quadruplo maior eſt. Verum imminuta ſimul pulſus magnitudine, ita vt duplo minor ſit ſolito, vis cordis quadruplo minor eſt, adeoque impenſa non eſt ſolito maior; cum impenſa virium cordis

ſit in ratione compoſita ex duplicata frequentiae, et duplicata magnitudinis pulſus coniunctim.

75. Verum quidem eſt imminuta pulſus magnitudine affrictus in anguſtioribus arteriis quam maxime creſcere, (22) adeoque poſſe fieri, vt nullatenus lympha per arteriolas ſuas, nec ſanguis per vltimos laterales ſanguiductus progrediatur, vnde frigus extremorum, aliaque mala deinceps euentura; verum quoniam vrgentiori occurrendum eſt, ſaltem hoc artificio circulatio per maiuſculos ſanguiductus conſeruatur, et ſic quantum fieri poteſt, cum viribus exſolutis vita protrahitur, ab illis reſiſtentiis cito ſufflaminanda.

76. Pulſus paruus et frequens eſt in ſummo frigore hiemali, febrili, in febribus male moratis, in conuulſionibus, poſt venenorum coagulantium vſum, in ſummis doloribus, adeoque ſanguinis inſpiſſatio, et vaſorum conſtrictio magna pulſum frequentem et exilem habent comitem, et pulſus frequentior atque exilior euadit, imminutis cordis viribus, vt in agone.

Pulſus frequentiſſimus et minimus erat homini, in quo valuulae aortae oſſificatae dimidium orificii claudebant, ſanguis ex arteriis in cor refluebat, pulmones ingurgitabantur, aderat aſthma ab hydrope pectoris, mors anno aetatis 50° acceſſit. In palpitatione a polypo cordis, a compreſſo corde, et in experimento, in quo reſecantur nerui cardiaci, pulſus cordis frequentiſſimi, minimi et tremuli obſeruantur.

Ab exercitio moderato et balneis calidis pulſus frequens et plenus, ſed a labore immoderato et balneis calidioribus frequens et paruus, euadit, (obſeruante *Galeno*) propter facultatis exſolutionem: hanc facultatem exſoluunt inedia, malignitas in morbis, pathematum violentia, dolorum longitudo, et atrocitas, et euacuationes immodicae: *Galenus de pulſ. ad tir.* I.

77. Detracta magna ſanguinis copia, arteriarum capacitas reſpectu ſanguinis, e corde eiecti, maxima eſt, adeoque tardius in vaſis promoueretur ſanguis, niſi aucto pulſuum numero vrgeretur circulatio; quapropter vt fatiſcentem circulationem et vitam protrahat, natura frequentiam pulſus intendit, vt, quod ex magnitudine deficit, eatenus compenſetur.

78. Vnam quadrageſimam tantum partem morborum febrilium, letalem eſſe, docuit inſtituta apud Anglos obſeruatio

(*Journ. des Savans* 1665;) quod de *intermittentibus* intelligendum puto. *

79. *Cauſa* febris eſt diſtributio fluidi neruei, ſeu virium in neruos cordis in maiori ratione, quam in neruos artuum; eo fine fit illa diſtributio, vt repagula circulationi ſanguinis in minimis vaſis oppoſita remoueantur, et ſic vaſis ſanguiferis libertas, et ſanguini facilis aditus reſtituantur. *Inſtrumenta* febris potiſſimum ſunt cor et arteriae. *Materia* febrilis, ſeu morbifica, multiplex eſt; ſaepe chylus prauus, qui tum ſua viſcoſitate vaſa minima infarcit, tum ſua acrimonia vaſa ſanguifera moleſtat, et ad conſtrictiones ſollicitat. Quandoque id praeſtant miaſmata, tum ſponte in ſanguine enata, ob ſuppreſſas euacuationes aſſuetas, maxime ob perſpirationem ſuppreſſam, purulenta liquamina, putredinoſa fluida, tum extus ex aëre, cibis, potubus, in maſſam ſanguineam delata: raro nititur natura ad vaſa dilatanda et elonganda tantummodo.

80. Materies morbifica ſaepe in ſanguine lateret innoxia, niſi aut acceſſu aëris frigidi magis inſpiſſata, aut crapulae magis incraſſata, aut animi pathemate, labore immodico in motum acta, aut phlebotomia, catharſi, per cautelam inſtitutis, velut excitata, occaſionem praeberet naturae, vt conatus ſuos febriles ad eam corrigendam vel eliminandam exerat; et haec ſunt potiſſima febrilium morborum principia, fuſius in ſpeciebus enumeranda.

81. Initio febrium pondus corporis abſolutum communiter eſt adauctum. *Robinſon, Sanctor.* Sect. 2. aphor. 40, 50, 51, cet.

82. Initio febrium ſanguis eſt viſcoſior, adeoque ſale, terra, oleoque ditior quam in ſanitate: experti ſunt *DD. Langrish* et *Tabor.*

83. Grauitas ſpecifica lymphae febrientium eſt ad grauitatem ſpecificam eius in ſanitate, vt 10417 ad 10308, vel vt 10409 ad 10300.

84. Coagulum rubrum ſanguinis eſt ad lympham, quae ab

* At quum aliqua pars in morbos chronicos transmutetur, aliqua, eamque maiorem puto, probe ſoluatur, adiuuantibus medicis, morbos acutos, febres, melius curantibus, de omni febri intelligi poterit.

eo intra 24or horas ſeparatur in ſanitate, vt 1400 ad 1000; *D. Tabor.*

Aſt in epidemicis febribus pleuriticis, vt 3000 ad 1000, et in febribus vulgaribus, vt 2333 ad 1000, ex *D. Tabor.*

85. Coagulum rubrum eſt ad lympham, quae ab eo ſeparatur intra 24 horas, reſpectu eius, quae in ſanitate, iuxta *D. Langriſh.*

In Synochis - - -	vt 3992 ad 1000.
In Quotidianis - - -	vt 3614 ad 1000.
In Tertianis - - -	vt 3154 ad 1000.
In Quartanis - - -	vt 2424 ad 1000.

86. Quantitas cohaeſionis vel firmitatis coaguli rubri erat in febribus ad eius firmitatem in ſtatu ſano

In Synochis - - -	vt 1603	ad 620.
In Quotidianis - - -	vt 1275	
In Tertianis - - -	vt 1152	
In Quartanis - - -	vt 898	
In acutis inflammatoriis, vt 4 ad 1, vel	vt 2342	

87. Proportio principiorum per diſtillationem extractorum a ſanguine in febribus acutis ad quantitatem extractam ex ſanguine ſano erat

Salis volatilis - - - -	vt 189 ad 100.
Olei - - - - -	vt 144 ad 100.
Terrae - - - - -	vt 100 ad 102.
Salis fixi - - - -	vt 105 ad 130.

88. Ratio lymphae, per deſtillationem eductae, ad ſanguinis maſſam totalem eſt in febribus acutis, vt 100 ad 123.

89. In febribus acutis lymphae copia decreſcit a ſtatu ſano in ratione ſequ.

Scilicet Lympha - - -	a 123 ad 121.
Sal fixum - - -	a 130 ad 105.
Creſcit vero oleum - - -	a 100 ad 144.
Sal volatile - - -	a 100 ad 139.
Terra - - - -	a 100 ad 102.

90. Si vrinae acrimonia aeſtimetur ex praedominio ſalis, olei et terrae, vrinae acrimonia in ſanitate ad acrimoniam primis diebus febris acutae inflammatoriae fuit in ratione 1 ad 2. ſeu 10 ad 19. - - - - - 100 ad 190.

In febre ardenti primis diebus - 100 ad 109.

In vigore febris ardentis	- -	100 ad 135.
In declinatione eiusdem 20° die	-	100 ad 203
Subſequenti die poſt noctem pacatam, et pridie ſanitatis	- - -	100 ad 173.

91. Corollarivm I. In febribus ſanguis eſt viſcidior quam in ſtatu ſano. [Excipias febres putridas, ſubputridas, neruoſas,] atque quo viſcidior eſt, ſeu quo proportio lymphae diluentis ad cruorem minor eſt (82 cet.), eo febris acutior eſt.

92. Corollarivm II. In febribus particulae actiuae ſanguinis, vt olea, ſalia volatilia, nec non terra creſcunt in dies vsque ad declinationem, deinde vero decreſcunt. Lymphae vero et ſalis fixi proportio, creſcente morbo, decreſcit, poſt declinationem, ſeu in conualeſcentia creſcit (87 - 90)

93. Corollarivm III. Non ſubigitur ſolum, atteriturque ſanguis a febrili motu moderato, verum ratione caloris et extricationis ſalis volatilis, reſoluitur, et aptus euadit ad circulandum per vaſa minima (90.)

Praxis generalis Febrium.

94. „Medicus naturae miniſter et interpres, ſi naturae non „obtemperet, naturae non imperat; origines namque morborum „et cauſſae longae abſtruſiores ſunt, quam vt humanae mentis „acies eo vsque penetrare poſſit, ſaepiusque natura nouum opus „exorditur, vbi conatus noſtri deſiere. *Baglivi pag.* 1.

95. „Dictat ratio morbum, quantumlibet eius cauſae (*noxiae et* „*occaſiones*) humano corpori aduerſentur, nihil eſſe aliud, quam „naturae conamen, materiae morbificae exterminationem, in „aegri ſalutem omni ope molientis. *Sydenham, pag.* 19.

96. Alia ſunt ſymptomata, quae debentur materiae morbificae, et prauae fluidorum ſolidorumue diſpoſitioni; et ea ſunt ſymptomata materiae morbificae, quae ſemper natura duce ſunt impugnanda, vt frigus febrile; alia ſymptomata, quae conatibus naturae debentur, et ea ſunt in debito tenore ſeruanda, „idque „potiſſimum incumbit Medico, vt naturae conatus torpentes ex- „citet, viuidiores moderetur, debite procedentes nequaquam tur- „bet,“ quoties deſunt methodi longo vſu confirmatae, vel ſpecifica auxilia, quae materiam morbificam alio modo, quam quem natura ſequitur, corrigere valent.

97. Natura hoc tantum poteſt, vt ſcilicet materiam morbificam in vaſis, 1°. vndequaque premat et coërceat; 2° dein vero calore intenſo, motu putredinoſo incipiente, dilutione concoquat, reſoluat; 3° vel vt vaſorum iterata oſcillatione, et musculorum accumbentium niſu, diuidat, atterat; demum 4° vt perſpiratione, diarrhoea, ſudore, ptyaliſmo, ſuppuratione, diureſi, materiem coctam eliminet.

98. Ars vero non naturae ſolum miniſtrare debet, eique obſecundare; ſed in multis etiam caſibus materiam morbificam ita mutare, et corrigere, vt eam deinceps natura facilius expellat; itaque quod ſola natura non praeſtat, ars praeſtat. Sic methodus naturae, ante corticis Peruuiani inuentum, erat fere vnica, quam ſequi poſſent Medici; eaque in generalibus remediis, deinceps materiae febrilis praeparatione, coctione, et demum expulſione conſiſtebat; verum ea molimina non, niſi poſt longum tempus, adeoque cum taedioſo et periculoſo aegrotantis cruciatu peragebantur; tandem inuentus cortex Cinconae vel Kinae, qui materiem febrilem fluxilem, innoxiamque facit, vaſisque robur et tonum conciliat, vnde ſine ſenſibili euacuatione, correcta materia, febrilis conatus ceſſat, ſeu febris ſanatur.

99. Itaque dictat ratio, vt quoties deſunt apta, certaque medicamina, quorum actione ſpecifica corrigi poſſit materies morbifica, naturae molimina ſecundemus; quando vero adſunt, his appoſite adhibitis, naturam a conatibus liberemus, verbo, vt naturae materiam morbificam vel corrigere, vel expellere, geſtienti manus auxiliatrices porrigamus.

100. Prima indicatio eſt, vt potentiam labore aſſiduo exhauriendam pro virili, paſtu et quiete, conuenientibus, reſarciamus, ita, vt, quo morbus breuior futurus eſt, eo minori, parciorique nutricatu aeger indigeat, paululum largiori vero, quo diuturnior praeſagitur.

101. Verum quoniam cibi ſolidi digeſtionis primae, ſeu in primis viis, et ſecundae, ſeu in viis circulatoriis, praeparationem et proinde laborem expoſtulant, vt ſoluantur; atque cum virium impenſa in organis vitalibus roborandis ſit neceſſaria, nec proinde in alias partes temere deriuanda, dictat ratio, vt eſculentis, coctis ſeu liquidis, vtamur in febribus, eoque magis ſucculentis et eupeptis, ac copioſis, vel repetitis, quo mor-

bus diuturnior; tenuibus vero aqueis, blandis, raris et parcis, quo breuior futurus praeuidetur.

102. Et quoniam ex obſeruatis ſanguis initio febrium ſpiſſitudine, deinceps vero acrimonia peccat, ſitisque et calor aegrum diuexant, neceſſe eſt, vt potus ſit diluens et reſoluens initio, dein vero demulcens et refrigerans, isque copioſus, vt hiſce omnibus indicationibus fiat ſatis.

103. Vires in motu muſculari abſumuntur, verum illae ad cordis pectorisque motum vtilius adhibentur, adeoque natura duce a motibus artuum liberis aeger abſtinere debet, quod non aptius praeſtabit, quam ſi tacitus, pacatus, horizontaliter, iaceat.

104. Verum docet obſeruatio, intellectus operationes, vt attentionem, ſtudium, reflexionem, nec non ſenſationem, memoriam et imaginationem, exerceri non poſſe citra virium abſumtionem, vt patet ex laſſitudine inde oriunda; adeoque cum viribus parcendum ſit, febriens ab hiſce mentis operationibus, pathematiſque abſtineat, omnia negotia dimittat, niſi quae ad menti tranquillitatem conciliandam neceſſaria ſunt; lucem, ſonum, contactum, ſaporem, odorem, viuidiores, fugiat.

105. Si tamen exercitia mentis et corporis ad materiae morbificae attritionem et correctionem apta videantur, tunc temporis non vigente, ſed intermiſſa, febri, aut prophylactice ante exortum febris adhibeantur; quod ad intermittentes profuiſſe docuit methodicorum et gymnaſticae cultorum experientia.

Sic praeſcripta diaeta et gymnaſtica, ad auxilia generalia, et chirurgia et pharmacia petita, deueniendum eſt, ideoque generalia vocantur; quod in omnibus fere morborum, potiſſimum acutorum, generibus, initio videantur neceſſaria, ea ſcilicet, quae plethorae et cacochiliae medentur.

106. Omnes fere homines, potiſſimum laute, et opipare viuentes, ac pigritiae et deſidiae deditos, multo magis, quam ad ſanitatem neceſſarium eſt, ſe cibo, potuque ingurgitare, docet obſeruatio; hinc vero, vt plus ſaburrae in primis viis, plusque ſanguinis et humorum cumulentur, conſequitur.

107. Aſt accedente febri metus eſt, ne materies, in primis viis contentae, deriuato in organa vitalia fluido nerueo, proindeque debilitato ſtomacho, indigeſtae, mora vel fermenteſcant, vel putreſcant, vel ad ſui coctionem naturam ſtimulent, adeoque a negotio febrili auertant, vel demum in ſanguinem crudae et

dyſpeptae deducantur, atque nouum naturae negotium, et materiae morbificae praeſidium afferant. Vnde initio morborum natura ſaepe viam a Medicis ineundam indicat, tum cacoſitia et anorexia cibum ſolidum vetantibus, tum nauſea, cardialgia, vomitu et diarrhoea ſaburram eliminantibus, atque ſuadet, vt ipſi per cathartica, emetica, clyſmata, opitulemur: in morbo digeſtiones languent, recrementa in primis viis congeruntur, adeoque eo terminato ſaburra ſenſim collecta eliminanda eſt atque aeger repurgandus.

108. Sed moles ſanguinis ſana maior vires cordis incaſſum abſumit et praegrauat, maxime cum ſanguis maiori velocitate circumducendus eſt; verum, muſculi cordis, pauciori ſanguine infarcti, ſuos motus expeditius exſequentur, et ex illa velocitate ſanguinis ſpiſſitudo facilius reſoluetur, atque ob hunc finem multiplicem ſanguis initio febrium acutarum mittendus eſt, quantum ex vaſorum plenitudine adaucta excedere videtur.

109. Docet autem obſeruatio, miſſo ſanguine, naturam ſaepius vomitionem, aut diarrhoeam, ciere, ſeu ad auxilia generalia (105) expeditiorem eſſe, adeoque ea duce et auſpice ſatius eſt in genere phlebotomiam catharſi, quam catharſim phlebotomiae, praemittere. [Quis emeſis et catharſis ſaepe, absque metu congeſtionum, inflammationis, niſi venam ſeces, inſtitui poſſunt.]

Inſtitutis auxiliis generalibus, iam ad ea, quae febrium ordo, quae genus, et quae ſpecies, exigunt, deueniendum eſt. Vt autem in infinitis numero caſibus, quos offert praxis, quo pacto ſe gerere debeat Medicus palam fiat, praemittenda ſunt theoremata generalia, quae a medicae artis principibus longo uſu confirmata fuerunt.

Regulae Practicae.

110. *Contraria contrariis tolluntur.* Contraria dicuntur, quae in eodem ente ſimul eſſe nequeunt, vt calidum et frigidum, tenſum et flaccidum, motus directio in orientem ſimul et occidentem ſeu in plagas oppoſitas, quies et motus cet. Cum autem curare ſit idem, ac morbi cauſſas tollere, cum contrarius morboſo inducitur ſtatus, primus curatur, adeoque contraria contrariis curantur. Vt autem contraria eligantur auxilia, prius cauſſa morbifica eſt recte cognoſcenda, et diſtinguendae cauſſae a principiis.

111. *Sublata cauſſa tollitur morbus.* Nullus enim eſt effectus ſine cauſſa, ſed omnis morbus eſt mutatio euidens facta in homine, adeoque eſt phaenomenum, ſeu effectus, cuius cauſſa eſt ratio ſufficiens, cur ipſe actu exiſtat: cum itaque nihil ſit ſine ratione ſufficiente, ablata cauſſa morbi, tollitur morbus: aufertur vero cauſſa morbi poſitis in eodem loco eius contrariis.

Methodus medendi eſt ars inueniendi et diſtribuendi auxilia, quibus aegritudo tollatur, ſeu quae cauſſam morbi tollunt; et illa concluſio ſeu inſinuatio, quod morbi cauſſa per contraria ſit auferenda, vocatur *indicatio*, quae fruſtra, obſeruante *Pitcarnio*, diuiditur in *prophylacticam*, *curatoriam*, *vitalem et ſymptomaticam*, prout tollendae ſuadentur morbi cauſſae, morbus ipſe, virium debilitas et morbi ſymptomata. Cum enim ſublato morbo tollatur neceſſario cauſſa, cuius eſt effectus, et tollantur ſymptomata, quorum concurſus eſt morbus ipſe, indicatio curatoria eſt ſimul prophylactica et ſymptomatica: verum ipſa debilitas ſymptoma eſt, adeoque ſublato ſymptomatum concurſu ſeu morbo, vires ipſae ſeruantur et réſtituuntur, vnde fruſtra vitalis indicatio a curatoria ſeparatur. [Non ſatis rei appoſite haec enunciata ſunt. Quamuis ſaepiſſime vera ſint, interdum tamen, aut vrgentibus ſymptomatibus prius occurrendum eſſe, quam cauſſam, morbumue impugnes, medici recte docent, aut aegrotorum inſtans deſiderium efflagitat, vt ſic procedat medicus, aut prophylactice medicus poteſt in morbo, cuius decurſum perſpicit, noua alias exoritura ſymptomata auertere, aut criſes feliciores quaſi praeparare, rel. cf. etiam num. 113. a. f.]

112. *Ablatis morbi principiis non neceſſario tollitur morbus*, ſed ablata cauſſa neceſſario tollitur; cum itaque his poſitis morbus tantum poſſibilis ſit, ſed non exiſtat neceſſario, datur aliud, ex quo morbus exiſtit, ſcilicet cauſſa, qua perſtante, perſtat morbus; ergo ſublatis principiis, ſi perſtet cauſſa, morbus non tollitur. Vanum eſt itaque, principia, ſeu cauſſas, vt aiunt, remotas, tollere, niſi in quantum horum ablatione opus eſt, ut cauſſa tollitur. Granum arſenici vellicat ventriculum, inde natura monita conatur per vomitum hoc venenum expellere; cauſſa vomitus eſt determinatus ille naturae conatus, quo ventriculus ſufficienti vi et directione apta contrahitur, vt per oeſophagum et os contenta expellat. Sublato conatu tollitur vomitus, verum quamdiu eſt venenum in ventriculo, huiusce conatus principium,

ex ſympathiae legibus Naturae vires ſuperſtites vrgentiori huic malo occurrent, adeoque conatum vomitorium efficient; ergo vt tuto tollatur vomitus, eius principium eſt remouendum prius, deinde ſedandus per narcotica dolor ventriculi, viresque per analeptica reficiendae.

113. *Ablato principio, quod naturae conatus determinat, vtplurimum naturae conatus, atque morbus, qui huius effectus eſt, ceſſat.* Hoc principium eſt *occaſio* morbi, quam idcirco noſſe, noſtra refert quam maxime, et quam pro cauſſa habent Medici, quaſi conatus naturae huic principio foret neceſſario connexus. Verum hallucinantur illi, quod principium cum cauſſa confundant, et quod ex principio naturae conatus mechanicâ neceſſitate fluere contendant. Huius erroris exempla praebet febris theoria, cuius quidem principium eſt ſaepius obſtructio a ſanguine viſcido; ſed tantum abeſt, vt haec obſtructio mechanice febrim inducat, quin e contra per ſe pulſum tardiorem, rariorem, et minorem inducit, atque niſi natura vires cordis in maiori ratione intendat, quam qua ab hiſce obſtructionibus abſumuntur, pulſus naturalem magnitudinem et frequentiam attingere nequeat.

In hoc caſu prima indicatio eſt, diſtributionem virium inaequalem mutare in ſanam; verum natura morborum medicatrix hoc ſolum praeſtare poteſt, adeoque hoc tantum Medico agendum incumbit, vt occaſionem, quae naturam ad hanc inaequalem fluidi neruei diſtributionem determinauit, auferat. Auxilia vero viſciditati ſanguinis contraria ſunt diluentia, ſoluentia, attenuantia, cet: adeoque ſecunda indicatio fert, vt ea auxilia, quae occaſionem morbi debellant, adhibeantur; verum quoniam natura morbis medetur, quando occaſiones ſublatae ſunt, atque ad hoc, vt ſcopum ſuum poſſit attingere, ea viribus continuo indiget; vires autem paſtu, quiete, ſomno reparantur: huic indicationi, quam vitalem vocant, continuo ſatis eſt faciendum diaeta et gymnaſtica conuenientibus. Symptomata natura *vrgentiora* excitat, quoties pars quaedam cauſſae (noxiae) vrgentior eſt; adeoque vt vrgentiori occurrat Medicus, iuxta prudentiae leges, ſymptomatis vrgentioris cauſſam debet ſtatim aggredi: atque ſic indicationes quae primariae ſe menti ratiocinantis Medici offerunt, ſeu quae petuntur a morbo integro, vltimo ſaepe loco ſunt adimplendae.

114. *Auxilia, quae ſibi mutuo omnino contraria ſunt, inutilia ſunt*, et quae partim ſibi ſunt contraria, tantum valent, quan-

tum vis vnius excedit vim alterius. Sic ſi aeger refrigerandus ſit, quod decem aquae frigidae cyathi praeſtare poſſunt, additis totidem aquae calidae cum frigida cyathis nihil efficitur, niſi diluendo, quod non agendum proponitur; et ſi doſis calidae excedat quinque cyathis frigidam, aeger calefit hoc toto exceſſu; ceteri oppoſiti ſe mutuo deſtruunt, adeoque inutiles vel damnoſi ſunt: hoc non aduertunt illi, qui medicamenta ſimplicia contemnunt, et ea inepte et inopportune combinant. Legi meretur hac de re *Boyle de ſimplicium medicaminum praeſtantia diſſertatio.*

115. *Natura eſt morborum medicatrix, Hippoc. et ſanitatis tutrix Galeno.* Natura etenim eſt facultas, quae ciet in nobis motus ad longuaeuitatem moraliter neceſſarios, vt omnes aeui ſenſerunt Medici. Illa vero ope fluidi neruei et muſculorum, vel membranarum, motus illos exſequitur, partim a viribus ſeu fluidi neruei copia, partim ab organorum ſtructura et ſitu determinatos; ea enim cogitur vti inſtrumentis corporis, qualia ſunt, vt muſicus vtitur tantum clavicymbalo quale eſt, adeoque limitatos quoad vim, et coactos quoad organorum ſitum et figuram, motus exſequitur natura; cuius agendi modum, leges, fines, errores, exceſſus, languores et impetus nemo melius intelligit, quam qui in ſemetipſo pathemata animi ſedulus obſeruauit; ea ſiquidem animae ipſius rationalis eſſe conatus ad bona confuſe percepta admouenda, mala vero potiſſimum moralia remouenda, facile quisque concipiet. Attamen hos pathematum impetus eſſe rationi ſemper conuenientes, nemo conceſſerit: atque e contrario docet philoſophia, eos eſſe intra iuſtos limites continendos, adeoque nunc excitandos, nunc frenandos.

Idem de naturae conatibus morboſis dictum puta; licet etenim ratione finis ſemper ſint ſalubres, euentu tamen ſunt vel debito fortiores, vt cum natura irritantibus ſtimulatur: vel debito languidiores, vt cum narcoticis laxantibusue ſenſus obtunditur; inordinati, cum intellectus ipſe metu, ira, deſperatione, vel alio modo, agitatur.

116. Vnde *hoc potiſſimum incumbit Medico,* vt naturae conatus effraenes *coerceat, languidos excitet, inordinatos dirigat,* vti docet *Sydenham.*

117. *Natura non ſtimulata monſtrat medentibus qua via ſit ineundum. Galen.* In morbis potiſſimum acutis Medici ſapientes, ſi naturae ſcopum in his non recte cognouerint, cunctari debent,

et naturae finem, tendentiam, conatus inueſtigare ac obſeruare, neque interea medicamina turbantia interponere.

118. *Quo natura vergit, eo ducendum eſt per loca conuenientiora: Hippocr.* Natura autem vt plurimum ducit materiem morbificam ad colatoria, vt oris, inteſtinorum, veſicae, cutis, narium, vteri, cet. Si vero huius conatus propter organorum, vel fluidorum vitium alio dirigantur, vt in cor, lienem, cet. vbi nulla ſunt colatoria, *imo ſi fortius* in pulmones, hepar, cerebrum huius conatus dirigantur, *oportet, Medicum naturae motus animaduertere, et ſiquidem idoneus fuerit, ſubminiſtrare et adiuuare; ſin autem contrarius ac noxius, prohibere, transferre ac diuertere, Galen.* aphor. 21. ſect. 1. *quae vero integre iudicantur et iudicata ſunt, neque mouere, neque nouare aliquid ſiue medicamentis ſiue aliter irritando, ſed ſinere, Hippocr.* aph. 20. Sect. 1..

119. Prima intentio in morbis eſt, materiam morbificam coctam per vias ordinarias, et loca proximiora amandare; aſt ſi nullae ſint, aut non ſint liberae viae, tunc eas ſibi cudit natura, vnde haemorrhagiae et ſuppurationes. „Natura vbi plurimum a „morbo (id eſt materia morbifica) ſuperatur, ne certare quidem aduerſus morbum aggreditur: *Galen.* 3. de criſib. cap. 9.

120. „Naturae motus ordinati, determinatique ſunt, vbi „valida eſt et materiae dominatur, propriaſque perficit opera„tiones; indeterminati, inordinati et incogniti, ſi quando ſuc„cumbat: *Galen.* lib. 3. de criſib. cap. 10. et lib. 2. de diebus decretor.

121. „Natura, animalium ſeruatrix et morborum finitrix ac „decretrix, quod conueniens eſt, ſeruat, quod alienum eſt, ſeparat: *Galen.* lib. de facult. natur.

122. Naturae tria opera, quae ſe conſequuntur in morbis, *concoctio, ſecretio et vacuatio* 4. aphor. comment. 22. et 23: ipſa ſibi vias amplificat non cogitatione, partim vero vt conniuere, ſcalpere, pandiculari, oſcitare, tuſſire, ſingultire et id genus alia, quaeque inerudita natura et indocta, quae opus ſunt, efficit: Epidem. *Hipp.* l. VI. *Galen.* comm. 11.

123. Natura paulatim interdum operatur, quae fieri non poſſe videntur. *Galen.* 7. aphor. comm. 56.

124. Hiſtoriam morbi ſpecialis curandi perſpectam habere, nihil eſt in praxi praeſtantius. „Si morbi cuiuslibet hiſtoriam „diligenter perſpectam haberem, par malo remedium numquam

„non ſcirem adferre, variis eiusdem phaenomenis, viam qua mi-„hi incedendum foret, haud dubiam praemonſtrantibus. *Syden-„ham* Praefat. *pag.* 10. in febrium cura opus eſt ſpecierum accu-„rata diagnoſi, quae fruſtra quaeritur apud Neotericos.' *Stahl.*

125. „Ignorata morbi ſpecie, indicatio a iuuantibus et lae-„dentibus ſumenda nobis ſaltem relinquitur: cuius ope viam pau-„latim praetentantes aegrum in tuto poſſimus collocare, modo ne „nimis properemus; qua quidem feſtinatione nihil ego quic-„quam exitialius eſſe autumo, nec re vlla alia febricitantium plu-„res vita ſpoliari: *Sydenham.* anaceph. *p.* 158.

126. Perfecta et integra eſt indicatio, in qua cuncta bene procedunt; primo melior eſt criſis, quae fit per euacuationem conſuetam, quam quae per abſceſſum; ſecundo per quam humor noxius et abundans, quam per quam alter euacuatur: tertio quae recto tramite, quam quae non recto, procedit: quarto poſt has, quae facile toleratur: demum quae cum coctione fit: *Galen. in* aphor. 20. ſect. 1.

127. *Quo magis iam proceſſit methodus certa naturae, eo minus tolerat interturbari. Stahl.* caſual. min. *pag.* 373. adeoque, vt monet *Hippocrates*, ſi quid mouendum eſt, initio moue. [Et hic regulae dantur exceptiones v. g. Saburrae turgor praecedat motum.]

128. *Qualis eſt homo in moribus, talis eſt in motibus naturalibus, et tanto magis, quo magis eſt vrgens negotium; Stahl.* Id docet experientia in ſenibus v. g. et viris, pacate negotia moralia pertractantibus; pacate vtplurimum et ordinate procedunt labores morboſi: in iunioribus, petulanti et viuido ac tumultuario ingenio praeditis, tumultuarie viuideque procedunt febrilia molimina; in feminis timidis, et quae animo leui de cauſſa perturbantur, conamina naturae debilia et tremula, ac inordinata ſaepe videntur.

129. In morbis quodlibet ſymptoma indicat auxilium ipſi contrarium et exigit; ſic in febre calor indicat refrigerantia; frequentia pulſus ſedantia; velocitas ſanguinis motum compeſcentia; acrimonia fluidorum demulcentia; ſiccitas et ſitis diluentia, humectantia; oris ſordities, ventriculi pondus, nauſeae, cardialgiae indicant emetica vel cathartica; debilitas muſculorum analeptica, cet. [Non poſſum hanc practicam regulam ſinere, niſi aliqua ſaltem adiiciam, eo lubentius, quo in eo multi peccant, inuiti

ſorte, inſciiue. *Primo* enim non omne ſymptoma ſui ablationem iubet, v. g. febris apoplexiam ſolutura, ſec. *Hipp.* comparens merito toleratur, adeoque *addas* ſaltem; niſi ſponte cedat cum morbo, nec morbum ſoluat facile, ſed vrgeat potius. — *Deinde* non ſemper ad remotionem ſymptomatum contrariis opus eſt: quis enim in vomitu febris gaſtricae, quantum vis acidum, dentes ſtupefaciens reiectum fuerit, antacida adhibebit, dum remotis ſordibus acida potius conueniant? — Quis in febri varioloſa in ſubiectis debilioribus, aut neruoſis ibi occurrentibus ſymptomatibus, calorem refrigerantibus arcebit? rel.]

130. Quo plura ſunt ſymptomata morbum conſtituentia, eo pluribus eſt ſatisfaciendum indicationibus; atque quo plura ſunt ſimul negotia perpetranda, eo maior diligentia, ſagacitas, prudentiaque requiritur, adeoque eo ſaepius errores admittuntur, ſeu maior eſt difficultas: niſi Medicus ſagax ſit, et in medendo exercitatus, atque niſi ſingula ſeorſim ſymptomata apprime diſtinguere et impugnare didicerit, is ſymptomata, ſimul coniunctimque irruentia, difficile debellabit.

131. Quodlibet medicamentum vires habet diuerſas in vnum aggregatas: ſic ipecacuanha eſt eximium adſtringens et emeticum; manna catharticum, bechicum, diureticum; nitrum refrigerans, diſſoluens ſanguinis, diureticum; adeoque vno eodemque medicamine pluribus ſimul ſymptomatibus mederi poſſumus, modo recte ſymptomatum principia et varias medicaminis vires ipſis oppoſitas cognoſcamus, in quo magna requiritur Medici ſagacitas et peritia. Calor v. g. creſcit a viſcoſitate ſanguinis, ſolidorum tenſione, fluidorum et ſolidorum motu velociori, niſu fortiori, ſtragulis denſioribus, alimentis ſalitis, aromaticis, cet: adeoque apprime diſtinguendum eſt, num datus calor compeſci debeat per diluentia, vel per laxantia, per ſedantia et anodyna; vel per debilitantia, vt phlebotomiam, catharſim, an ſtragula ſint remouenda, an demulcentia, diuretica praeſcribenda, prout principia caloris diuerſa ſunt.

132. Quo pluribus ſimul ſymptomatis, vel indicationibus, ſatisfacimus, eo melius eſt. Sic in pleuritide quoniam miſſione ſanguinis ſedatur dolor, minuitur calor, compeſcitur tuſſis, ſubleuatur difficultas reſpirandi, febris remittitur; e contrario vero fotubus extus applicatis tantummodo alterutrum ex his ſymptomatibus debellatur, tanto ſatius eſt, ſanguinem mittere, quo pluribus

ab hoc auxilio ſymptomatis medemur; in dyſenteria, data ipecacuanha, ſaburra ſtomachi aufertur, vis ipſius tonica reſtituitur, vaſa inteſtinorum hiulca conſtringantur, aluus conſtipatur, adeoque pluribus ſimul ſatisfit indicationibus; adeoque aliis auxiliis illud eſt anteponendum.

133. Cum duae indicationes adimplendae ſimul ſe offerunt, ambabus ſimul eſt ſatisfaciendum, nec vna dimittenda, vt altera tantum impleatur, modo vtrique ſatisfacere ſimul ſit poſſibile. Sic ſi apoplexia a ſaburra pendens curanda ſit, quoniam ſenſus et motus priuatio indicat ſtimulantia, ſanguinis viſcoſitas et lentor attenuantia, ſaburra ventriculi euacuantia, cet, non ea ſeorſim vſurpanda ſunt auxilia, ſed ſimul vno emetico tribus indicationibus ſimul ſatisfaciendum.

134. Cum duo auxilia ſimul indicantur, quorum vnum alteri ſymptomati confert, nullatenus vero aliunde nocet; aliud vero vnum ſymptoma quidem minuit, ſed alterum auget, illud eſt anteponendum auxilium, quod minime nocet. Sic in phthiſi bechica calida puris expectorationem iuuant, ſed feruorem pectoris intendunt, bechica vero incraſſantia expectorationem tantum promouent, nec pectoris feruorem intendunt, adeoque vi illius regulae poſteriora prioribus ſunt anteponenda.

135. Si auxilia ſibi mutuo repugnant, inquirenda ſunt alia, quae ſe mutuo non deſtruant. Obſtructum hepar indicat incidentia, acrimonia ſanguinis indicat incraſſantia, haec auxilia ſibi mutuo repugnant: ergo ſe mutuo deſtruunt; confugiendum itaque ad diluentia, quae acrimoniam ſimul et viſcoſitatem minuunt.

136. Cum duae diuerſae indicationes adimpleri ſimul nequeunt, tunc vrgentiori eſt occurrendum: eo vrgentius eſt ſymptoma, quo nobilior, ſeu magis ad vitam actualem neceſſaria, eſt functio laeſa; ſic ſyncope magi vrget, quam anorexia; ſi itaque anorexia indicet cathartica, quae ſyncopem valeant inferre, et ſyncope cardiaca, quae anorexiam intendant, praeſtat in hoc caſu, ſyncopem curare, et anorexiam negligere. Si vnum ſymptoma pendeat ab altero, ſymptomati primitiuo ſatius eſt occurrere, quam deriuatiuo. Sic ſi quis ideo vomitu laboret, quia cibos faſtidit, cacoſitia eſt ſymptoma primitiuum et vrgentius. Si vitium, quod cinchonae cortex ſeu kina corrigit, originem praebeat calori febrili, ille cortex, licet exſiccet, palato me diſpliceat, indicatur ab hoc

vitio vtpote vrgentiori. Si vitium ſit principium continuum ſymptomatis, illud eſt vrgentius, quam ſi ſit principium interpolatum.

137. „Si morbus componatur ex pluribus ſymptomatis di„uerſi generis, poteſt ille referri ad quoduis genus; ſed referri „debet ad illud genus, ad quod pertinet *ſymptoma vrgentiſſi„mum;* vrgentiſſimum dicitur illud ſymptoma, quod minori „tempore ſolet mortem afferre, vnde patet dolorem non eſſe „ſemper vrgentiſſimum ſymptoma, vt in phlegmone.“ *Pitcarn. de diuiſione morborum.*

Optima therapeiae methodus ea eſt, quae vitia ſimplicia, eorumque ſymptomata ſeorſim (cognoſcenda et) medicanda exhibet, qualem ferme in *aphoriſmis* ſuis ſecutus eſt *Boerhaaue*, quos itaque rite cognitos ſupponimus. Sic cum in febris ſint frigus, calor, ſitis, nauſea, dolor capitis, laſſitudo, pulſus relatiue fortior, cet, quid ea ſint ſigillatim ſymptomata, quibus principiis debeant adſcribi, cuinam cauſae tribui, prius intelligendum eſt; mox quaenam ex illis principiis diuerſis eiusdem ſymptomatis concurrant in febri diſtinguendum, vt factum videmus *Diſſertation ſur la cauſe de la fiévre jointe à l Haemaſtatique.* His cognitis inquirenda eſt horum ſymptomatum connexio, ſucceſſio, energia; perſpiciendum eſt, quodnam vrgentius ſeu *primitiuum*, quodnam *deriuatiuum*, ſeu ab aliis pendens, atque auxilia vrgentiori et primitiuo contraria ſunt applicanda, quae eo meliora et magis ſpecifica erunt, quo propter diuerſas ſuas vires pluribus ſimul diuerſis vitiis debellandis erunt aptiora. Sic in ſynocho putri infuſum ſennae materiem febrilem bilioſam viſcidam expurgando praeſtat, quia ſaburram ſanguini inſpiſſando aptam detrahit, ſtomachum ex hac ſaburra grauem, et nauſeabundum liberat, fluidorum inteſtinalium ſecretionem, adeoque vberiorem ſanguinis depurationem promouet, hinc liberiorem facit in his viſceribus circuitum; vermes ſi adſint, enecat; bilis excretionem adiuuat; putrefactiones et inde oriundos meteoriſmos praeuertit, cet.

Praxis febrium generalis.

138. Auxilia *frequentiae pulſus* ea ſunt, quae eius occaſionem remouent. Sic cum ideo pulſus eſt frequens, quia vires ſunt exhauſtae, vt in conualeſcentibus, euacuatis, haemorrhagias paſſis, analeptica et reficientia conueniunt.

139. Si ideo pulſus ſit frequens, quia natura, ſubito terrore perculſa, fluidum nerueum retinet, et non ſatis diſtribuit, auxilia moralia metum diſcutientia tantum proſunt.

140. Si reſiſtentia, circulationi oppoſita, hos conatus excitat, operae pretium eſt, vt haec tollatur, atque in hunc finem diuerſa ſunt auxilia prout diuerſa eſt reſiſtentia: nam ſi ſanguis 1° cordi reſiſtat mole ſua, ſeu plethora, tunc abſtinentia et phlebotomia remedia ſunt. Si 2° viſcoſitate, et vt aiunt, ſiccitate peccet, nimiosque affrictus creet, diluentia et humectantia primas tenent. Si 3° propter moram et vaſorum inertiam ſanguis concreuerit, vt in patella accidit, adſtringentia amara, chalybeata, atque maxime cinchonae atque caſcarillae cortex mira praeſtant. Si 4° ideo ſanguis difficile vaſa tranet, quod acrimonia quauis muriatica, vt in ſcorbuto; putri, vt in ſynochis: venenata, vt in peſtilentibus; cadaueroſa, vt in ſphacelo; purulenta, vt in phthiſi, cet. vaſa vellicet, moleſtet et in contractionem prouocet, tunc antiacria, edulcorantia, vel cathartica, vel antiſeptica, vel diaphoretica pro re nata conueniunt. 5° Si ſaburra e primis viis ſuppeditata, vel frigus vel miaſma ſanguinem inſpiſſauerint, nunc cathartica, nunc ſoluentia, nunc diaphoretica ſunt in vſum aduocanda. 6° Si ſpaſmo hyſterico conſtricta ſint vaſa, vel dolore criſpata, tunc optima febrifuga ſunt, quae vaſa laxant, et dolorem ac ſenſibilitatem minuunt.

141. Intereſt non raro maxime, vt circulatio ſanguinis ſolito magis acceleretur, quoties ſcilicet promouenda eſt vberior miaſmatum ipſi confuſorum ſecretio, et excretio, purulentae materiei per data cola euacuatio, quam neceſſitatem natura perſentit ex obſcura quadam moleſtia; atque ea moleſtia motiuum eſt intendendae pulſus frequentiae citra vllam vel fluidorum ſpiſſitudinem, vel vaſorum anguſtiam, atque in hoc caſu ſubſequens perſpiratio, ſudor, diarrhoea, vel puſtularum, exanthematum eruptio febri medetur, niſi nouus, vt in purulentia, ſuppeditetur continuo fomes, vel materia moleſtans.

142. Quandoque vero naturae conatus eo vergere videtur, vt nouum dilatetur colatorium, vel fluidi, alicubi contenti, diſſolutio per calorem febrilem promoueatur; ſic puerperis dilatanda ſunt vaſa mammarum gallactophora, vt recens nato pabulum paretur; glandulis impactus humor eſt ſoluendus, dentes extrorſum

trudendi, vaſa ad incrementum corporis ſunt explicanda, immutanda conſtitutio, atque tunc febris naturae ſoli committenda.

143. Ex his autem ſequitur, quod illi errent, qui vel ſemper ſaburram pro occaſione febris incuſent, licet et frequenter concurrat, vel qui ſanguinis ſpiſſitudinem aſſiduam febris comitem eſſe pronuncient; in hoc autem Medici ſagacitas elucet, quod diuerſa febris principia, hic recenſita, ab inuicem diſtinguat, ſicque conuenientia, quae ſponte patent, cuique caſui aptet auxilia.

Frigus Febrile.

144. Frigus eſt proportionalis: 1° quantitati partium ignearum, quae auolant, et 2° duplicatae earum, quae remanent, tarditati. Senſatio vero eo intenſior eſt: 1° quo maior eſt refrigeratio; 2° quo minus aſſueta, aut velocius calori ſuccedens; 3° quo ſenſitiua facultas, ſeu ſenſibilitas, maior.

145. Quantitas partium ignearum eo maior e corpore noſtro auolat: 1° quo corpora ambientia nobis frigidiora ſunt; 2° quo denſiora corpori noſtro applicata frigida; 3°, quo ſaepius auſertur calida et halituoſa, quae nos ambit, atmoſphaera; verum ea non eſt refrigerationis febrilis origo.

146. Tarditas particularum ignearum corpori inhaerentium eo maior euadit; 1° quo radix virium, ſanguinem et fluidum nerueum propellentium minor eſt: Sic ſi fluidum nerueum et ſanguis quadruplo debilius promoueantur, duplo tardius mouentur particulae igneae ipſis confuſae, vnde frigus quadruplo maius. 2° Eadem tarditas creſcit in ratione ſubduplicata reſiſtentiae, ſanguini fluidoque nerueo oppoſitae: vnde, ſi reſiſtentia ſit nouies maior, triplo tardius mouentur igneae particulae, et frigus nouies maius exſurgit, atque ex his duobus principiis potiſſimum eruendum eſt frigus ſpontaneum.

147. 1° Si morborum initio natura fluidum nerueum in artus parcius immittat, eo fine, vt in motum organorum vitalium reſeruetur, [Apprime congruentis hic memini obſeruationis, qua vidi iuuenem hypochondriacum XX. ann. admodum phlegmaticum, ad omnia ſua aliorumque eumdem, interdum haemoptoicum leuiter, ad me, corporis exercitio paululum defatigatum accedentem ita ad ſenſum friguiſſe, vt thermometron, quod atmoſphaeram indicans 15 gr. Reaum. indicabat, illius manubus trade-

rem, quo per aliquot tempus detento, detracti a frigido homine erant 5° caloris!] decreſcit illius in omnes artus et in cutim impetus, atque cum fluidum nerueum ſit ipſamet materies electrica et ignea, quae motu ſuo calorem conciliat partibus, artus et cutim refrigerari, neceſſum eſt, in ratione compoſita ex duplicata tarditatis, et ſimpla quantitatis fluidi neruei ſuppreſſi; hinc intenſiſſima frigoris ſenſatio in febribus algidis, in intermittentium inſultu, quae eo grauior, quo magis ſubitanea et inſolita.

2°. Si ſanguis vel viſciditate, vel copia, vel praua ſaburrae miſcela, vel obſtructione, aut conſtrictione vaſorum retardetur, refrigeraretur, neceſſe eſt; atque cum maior ſit tarditas in minimis vaſis, adeoque in illis, quae a corde remotiſſima ſunt, vt cutanea, tum quia vis, a corde impreſſa, partim in tractu abſumpta fuit, tum quia minima vaſa maiori affrictui ſunt expoſita, vbi ſanguis retardatus eſt, tum quia aëri frigidiori ſunt propiora, in vaſis cutaneis, et in extremis artubus, vt digitis, naſo, frigus quam maxime perſentiri debet.

148. Frigore conſtringi partes omnes membranaceas, ipſa docet manuum corrugatio, digitorum imminutio, annulorum laxitas, hieme ſuperueniens; neruei itaque ac lymphatici tubi conſtringantur a frigore febrili, neceſſum eſt, quia fluido igneo, quo dilatabantur, orbati ſunt, vnde proprio elaterio coarctantur; verum in maiori ratione decreſcit transfluxus fluidorum per vaſa minora, quam per maiora, licet proportionate conſtricta, quia orificia minimorum magis accedunt ad dimidium molecularum minimarum, quam orificia maiorum, nec poſſunt paululum decreſcere, quin diametrum minorem acquirant, quam eſt ipſa globulorum tranaturorum diameter, vnde obſtipatio; cum itaque neruei tubuli omnium ſint exiliſſimi, atque textus rariſſimi, transfluxum in illis praepediri, et calorem ex illis citius auolare, conſequitur; calor enim eo facilius e corpore quouis in vicina denſiora diffunditur, quo maior eſt denſitatum differentia: *Hamberger. de frigore morbifico*, §. XXX.

149. Medulla ſpinalis eſt origo neruorum praecipuorum, qui ad corporis ambitum diſſeminantur; qua proportione itaque in ipſis neruis retardatur fluidum nerueum, ſolidumque coarctatur, debent frigoriferae vibrationes, velut ab ſpinali medulla et dorſo procedentes, perſentiri, tum maxime cum loci mutatione, vel auram frigidam aeger captat, vel atmoſphaeram calidam ſtra-

gulis frigidis impertit, qua quidem ſitus intra lectum mutatione ita conſtringitur cutis, vt perſpiratio maxime cohibeatur: *Sanctor.* ſect. 4. aphor. 25 ſect. 5 aph. 4 cet. Ex hac neruorum conſtrictione ſtupor partium frigidarum ſatis intelligitur.

150. Cum cutis ſit fere tota neruea, vtpote tactus organum, neruique externi maxime conſtringantur, totam cutim coarctari neceſſe eſt, porosque eius eadem ratione conſtringi, ſecretionem cutaneam ſupprimi, pilos erigi, exſiccari; atque ſi ſint ibi vaſcula ſanguifera, ea ita imminui, vt vel euaneſcant, vel cruorem non accipiant, vnde pallor; vel non transmittant acceptum, vnde liuedo labiorum, digitorum, genarum: in his vero rei adiunctis accidit, vt extrema vaſcula ſudorifera obſtructa ab accedente materia ſudoris in papulas albas extuberent, vnde cutis aſpera, anſerinae ſimilis.

151. Si voluntas interea motum muſcularem artuum iubeat, cum per neruos coarctatos non, niſi exigua, traiici queat fluidi neruei copia, idem accidit, ac in illis, qui ſumme debiles et exhauſti motus inſtituunt; motus ſcilicet ſunt inconcinni, tremuli, ſemipa alytici, morulis interpolati, frequentes et debiles; aſt in artubus magis, in internis, vt corde, minus, calore in exterioribus magis imminuto.

152. Ea omnia phaenomena ex ſubitanea fluidi neruei ſuppreſſione, intra cerebrum facta, fieri poſſe citra vllam reſiſtentiam mechanicam in vaſis et neruis praeuiam ſuadere videtur, quod nobis idea quadam terribili, aut terrore ſubitaneo, commotis accidit: a ſimplici cuiusdam horrendi facinoris narratione perterritis gelidus per oſſa dimanat tremor, et horreſcimus.

153. *Horror* eſt inuoluntaria, vix oculis conſpicua, totius corporis ſucceſſio, ſenſu frigoris et conſtrictione maxillarum ſtipata. *Rigor* vero dicitur eadem ſucceſſio paulo maior, et oculis conſpicua, cum artuum rigeſcentia, et motus voluntarii maiori impedimento, atque vtplurimum maxillarum mutua colliſione, et dentium crepitatione, ſeu tremore ſpaſmodico.

154. Illi motus ab intenſo frigoris ſenſu procedunt, ſiue artus contrectati reapſe frigidiores ſint, vt in intermittentium plurimarum acceſſu, ſiue calorem Medici palpantis ratione retineant, vt in epiala videre eſt, dum aeger ſe frigidum perſentit; is tremor quandoque cohibetur a voluntate, ſi aeger ab omni vel minimo motu, a loquela, ſitus mutatione, abſtineat; ſecus mirifice

redintegratur; ſaepius vero nullo artificio a voluntate praepeditur, vsquequo calor febrilis, huic proportionalis, ab interioribus ad exteriora diffuſus fuerit.

155. Huius erethiſmi vis tanta eſt, vt ſtragulis oneroſis, imo hominibus aegro ſuperimpoſitis, per aliquot horas cohiberi non poſſit ſubſultus, adeoque muſculos artuum, vt et maxillarum, conuelli, nullum dubium eſt; ſed ad hoc, vt muſculi tanta vi conuellantur, neceſſe eſt, vt vi proportionali fluidum neruenm ad hos proiiciatur, quod cum voluntas non perpetret, ſola natura efficere debet.

156. Auxilia frigoris febrilis, manifeſta ſunt; vt enim naturae opitulemur, minuenda eſt fluidorum praeſertim ſubcutaneorum, inſpiſſatio, ſimulque vires vitales, ſi minores ſint, intendendae.

157. Minuitur fluidorum inſpiſſatio auxiliis externis et internis; externa auxilia ſunt corpora calida cuti, pedibus, manibusque admota; lintea hic praeſtant, quia cuti arctius vndique circumuoluuntur; interna ſunt potus calidi, diluentes, affatim bibendi, niſi obſtaret nauſea in tertianis frequens, iuuanda, neutiquam ſollicitanda.

158. Vires vitales intenduntur ſpirituoſis, cardiacis, aromaticis, quae tamen non, niſi vbi vires vitales exhauſtae ſunt, debent aduocari, ne ſuperato frigore calor ardentior exſurgat: aſt ſi metus ſit, ne aeger frigori ſuccumbat, vt ex pulſus exilitate et intermiſſione, ſenſuumque imminutione, iudicatur, tunc ad potiones cardiacas et ſudorificas confugiendum eſt.

Calor Febrilis

159. Eſt ſenſatio moleſta ex particularum ignearum quantitate, et impetu adauctis oriunda, quae quidem eſt proportionalis facultatis ſenſitiuae acumini, et ex parte corporis, eſt vt factum ex particularum ignearum, in dato ſpatio, quantitate, et harum velocitate duplicata, modo par ſit denſitas corporis; cum calor non a calidis admotis, ſed ab affrictu, pendet, tunc ille corporum ſeſe mutuo confricantium velocitati duplicatae, et mutuae compreſſioni, atque denſitati reſpondet, vt norunt Phyſici.

160. Caloris maxima proprietas eſt, omnia corpora rarefacere et expandere, eaque corporum expanſio caloris gradum in-

dicat, nec non eſt corporum denſitati et duritiei reciproce, atque eorum calori directe proportionalis.

Docet autem obſeruatio, expanſionem maximam ſanguinis a calore 90^{a} graduum in Thermometro Reaumuriano vix eſſe centeſimam partem ſoliti voluminis; ſed calor maximus hominis viui a cauſſa interna vix vmquam 40 gradum attingit; ergo nec ab hoc calore ſanguis vna ſui voluminis parte 200 rarefieri poteſt.

161. Principia caloris ſunt alimenta, potulenta, vel eſculenta, partibus igneis, alkalino - volatilibus, aromaticis, ſpirituoſis feta, vt ſalita, piperata, fermentati ſpiritus, actu calida; tum externa calida, vt aër aeſtiuus, inſolatio, hypocauſta, thermae, cet: nec non quae mutuum affrictum ſolidorum et fluidorum intendunt, vt vis cordis adaucta, motus muſcularis, currendo, vociferando, iraſcendo, cet. intenſius, maxime in plethorico et denſo corpore.

162. Phaenomena. 1° Diffunditur vniformiter calor per partes in ratione denſitatis, ita vt fluida, ſolidaque tum mollia, tum oſſea, ſi ſint eiusdem grauitatis ſpecificae, aequaliter caleant, ne cute quidem excepta, ſi aër frigidus arceatur. 2° Laxantur, et aliquatenus rareſcunt, partes omnes ſolidae, fluidaeque vna circiter CC parte, proindeque augmentum voluminis in ſingulis arteriis non poteſt tactu diſtingui, poteſt tamen cognoſci in artubus integris rite, menſuratis. 3° Glutinoſus quiuis humor a gradu caloris, 40um non ſuperante, fluxilior euadit, niſi ſucceſſu temporis vberius ſerum aqueum auolet. 4° Si calor natiuum ſuperet, ſenſus anxietatis et moleſtiae ſuboritur; ſi tantum adaequet, voluptas et facilitas motus accedunt.

163. Corollaria *phaenomeni primi.* 1° Si alicubi ſit ſcirrhus viſceris, licet hunc frigidum ſtatuant Scholaſtici, tumor ille in ratione ſuae denſitatis incaleſcit, tardius tamen in organis, in quibus velox eſt circulatio et magnus affrictus. 2° Cerebrum, cerebellum et medulla ſpinalis ſunt omnium viſcerum minus denſa, adeoque minus incaleſcunt ceteris; renes denſiſſimi ſunt, ac proinde magis incaleſcunt. 3° Tam exiguum eſt caloris diſcrimen in diuerſis partibus, vt exquiſitiſſimis thermometris intra viuentia animalia immiſſis, hoc diſtingui vix poſſit, et calor ille in ſtatu ſano ad 32um gradum circiter aſſurgit.

164. COROLLAR. *phaenomeni ſecundi.* 1° Omnes fibrae, tum longitudinales, tum circulares, elongantur, quae frigore et feruore decurtantur, adeoque omnes ſectiones transuerſae vaſorum et receptaculorum creſcunt proportionaliter. 2° Maior proinde libertas circulationi et ſecretioni, quae data eadem vi motrice, celeriores paululum debent euadere; ſed quanto? Hoc determinare difficillimum, ſed tamen operae pretium eſt. Si natiua orificiorum ſumma in vltimis ramis arteriae meſentericae ſit effectiue 20ª pars orificii trunci, iam vero calore euadet 19ª, quod maximum eſt incrementum, velocitas in trunco ante calorem adauctum eſt ad velocitatem adauctam, vt 19 ad 20: verum ſi creſcant fibrae circulares vna 20ª parte ſuae longitudinis, vix vna centeſima creſcunt ſectiones, ſeu orificia; ergo et velocitates in truncis. 3° Omnes pori et omnia vaſorum oſcula liberiora debent humores ſuos paulo vberius excipere; ergo perſpiratio cutanea maior, cutis mollior, laxior, capilli minus ſtricti, magis demiſſi, omnes artus paulo magis turgidi. 4° Globuli rubri ſanguinis, qui vaſa ſuae diametro congrua, tantum ſubire poſſunt, iam magis patula et lymphae recipiendae prius apta ſubibunt, vnde rubedo faciei, cutis totius; ſed arteriae ſenſibiles pari ratione debent intumeſcere, ex eo, quod laxiores factae minus reſiſtent ſanguinis preſſioni, hinc pulſus paulo maior. 5° Secretiones, quae fiunt in renibus et in ore, decreſcent in calore febrili, quia liquida per vim adhaeſionis vaſculorum lateralium ſecernenda, quando vis adhaeſionis impetum circulationis valde remiſſum ſuperat, vt patet ex Theoria Hambergeriana.

165. COROLLAR. *phaenomeni tertii.* Sanguis eo magis ſoluitur, et fluxilis euadit, quo magis recedit a frigore congelante, et a feruore coagulante, vt multiplici experimento compertum habeo: ſanguis itaque, calore febrili circa 33um gradum conſtituto, maxime ſoluitur, adeoque eius caloris ope materiae tenaces, viſcidae, quae prius haerebant in vaſis, eaque obturabant, fluxilitatem ſuam recuperant, vnde a linteis, lateribusque calidis, parti dolenti admotis, dolores a frigore orti diſcutiuntur.

Serum ſanguinis calore reſoluitur in fluidum halituoſum, expanſibile, elaſticum, vt patet ex theoria expanſibilitatis *Clariſſ. d'Alembert dans l'Encyclopédie;* atque in eo ſtatu vapor ille aëri ambienti eo fortius adhaeret, quo maior eſt temperaturae differentia, demonſtrante *Hambergero de igne;* ſoluitur itaque va-

por ille in aëre circumfuſo, exſolutus ratione grauitatis ſpecificae minoris, auolat ſurſum hieme, quoquo verſum aeſtate; hinc perſpiratio vberior, cum aër eſt electricus, frigidulus et ſiccus; parcior, cum calidus et humidus eſt, minusque electricus; aër enim quo ſiccior eſt, eo maiorem halitus humidi copiam in ſe ſuſcipit, vt ſal alkali fixum plus humidi ex aëre attrahit, quo ſiccius eſt; hinc liquet, quanti momenti ſit ad perſpirationem augendam et ſudorem abſtergendum, ſiccis linteis vti, et ab humidis veſtimentis cauere.

Sudore in declinatione caloris febrilis oborto, auferuntur humores ſalſuginoſi, excrementitii, ſaepe foetidi; ſerum enim illud eſt lixiuium ſanguinis, cui ſcilicet partes ſalinae maxime adhaerent; ſi itaque ab hac ſalſedine moleſtabatur natura, vt cum febris a ſuppreſſa perſpiratione ortum ducit, depurato ſic ſanguine morbus ſoluitur, et aeger cum ſomno, ac ſanitate redit in gratiam ſolius naturae auxilio.

Auxilia in calore febrili moderato, qui nec agrypniam, nec anxietates inducit, ab ipſa natura indicantur, ſcilicet ſtragulorum detractio et potus frigidus. Gradus caloris, qui ſuſtinetur cum euphoria, et ſine exortu noui ſymptomatis, videtur vtilis ad materiae morbificae reſolutionem, colatoriorum renum, et cutis, diductionem; vnde fit, vt eo ſedato fiat vrinae craſſioris et ſudoris copioſior ſecretio, dolorum imminutio, febris deferueſcentia.

Verum ſi calor increſcat vsque ad cephalalgiam, anxietates, aliaque ſymptomata moleſta, ſignum eſt, vel nimiam eſſe fibrarum tenſionem, nimiamue ſanguinis acrimoniam et viſcoſitatem, aut demum naturae conatus eſſe nimium validos, adeoque moderandos eſſe; auxilia vero etiam natura commonſtrat, ſcilicet phlebotomiam, ventilationem, et potum frigidulum.

Cum enim perſaepe ſaeviente febrili calore, viribus vitalibus auctis, vaſis excretoriis calore diductis, ſanguis fluxilior factus ſibi viam cudat per nares, vterum, aliaque colatoria, illaeque haemorrhagiae periculo non vacent, ſi profuſiores fuerint, ars medica debet eas praecauere, et ſupplere per moderatam, et ſi opus ſit, repetitam e brachio, vel pede phlebotomiam, quae in ipſo calore febrili ſolet celebrari: priores phlebotomiae e brachio, poſteriores e pede inſtitui ſolent, maxime ſi cephalalgia adfuerit.

Non raro accidit, vt poſt phlebotomiam, ſi ſaburra in primis viis turgeat, aeger vel vomituriat, vel aluum vbertim deponat, adeoque ſi ſaburra adfuerit, Medicus naturae opitulari debet, et ſufficienter depletis vaſis, turgentem ſaburram leni emetico ad exitum ſollicitare, et ſubſequenti die catharticum diluens e mitioribus ſub ptiſanae forma praeſcribere, maxime ſi ſaburra bilioſa, calorem fouens, deturbanda ſit; obſeruamus enim, febrilem ardorem aluo fluente feliciter temperari.

Cum calor eſt ſiccus, et mordax, acrimonia et viſcoſitas ſicca ſanguinis ſignificantur; huic vero medentur potus copioſus frigidulus ex aqua fontana cum pauxillo nitri, vel ptiſana ex limonibus, aut emulſionata, quae non aeſtum ſolum ſanguinis contemperant, verum ſitim exſtinguunt, anxietates ſedant, ſanguinem diluendo, et edulcorando.

Ventilatio eſt aurae purae frigidulae vſus, quo nihil vtilius in morbis, ſummo calore ſtipatis, modo tamen ſudoris reprimendi metus non ſit, nec ſubita magnaue ſit mutatio, aut temperaturae differentia, quae rigores poſſet excitare; in ipſis variolis *Sydenham* nihil praeſtantius exiſtimabat ad reſtinguendum calorem febrilem, quam ſi aeger bis in die in lecto ſederet, et ſic lumbos continuo decubitu vrentes hac ventilatione paululum refrigeraret, quod in febribus non eruptiuis, aeſtate, ſi vires vigeant, perutile cenſeo.[5] Calor febris intermittentis initio obſeruatus ſub axillis, in ore et pectore, fuit ad grad. 90um, in alio ſubiecto ad grad. 87um, in ardore ſeu acme 104, in ſudore 100, poſt febrem 95. In febre remittente calor erat a 98 ad 99, cum ſudore remiſſionis 96. In quartana initio acceſſus 87, in acme 100: cum celeri et paruo pulſu calor fuit infra gradum 94 thermometri Fahrenheitiani.

Febrium theoriae analecta.

Febrium theoriam propoſiturus grauiſſimam rem ſuſcipere ſentit. Tantus enim adeo diuerſarum ſententiarum de eius natura cumulus eſt, quo fit, vt vna alteram deiiciat, vt deſperet fere, bonae frugis quid proferre ſe poſſe. At ne maneat in ſyſt. morb. hiatus, tentandum, quid valeant ferre humeri. Proficuum videtur praemittere quae certa ſunt et obſeruationis, quo eluceſcat, an noſtra theoria, an ea *Elsneri*, quam adiungimus, magis ſit probabilis.

Tertia fere aegritudinum pars febris eſſe, dicitur. *Sydenh.* conſent. plur. quod ita omnino interpretandum, vt vel ſit primaria paſſio, vel ſecundaria, v. c. inflammationum, ita, vt ab his abeſſe poſſit, ſaluo paſſionis charactere. Quare ſi de charactere febris quaeritur, quaeſtio incidit, num is deſideretur, qui vtramque notionem, et primariae, et ſecundariae, includat, an ſecus. Facile autem patet, de generali quaeſtionem eſſe. *Neque vero putes*, ea, quae in ſpecie obſeruat. de febri primaria edixerunt, aut de ſpecie ſingulari huius, v. c. de continua inflammatoria, vel putrida, poſſe in vniuerſum de febri, aut continua ſaltim, ſtatui: *quod certe accidit.* Quare et obſeruationes de febris natura in vniuerſum paucae erunt.

Eum, credunt fere omnes, laborare febri, qui vel de calore, vel frigore, aut his ſe excipientibus, conqueritur, potiſſimum quum grauiter decumbit. Qui medicinae ſe addixerunt, volunt praeterea, vt pulſus ſint celeriores et frequentiores, tum ſub calore, tum ſub frigore. Monent alii, ſub calore pulſus languere, eſſe paruos, raros, debiles, vt ſub frigore alii. Accidere, vt interiora ſentiat aeger frigida, dum caleant exteriora, et contra; reſpirationem in aliis intendi, in aliis languere, ita et vires neruoſas.

Haec quidem in vniuerſum vera ſunt, vt de febris notione deſperes, niſi agnoſcas hanc, vt dicas: febrim eſſe aegritudinem, paſſionem, permanente velocitatis ſanguinis abnormitate, deſignata per viciſſitudines caloris, ſubiecto proprii, conſpicuam. *Permanentem* dico, quoniam quaeuis, certe leuis, breuis temporis, velocitatis ſang. abnormitas, vt a curſu, cibo ſumto, motuum febrilium, vel orgaſmi, nomine magis deſignatur, et recte quidem. *Velocitatis ſang. abnormitatem* dico, quod in celeri et frequenti pulſu febris naturam fere omnes quaerant, in eo nimii, quod praeteruiderent eum ſtatum, vbi omnes febrim concederent, nec tamen minus pulſus erant oppoſiti dictis. Quam recte viciſſitud. caloris poſuerim, e ſequentibus patebit.

Et hac febris notione inſtructus omnium ſcriptorum videtur conciliare et ſententias et obſeruationes de febribus.

Iam miſſa febri ſecundaria, de primaria agendum erit. Hanc diuidere ſolent, in periodicas et periodis expertes. Ad illas referunt intermittentes, et remittentes ſeu continuas, ad has (continuas), continentes.

Continentes dari, e Veterum auctoritate nuperi ſibi perſuaſi ſunt, licet et climati et viuendi rationi adſcriberent, quod noſtris temporibus nemo medicorum videret id, quod Veteres medici ſe obſeruaſſe ſint elocuti.

At probauit, me praeeunte in Syſt. morb. cl. Goldhagen in diſſ. pec. ne veteres quidem eiusmodi continentes vidiſſe, quae ab initio ad finem vno tramite pergerent, vel epacmaſticae, vel paracmaſticae, vel homotonae, vel anabaticae, iam monente *Galeno*, aliisque veteribus medicis. Omnes potius concedunt, febres eſſe omnes periodicas, indeque verum erit, eas ſuſcipere viciſſitudines caloris.

Periodica febrium natura ea eſt, vti omnis periodi. Nimirum vel intermittunt, vel remittunt, vel ſubintrant. Cf. Syſt. aegr. T. I. p. 23.

Quare *febris notio* ita poni poterit, quod febris ſit paſſio, periodica ſanguinis velocitatis abnormitate, ſeu huius teſtis, caloris viciſſitudine periodica inſignis.

Meminerunt ſcriptores febris *topicae*, vt neceſſe eſſet, febres diuiderentur in febres vniuerſales et particulares. Non videtur repugnare rationi, eiusmodi febres dari, vel reſpicias ad id, quod vere ſanguinis velocitas a varia cauſſa poſſit mutari in parte, vel ad id, quod calor maior minorue in parte ſit. At quoniam illi ſcriptores febris eſſentiam in pulſu celeri ſolum quaeſiuerunt, nihilominus et contrarium obtinet, facile eſt perſpectu, omnes fere aegritudines ea ratione eſſe febres dicendas, ſi vel caloris viciſſitudines ſubintelligas, vt febres et aegritudines perfecte ſynonima eſſent. Quare diſplicet notio febris topicae, quam ad alias paſſiones relegamus, v. c. ad inflammationem, haemorrhagiam.

Febris itaque naturam in ſanguinis velocitatis abnormitate periodica conſiſtere, obſeruationis eſt, ſi lubet adeo frequentem aegritudinem febrim nominare.

Iam de cauſſis eius quaeritur, tum de abnormitate, tum de periodo.

Iterum deſperes, frugi quid proferri poſſe, dum tot graues viros praeeuntes hallucinatos eſſe ntelligis. Attamen tentandum.

Quoniam e phyſiol. ſcimus, ſanguinem moueri in vaſis ope cordis, et vaſorum ſang. quae varia ratione adfligi poſſunt: proxima febris cauſſa aut in corde erit, aut in vaſis ſanguiferis, aut in vtrisque. Quum vero et cor, et vaſa ſanguifera, irritabilitate

potiſſimum conſpicua ſint, in huius alienatione potiſſimum cauſſa quaerenda erit, vt hac vel remiſſa, vel intenſa, velocitas ſanguinis alteretur. Iam vero, periodi memores, aſſumere vix poſſumus in ſtructura fibrarum carnearum, periodica lege, poſſe mutationem fieri, vt per diem, horasue ſit naturalis aut praeternaturalis: *vnde* ad ſtimulum irritabilitatis res redibit, aliasque vires irritabilitatis conditionales, neruorum in cor vaſaque imperium, volo.

Quod ſtimulum irritabilitatis attinet, notum eſt e phyſiologicis, cor craſi ſanguinis alterari, quae, ſecundum naturam, et chylo admiſto variat. Inde fieri poſſet, vt eo tempore, quo chylus admiſcetur, cor vaſaque alterentur: quae admiſtio ſi ad certum tempus reſtringeretur, vt mox adeſſet, mox abeſſet, periodica lege ſanguinis velocitatem mutare poſſet. — Neque id abſonum eſſe, probare poſſes obſeruatione, tum eſſe, qui tempore poſt cibum ſumtum hora v. c. IV. eiusmodi mutationem vtique perciperent: tum ſolere in plurimis exacerbationes continuarum contingere tempore veſpertino.

Quod alias vires irritabilitatis conditionales attinet, ſeu neruorum imperium in ſyſtema vaſculoſum ſanguiferum, poſſes vtique in rei teſtimonium prouocare ad obſeruat., vbi e laeſa vi neruoſa febres excitantur, tum ad conſenſum, quo fiat, vt a ventriculi inteſtinorumque habitu febres excitantur, vt periodum credas ab horum irritabil. vel aucta, vel imminuta, periodica ratione (vt ſolet ſecundum naturam ita ſe habere), quacum per neruos conſentiant cor et vaſa ſang., explicari poſſe: et quod tum a reſtituta vi neruoſa, tum a naturali ventriculi inteſtinorum que conditione febres ceſſent.

Memineris porro, quam late pateat imperium telae celluloſae, a cuius tono admodum modificatur ſanguinis circuitus: quem gubernat vis neruoſa, ſtimulusque ipſe humoris lymphatici, chylique (vaſa lactea enim lymphat. adiungo, atque amborum vim irritabilem tono telae celluloſae tribuo) et adipis; vt ab integritate laeſa toni telae celluloſae, qua ſit, vt vel plus, vel minus, citius tardiusue, lympha, chylusue ſanguini admiſcetur, indeque cor vaſaque plus minusue irritantur, febris originem repetas.

Inde porro pateret, cur a laeſo tono tel. cell. ſecretiones et excretiones mutentur aliquando ſic, vt noua cauſſa febrium ſuccreſceret.

Tonum tel. cell. mutari credas a preſſione atmoſphaerae varia, tum grauiori, leuiori aëre, humida, ſicca, calida, frigida, electrica, inerti, vt anni tempus, tempeſtas, epidemicas febres, loci conditiones endemicas febres, gignere facile poſſint.

Tonum porro tel. cell. mutari noueris tum actione ventriculi inteſtinorumque ſub digeſtione intenſa, per conſenſum, tum actione cordis et vaſor. ſang. tum chylif. et lymphat. certo tempore chyli, lymphae maiori copia, intenſa; quae ad certum tempus diei, idque homini conſuetum euenire ſolent, vt videatur eluceſcere, qui fiat, vt periodica febris eſſe poſſit: modo poſueris, per conſuetudinem, alteram naturam, fieri, vt tonus tel. cell. ſponte certo tempore intendatur, aut remittat, idque cordi cet. noceat; deinde, quod ex eo, vt vel ob actionem ventric., vel ob actionem cordis et vaſor. ſang. vel ob lymphat. tonus modificetur, poſſit triplex periodus definiri, dum ſimul vnus alteri vt nocet, ita remedio eſſe poteſt.

Pone enim actionem ventriculi intendi ſolere hora pomeridiana I. indeque et intendi tonum tel. cell., actionem vaſorum chyliferorum lacteorumque intendi hora IV. pomer., actionem cordis hora V.; tunc intenſo tono tel. cell. a prandio reſiſtentia maior cordi obiicitur, indeque cor ad freq. contractiones excitatur, vnde febricula gaſtrica digeſtiua ingruit, plurimis conſueta. Quodſi ponas, aut diutius tonum tel. cell. intendi, aut per actionem cordis vel maiorem ſang. copiam ad vaſa minima pelli, vel ſang. ſpiſſiorem, vt tonus tel. cell. inde magis intendatur, id adeo increſcere poterit, vt palpitatio nulla telae cellulofae per tempus fiat, et circuitus in vaſis min. langueat, indeque frigus febrile ingruat. Quum vero ſenſim is ſtatus remittit, ſequitur atonia, indeque calor, dum cor arteriaeque pergunt frequentius et celerius agere, vt ſuperent reſiſtentiam in vaſis min. quam ſi ſuperant, in vaſa excretoria pelluntur humores, vrina, ſudor.

Intermittentes igitur credas oriri, dum intenſo tono tel. cell. adeo, vt nulla ipſius palpitatio fiat, circuitus in vaſis minimis totius corp. langueat, corque ad maiores contractiones ſtimulatur, indeque et frigus, et calor, et ſudor emergunt. Apyrexia autem aderit, tum donus tel. cell. perfectior redit. Nouus inſultus accidet, dum cauſſa denuo emergit intenſi toni tellae celluloſae.

Continuae orientur, dum tonus tel. cellul. initio tantum,

aut et hic parum intenditur, vt palpitatio adhuc tel. cell. adſit, imo ſenſim magis intendatur.

Remittentes oriturae ſunt, quum apyrexia imperfecta praeſtatur, ſeu tonus tel. cellul. imperfectius reſtituitur:

Subintrantes autem, quando tonus tel. cell. omnino non reſtituitur, imo cauſſa noua ratione agit. — — —

Extrema, in febr. interm. frigore, contracta, vt annuli docent, tremor artuum et totius corporis, vrina limpida, ar liuor f. ſitis, vomitus, docent in frigore f. palpitat. nullam tel. cell. adeſſe, indeque maiorem vim exſerere irritabilitatem.

Poſſe palpitat. tel. cell. ad interiora corporis praeſto eſſe, tumque ad exteriora deficere, non repugnat, vnde fit, vt vel externa frigeant, vel interiora.

Sub calore tonum tel. cel. intendi, docent calor ipſe, rubor exteriorum, turgorque, ſitis abſentia:

Ex hac febrium theoria videtur explicari poſſe:

1. qui fiat, vt varia febris, ratione differentiae eſſentialis morborum v. c. inflammatoria, putrida, cet. detur, dum varia cauſſa, morbus varius, tonum tel. cell. modificat,
2. attamen eadem fiat, ſi intermittens primo fuerit, continua, et v. v.
3. idem fomitem febrium conſtituat,
4. natura periodi et typi aliis etiam paſſionibus, tonum tel. cell. facile immutantibus communis ſit, et morbo, neruoſo, periodico.
5. hae omnes cortic. peruv. martial. cet. aliarumque roborantium vim, tonum tel. cell. adficientium potiſſimum, debellentur.
6. criſes etiam harum febrium proprias dari, quae pro pediſequis remiſſae, intenſionis telae cellul. habeas, vt vrina critica, ſudor, efflor. oris.
7. phlebotomiam, et omnem antiphlogiſticam methodum, emetica, licet morbum ipſum non omnino expugnent, in febribus tamen ſaepe auxilio eſſe, quum telae cell. tonum adficiant: phlebotomia enim, ſanguinem detrahendo, maiorem actionem vis contractilis efficit, motum progreſſiuum facilitat, hinc tonum intenſum remittit; emetica autem actionem ventriculi et inteſtinorum excitando, actionem cordis imminuunt, hinc tonum remittunt.

Febrium diuiſionem hanc accipias.

I. Febrium differentiae:

intermittentes. continuae. remittentes. ſubintrantes. erraticae.

Harum ſpecies:

tritaea. tetartaea. cathamerina. ephemera. ſynocha. ſynochus. typhus hectica. amphimerina. tritaeophya. tetartophya. ſemitertiana.

II. Febrium ſpecies.

Vt morborum omnium, quos recenſebo in ſuppletoria noſologia, progenies et comes: v. g. plethorica ſ. inflammatoria, biliofa, putrida, verminoſa, ſcorbutica, ſyphilitica.

Igitur quoniam febrim raro, tamquam genus, deprehendis, rariusque differentiam genericam, ſpecies habebis mixtas ex febrium differentiis et febrium ſpeciebus, aut ſi ma uis, varietates: v. g. ſynochus inflammatoria putrida.

III. Febrium varietates.

Sunt ſpecies quaſi ſpecierum, v. g. ſynochus inflammatoria, aut putrida, ob eminens quoddam ſymptoma denominari poterit aut cephalica, aut pleuritica, aut varioloſa cet. Vt tamen in praxi eadem quaſi dignitas connexionis inter aegritudines ſit, ac ſpecies varietatem praecellit: quin imo ſpecies ipſas differentias antecellunt, vt tritaeam et ſynocham plethoricam eadem fere methodo curare poſſis, dum e contrario tritaeam plethoricam et tritaeam ſepticam diuerſa methodo impugnare debes.

Haec attendens explicare poteris obſeruationes et ſententias Cl. Virorum, in febribus, v. g. in febri cauſſode (cf. *Selle* pyret. p.) adeo differentes.

Fateor, non ſemper facile conſtitui, an ſymptomata febris faciant, vt febris ad hanc vel illam, aut differentiam, aut ſpeciem, referatur. Sic coincidunt ſaepe ſynochae neruoſae et typhi inflammatoriae, tritaeophyae choleſepticae et ſynochi inflammatoriae ſymptomata, vt forte per aliquot dies dubites, ad quamnam recte vel differentiam, vel ſpeciem febrim redigas. (cf. febrim ſynocham ardentem in N.) Attamen ſolers ſcrutinium lumen dabit.]

CLASSIS II. FEBRES. *

ORDO PRIMVS.

FEBRES CONTINVAE,

Scholaſticis *Continentes:* Graecis *Pyreta ſynechonta, ſynochoi;* *Continuae* Boerhaave et Practicis; *Continentes* Stahlio, Junckero: vide *Galen.* 1 Epid. com. 3; *Sennert.* de febr. l. 2. cap. X. Gallis *Fiévres continues* Germ. *anhaltende: hitzige, Fieber.*

Character Claſſis. Concurrunt pulſus magnitudo et frequentia cum frigore in inſultu, feruore in decurſu, madore in declinatione, et ſemper virium proſtratione maiori, quam a virium vitalium gradu foret exſpectandum. [Nolim haec A. pro charactere vero ponere. Tum enim in vniuerſum continens, eo ſenſu, quo A. ſtatuit, nec veterum quis, ſi eorum genium rite ſcrutaris, voluit, nec recentiorum quis obſeruauit, vt eſſent, qui veterum ſententiam, quam eamdem cum A. habebant, explicarent per clima, vitae tempus cet. Tum id, quod A. vult, eo redit, vt ſit febris, aut *ſubintrans Torti*, aut remittens laruata: vnde fit, vt exacerbationes partiales, ſi vel ad leue frigus, (vt in hectica et ſemitertiana) vel caloris, pulſus, reſpirationis, actionum voluntariarum, excretorum, viciſſitudines redeant, ab obſeruatore ſollerti omnino deprehendantur. Cf. ſuppl. N. et *Goldhagenii* dd. de ſemitertiana et de febribus analecta. Hal. 1782. 4. *Brendelii* opuſc. cet. Itaque pro charactere ordinis ſic pono: Syndromes ſymptomatum febrilium intra hebdomadem non iudicata, ſi vltra diem detinuerit.]

Character Ordinis. Impetus febrilis, a frigore ſaepius exordiens, ſine exacerbatione partiali, et ſine acceſſu, non pluries quam ſemel, vel bis, in menſe reuertens, ad vſque finem aegritudinis perſeuerat. **

* 1. *Suppuratoria: purulenta.* de Gorter prax. med. 1. §. 233. *de Mertens* obſ. p. 37. v. *Swieten* Comm. Tom. 3. p. 340: *Platner* ſuppl chir. 1. *Schroeder* et *Brande* diſſ. in opp. §. 9.
2. *arthritica. Störck.* T. 2. pag. 174.
3. *ſcirrhoſa.*
 a. a ſcirrho cerebelli *Morgagni* de ſed. et c. m. LXII. 15.
4. *denia.*
 a. comes enteroceles.
5. Salutaris. v. *Swieten* T. II. p. 3. 50 ſq. Comm. Lipſ. VII. 122 ſq.

** Cf. Dicta in theoria, claſſis n. 4. et ſuppl.

Proinde continuae ſunt, licet 1° quolibet menſe circiter revertantur, vt ephemera menſtrua, quae eo ab erratica diſcrepat; 2° increſcant ab initio vſque ad ſtatum, more aliorum morborum, quod ſemel tantum accidit: cum febrilis impetus exacerbantium, vti intermittentium, pluries, et ſine cauſſa euidenti reuertatur, aut creſcat in paroxyſmis et acceſſibus partialibus. Factitia eſt diuiſio continuarum in homotonas, epacmaſticas, et paracmaſticas; omnibus enim febribus commune eſt, vt in declinatione ſymptomata decreſcant, atque in incremento et ſtatu maiora ſint.

Hiſtoria. Incipiunt a laſſitudine, capitis grauitate, frigore, horrore, ſed citra tremorem et dentium crepitationem, tunc calor, in dies creſcens vſque ad acmen, cum cephalalgia, ſiti, virium proſtratione, decubitu aſſiduo; nulla exacerbatio, niſi a cauſſa euidenti; demum declinante morbo mador, ſudor, vel alia euacuatio.

Symptomata in functionibus animalibus: Motu libero, ſenſu, appetitu. *Senſus* laſſitudinis in toto corpore, grauitatis vertiginoſae in capite; cephalalgia, prauus ſapor in ore, anoſmia ſaepe. *Motus* localis artuum, linguae, difficilis, vacillans, dein decubitus ſupinus, vel horizontalis. *Appetitus*, fames, nulla vel exigua, ſitis vrgens, faſtidium carnium, et ſolidorum, ſitis aquarum, acidulorum, frigidorum, libido nulla, *appetitus* tabaci nullus.

In functionibus vitalibus: Pulſu et reſpiratione. *Reſpiratio* in frigore parua, frequens, coacta, in calore magna, frequens. *Pulſus* in frigore exilis, intermittens, intercadens, frequens; in calore plenus, frequens; in declinatione mollis, vndoſus.

In excretionibus. Saliua pauca, mucoſa; mucus linguae, gingiuarum, labiorum cinereus, luteus, quandoque nigreſcens; vrina in decurſu morbi calidior, turbida; mador cutis, ac ſudor in declinatione; deiectiones alui liquidae, flavae, ſaepe foetidae; mucus narium parcus, haemorrhagiae.

In qualitatibus. Inſultus febris ſaepius ab extremorum frigore, faciei pallore, vtplurimum ſine tremula artuum ſuccuſſione; dein calor aſſiduus, fere vniformis; [inſtar ſubintrantis febris, vt exacerbationes aut quotidianas, aut alternas ſaltem, videas:] mollities cutis in declinatione.

Eſt erronea diuiſio febrium, a Neotericis accepta, in *eſſentiales et ſymptomaticas; has* vocant, quae ſunt alterius morbi effectus; *illas*, quae ab alio morbo non pendent; verum 1° quoniam febris iuxta ipſos pro cauſſa habet, vel obſtructionem capillarium, vel cordis irritationem, vel neruorum diſtractionem, atque iuxta eosdem illa vitia veri morbi ſint, ſeu ſtatus vitioſus partium ſolidarum, fluidarumue, ex quo functiones laeduntur, omnes febres ex his principiis debent eſſe ſymptomaticae, nullae eſſentiales; 2° quia in ſenſus numquam incurrit cauſſa quatenus cauſſa, nec proinde incurrit quidpiam quatenus effectus alterius, nec proinde quatenus ſymptoma; atque mutata, vt ſaepe fit in ſcholis, cauſarum doctrina, mutaretur generalis febrium diuiſio; quae ſupponit v. g. vlcus pulmonis eſſe cauſſam, cuius amphimerina tabida effectus eſt: fieri enim poteſt, vt vel a communi cauſſa pendeant tum vlcus, tum febris; aut, vt vlcus a febre promanet, cum febris ſuppurationem praecedat ſaepiſſime: ideo hypothetica, et proinde erronea eſt illa diuiſio fundamentis mutabilibus innixa.

Nec paucioribus erroribus obnoxia eſt diuiſio febrium in *humorales et non humorales; illas* vocant, quae a fluidorum vitio ortum ducunt; *has*, quae a ſolo ſolidorum vitio oriuntur, ac fouentur; verum 1° illa diuiſio innititur principio hypothetico et in ſenſus nequaquam incurrenti; quae a putredine et malignitate humorum produci putantur, a ſpina, tendinibus infixa, fieri poſſe, oſtendit *Helmontius:* homini ſaniſſimo frangatur cranium, illico ſopor, bilis vomitus, dein febris, meteoriſmus, lingua ſordida, aliaque ſigna febris, putris, aut malignae, accedunt: dentes fortius in infanti progerminent, inde febris, ſpaſmi, vomitus, nauſeae, ructus, diarrhoea, feces virides, flauae, putres, quae omnia erumpentibus dentibus, ſecta gingiua, ceſſant. Anne a fluidis, an a ſolidis, ea pendent? quandonam ſeorſim laborauere ſolida a fluidis? Num ex hypotheticis principiis pendere debet febrium diuiſio et hiſtoria? 2° Ex eo, quod ſit abſceſſus, fiſtula, vlcus, maxime in parte dolente, vt extremo digito, num febris exſurgens ſolidis tantum debet tribui? num ſanguis inflammatus, pus acre, ichor ulceris nihil ad febrim concurrunt? quo iure humoralem, quae fit a bile, non humoralem, quae a pure fouetur, non appellaueris? cum Antiqui has omnes, excepta Ephemera et Hectica, humorales et putridas nuncuparent.

Si quis ad haec dicat, ſic voluiſſe patres, idem eſt, quaſi diceret:

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Sed ſi alios ad conſentiendum cogere velit, is tyrannis peior eſt, obſeruante *Galeno;* illi enim facta quidem, non vero animi ſenſa cogere, et auctoritate ſua determinare ſuſcipiebant; atque illis regulis regerendum eſt, quod patres deliquere, hoc celare gnati debent.

De Principiis Continuarum.

Obices circulationi oppoſiti, vel materies, ſtimulantes in vaſis ſanguiferis, febribus occaſionem praebent; ſiue enim 1° viuo animali ligaturas iniicias, ſiue in venas liquores ſanguini inſpiſſando, coagulando, aptos, infundas, hinc febris exſurgit, (*Baglivi* de febribus meſenteric. *Wepfer.* cicut. aquat. pag. 52). 2° Si acida, alkalina, aromatica, verbo acria quaeuis, in ſanguiductus immittas cum *Bagliui*; ſiue aciculam puram, ſpinam carnibus, tendinibus viuorum animalium infigas, obſeruante *Helmontio*, hinc febris exſurgit continua.

Verum cauſſam febris effectricem, ab occaſione, ſummopere diſtinguendam, monuimus: docet enim mechanica, a reſiſtentiis oppoſitis machinarum hydraulicarum motus retardari; atqui tamen machina cordis poſt has obſtructiones acceleratur, adeoque neceſſe eſt, vt potentia motrix in ipſum agat accelerando in maiori ratione, quam materia ſebrilis retardando. Sit dimidia pars ſanguiductuum obſtructa, cordisque vis eadem remaneat, iam dimidio minor ſanguinis copia ex arteriis in venas, ex venis in cor, ex corde in arterias, transfunditur; eadem etenim in extremis arteriolarum orificiis velocitas perſtat, quae ſemper eſt vt virium motricium radix, ex hydraulicis, (*D. Pitot des Pompes, Mém. de l'Acad.* 1735. *princip.* 3.) ſed quantitates fluidorum tranantium ſunt in ratione compoſita orificiorum minimorum et velocitatum: ergo dato orificio duplo minore, et velocitate eadem, duplo minor eſt fluidi quantitas, dato tempore transfluens: quod eſt probandum.

Velocitas, qua mouetur embolus ab eadem vi applicata, eo minor eſt, quo minus eſt orificium, per quod fluidum ab embolo proiectum euacuari debet; verum per orificium integrum

ſanguine, ex arteriis in venas fluente, cordis contractiones erant integrae, et ſeptuageſies intra minutum perficiebantur; ergo per orificium dimidium conſueti fluente ſanguine, cordis contractiones vel erunt duplo minores eodem numero, vel duplo rariores ſub eadem magnitudine; adeoque eadem data vi, cor contrahente, nedum pulſus velocitas, aut magnitudo, creſcant, ambas, vel alterutras, imminui, mechanica iubet neceſſitas. Sint, ſub illis obſtructionibus, vires cordi applicatae quadruplo maiores ſolito, quoniam velocitas in ſanguine, orificia vltima tranante, hinc duplo maior euadit, ſec. hydraulica, quod ex orificio deficit, praeciſe penſat aucta velocitas; adeoque tantumdem transfluet ſanguinis ex arteriis in venas, quantum in ſtatu ſano; nec proinde pulſus vel maior, vel frequentior, euadet, ſed tantum firmior, aucta ſcilicet colliſione columnarum ſanguinis: adeoque cum conſtat, vel conceditur, obſtructos eſſe vltimos ſanguiductus, vt in malignis febribus, licet pulſus nec maior, nec frequentior, ſit ſolito, vires cordis eſſe ſolito maiores, haud dubium eſt.

Si vero, iisdem poſitis, pulſus tantum duplo maior, quam in ſtatu ſano ſub eadem frequentia ſuperueniat, quoniam velocitas ſanguinis pulſus magnitudini reſpondet, velocitas duplo maior exſurgit, adeoque vis cordi applicata quadruplo maior eſt ſolito; ſed eam prius quadruplam euicimus; ergo, vt ſexdecupla, ſeu quadruplae quadrupla euaſerit, conſequitur.

Qui concedunt itaque *Bontekoe* et *Boerhaave*, ſebrem ex ſanguinis velocitate menſurandam eſſe, illi fateantur, neceſſe eſt, quod, datis obſtructionibus, febris cum pulſu, quoad magnitudinem et frequentiam ſano, poſſit conſiſtere; atque aucta tantum magnitudine, febris maior exiſtat. Cf. ſupplem.

Verum ſi ſub iis circumſtantiis obſtructionum, non magnitudo ſolum, ſed pulſuum numerus etiam duplo maiores euadant, quoniam velocitas ſanguinis ſub eadem pulſus magnitudine, numero pulſuum intra datum tempus, ſeu frequentiae eſt proportionalis, atque eſt ſemper vt radix virium, cum velocitas ex hoc ſolo capite duplo maior ſit, vim ex hoc ſolo nomine quadruplam, adeoque iunctim cum magnitudine ſexageſies et quater ſolita maiorem euaſiſſe, neceſſe eſt. Illud autem eſt cauſſa febris, quod ſecum importat neceſſario febris ſymptomata patho-

gnomonica; verum vis cordis adaucta in maiori ratione, quam vires artuum, voluntati ſubditorum, ſecum importat pulſus crebros, vel magnos, vel firmos, inuitis obſtructionibus; atque exinde fit, vt natura virium parca, fluidum nerueum ab artubus, libertati ſubditis, detrahat: atque ex hac virium vitalium vehementia, attritus, calor, ſitis, aliaque ſymptomata febrilia ſponte fluunt; ergo, eam eſſe febris cauſſam, nullum eſt dubium.

Corollarivm I. Febris poteſt conſiſtere cum pulſu, quoad frequentiam tantum adaucto, modo tamen vires muſculorum, libere mouendorum, ſint imminutae; haec eſt febris frequentiſſima.

Corollar. 2. Febris poteſt conſiſtere cum pulſu quoad magnitudinem tantum adaucto, modo vires muſculares in minori ratione ſint adauctae, aut abſolute minores conſuetis.

Corollar. 3. Febris conſiſtere poteſt cum pulſu et maiori et frequentiori, vt in tritaeophya ardenti aliisque acutis.

Corollar. 4. Febris conſiſtere poteſt cum vi pulſus, ſanam non excedente, vt, cum, quod ex magnitudine deficit, frequentia penſat, aut quod ex frequentia deficit, magnitudo vindicat; modo tamen vires artuum ſint abſolute minores.

Corollar. 5. Febris poteſt conſiſtere cum vi pulſus, infra ſanam conſtituta, modo tamen vires artuum in maiori ratione decreuerint, vt accidit in tritaeophya, lipyria, aliisque malignis.

Corollar. 6. Nequaquam aſſentimur *Bontekoe* et *Boerhaave*, qui febrem ex pulſus velocitate metiuntur, cum velocitas pulſus adaugeri non poſſit, niſi factum ex frequentia et magnitudine maius ſit, atque niſi vis pulſus ſit abſolute maior.

Corollar. 7. Nec aſſentimur illis, qui ex frequentia ſola febrim aeſtimant, nulla habita virium muſcularium ratione; ſi enim vis pulſus quoad frequentiam increſcat pari paſſu ac vires artuum, vt in ira, et curſu veloci, febrim adeſſe nemo pronunciat; et ſi pariter vis pulſus decreſcat quoad magnitudinem in eadem ratione, qua decreſcunt vires artuum, vt in extremo mortis agone, ibi non febrim, ſed tantum frequentiam, a debilitate ortam, nouimus.

Corollar. 8. In omni febre debet adeſſe notabilis virium adſumtio, ſeu conatus facultatis vitalis huius facultatis vi-

ribus et ſimul cauſae noxiae intenſitati proportionalis, atque ille conatus febris eſſentiam et veram ideam abſoluit.

Febrilis conatus non ſemper praeſto datur, quoties febris principia praeſto ſunt, verum ſubito non raro inuadunt, etiamſi iam dudum materiae febriles intra machinam et vaſa etiam ſanguifera nidulentur; verbo, diutius praeparatur febrilis apparatus, et dein ex improuiſo febris quandoque exſurgit; hoc norunt Practici. Non deiepente morbi hominibus accidunt; ſed paulatim collecti confeſtim apparent: *Hippocrat. Ballon. de virg. morb. c. 7. p.* 10.

Praeludia etenim febrium ſaepe videntur indicare ſaburras in ſanguine, quae huius motum retardant et vaſa minima infarciunt, vt patet ex capitis et corporis grauitate, laſſitudine, pulſu paruo, raro, inaequali, cibi et exercitii conſueti faſtidio; ante plures dies praeceſſit vel perſpirationis, vel catameniorum ſuppreſſio, vel crapula, cet. et tandem febris ſubito adoritur.

Febris deinde per vnam alteramue diem increſcit; et praeterea in exacerbantibus ſine cauſſa euidenti febris certis horis increſcit, aliis vero remittit; in intermittentibus poſt plenam apyrexiam febris veſtigia relegit, deinceps recedit.

Effectus ſunt certiſſime ſuis cauſſis proportionales, ſi itaque pro cauſſa febris aſſignetur vaſorum obſtructio, quae tantum eius principium eſt, tunc febris deberet adeſſe, cum vaſa ingurgitantur, major, vel minor, prout magis vel minus infarcta ſunt. Verum ea eſſe infarcta paucis horis ante inſultum maxime, poſt paroxyſmum et acceſſum minus, nemo bona fide negare poteſt; atqui tamen febris ante inſultum continuae et poſt acceſſum intermittentis, plures alios illaturae, nulla omnino eſt; ergo data cauſſa vel maiori, vel minori, nullus tamen effectus daretur, quod eſt abſurdum.

His regerunt Neoterici, non quamuis fermenti, ſeu materiei febrilis, quantitatem ad febrim ſufficere, ſed eam requiri, quae vaſa diſtendat vltra diametrum conſuetam; ſed vanum ſubterfugium; vel enim dimidia huius quantitatis ad febrem neceſſariae pars vaſa diſtendit et obſtruit quoad dimidium, vel non; ſi primum, dimidium febris, ſeu febris obſtructioni proportionalis adeſſe debet, quae tamen nulla eſt; atque quoniam materies illa ſenſim et per gradus cumulatur, febris non illico, ſed gradatim accendi deberet; quod ſaepe falſum eſt. Si ſecundum;

nulla quantitas materiae vaſa obſtruit et diſtendit, cum huius dimidia ne dimidium quidem producat, ſeu pronuntiandum eſt, effectus ſuis cauſſis non eſſe proportionales, ſeu quod eodem recidit, ex minimis cauſſis, imo nullis, effectus maximos inferri poſſe, adeoque dari effectus, aut effectuum partes ſine cauſſa, quod abſurdum eſt.

Pluribus arridet opinio, ſolo figmento innixa, dari vel in ventriculo, vel in pancreate, hepate, meſenterio, cet. maſſam febrilis materiae, quam *fomitem* vocant, atque ex hoc receptaculo, vel continuo, vel per vices interpolatas, fermentum illud inuiſcans in ſanguinem refundi, vnde febris continua, vel interpolata.

Verum quo genio, quo mechaniſmo, nunc continuo, nunc per vices tantum, haec transfundatur materies, nemo dixerit; ſemel autem hoc infuſo fermento, cur ſtatutis horis exhauriatur fomes ſuo tempore redintegrandus? quare iteratis catharticis, emeticis, iuſculis diluentibus, bilem, ſuccum pancreaticum, primas vias funditus euerrentibus, febres intermittentes pertinaciores euadant, docente *Sydenham*, licet fomes ille expurgatus fuerit? cur ab animi pathemate recurrant ſopitae febres? cur a graui nuncio, a negotio inopinato ſuperueniente, acceſſus vel retardetur, vel auferatur? cur a ſclopeti exploſione pone aures, ruſtici acceſſus remoueant? quid inde aduerſus fomitem?

Verum quorſum haec diſputo; hanc theoriam inuenit opinio, mechanices ignorantia fouit. Eſto, ſit fomes ſanguinem inſpiſſans, ſanguis inſpiſſatus neceſſario cordis motum retardat, pulſum minuit, ex demonſtratis; atque vt in his circumſtantiis velocitas et numerus pulſuum creſcat, vires cordis admodum maiores debent impendi. Quis in hydraulicis ita rudis eſt, qui ex reſiſtentiis vires machinarum intendi putauerit? nugatorias hac de re fictiones confutare pudet, principia euertere ſatis ſit. Cf. *Eberhardi* Diſſ. cit. Tom. I, p.

Motus cordis non debetur mechanicae partium diſpoſitioni, et viribus ſemel ab ortu impreſſis, nec aliis cauſſis, quas mechanicas appellant Neoterici.

Cordis contractio debetur vi fluidi neruei, per neruos cardiacos immiſſi tantummodo; ſanguis enim, per venas appellens, cor diducere tantum, adeoque contractioni obſtare, poteſt. Sanguis per arterias coronarias influit in textum cordis, ſed con-

tracto corde, adeoque effectus eſt ille influxus, non vero cauſſa contractionis.

Iam vis fluidi nervei vel ab encephali viribus pendet, vel a motore animato, qui encephalo praeeſt. Sint vires encephali mechanicae, quae fluidum nerveum promoveant, illae totum ſuum motum habent a vi ſanguinis, per arterias immiſſi, et a vi elaſtica pulpae cerebri, hoc pronunciat ipſe *Boerhaave* (*Oratione octava*) qui ait, „vt agat cor, nervorum eget virtute, quae „lacertos eius excitet. Neque nervis haec facultas, niſi a cere„bello eſt. Atqui huius potentia imputanda arteriarum ſan„guini, per pulſum eiusdem cordis ad cerebellum appreſſo. „Cauſſa ergo hic, effectu ſuo prior, tamen ab hoc pendet. Et „hic adeo effectus ſuam iterum cauſſam facit.

Verum vires, a corde, ſanguineis columnis impreſſae ſunt vt arteriarum, ab aorta proficiſcentium, orificia; atque cum carotidum ſimul et vertebralium orificia ſint vix tertia pars orificii aortae, vix tertia pars virium cordis, ſanguini impreſſarum, ſupereſt in ſanguine, caput irrigante; iam cerebellum eſt in recens natis tantum nona pars cerebri et 57^a pars totius corporis; cum itaque ſanguinis influxus ferme ſint vt moles irrigandae, ſanguinis influxus in cerebellum eſt 9^a pars illius, qui in cerebrum tendit, et 57^a illius, qui totum corpus pervadit; verum quantitas influens eſt menſura virium; nam exſurgit ex velocitate et vaſorum ſectione coniunctim; ergo vis ſanguinis cerebellum pervadentis eſt 57^a pars virium, a corde toti ſanguini impreſſarum; iam vero pars eſt minor toto, adeoque vis, quam fluidum nerveum cerebelli poteſt accipere a ſanguine cerebelli eſt ad vim, quae cor debet exerere, vt 1 ad 57, ſeu 57^{ies} minor. Tota illa vis fluidi nervei cerebelli influat in cor contrahendum, quoniam cor nec vlla machina maiorem vim poteſt habere, nec effectum praeſtare, quam eſt vis motoris ipſi applicata, fluidum nerveum non poteſt cordi impertire maiorem vim, quam 57^{am} partem eius, qua cor in antecedenti contractione indiguit; ergo ſi a fluido nerveo per arterias tantum propulſo moveri debeat cor, effectus erit maior ſua cauſſa, ſeu ideo cor movebitur, quia fluido nerveo vim et motum impreſſit; erit itaque vis cordis ipſi vi cordis tribuenda, ſeu motus cordis erit cauſſa ſui ipſius, proindeque motus cordis erit effectus ſine cauſſa, quod eſt abſurdum. Reliquum eſt igitur, vt cordis motus ſingulis pulſibus efficiatur a

motore animato, quo deficiente, vt poſt mortem, ceſſat cordis contractio; actuato, vt in pathematis viuidis, creſcit; et oppreſſo, vt in timore, opprimitur cordis motus.

Idem alia via demonſtrare poſſumus: ſanguis ea velocitate fluit ex corde, vt poſſet quouis ſecundo viginti pedes horizontaliter percurrere (*Haemaſt. p.* 300. *n*°. 40.) per orificium aortae 97 lineas amplum; vt autem fluidum neruеum ventriculum ſiniſtrum cordis contrahat, neceſſe eſt, vt ſaltem eamdem vim habeat, quam ſanguinis a corde emiſſi columna, ex principiis Hydraulicis et nominatim ex *Phoronomia prop.* 31. vires enim quae ſe mutuo aequilibrant in fluidis, ſunt vt facta ex duplicata velocitate, orificiis et denſitatibus fluidorum, adeoque ſi ſupponamus eamdem ſanguini et fluido nerueo denſitatem, atque orificium ſimul ſumptum in neruis cardiacis ſiniſtrum ventriculum petentibus milleſimam partem aortae, velocitas fluidi neruei debet eſſe 31 vicibus maior velocitate ſanguinis in aorta; ſeu 620 pedum intra ſecundum: Verum velocitas ſanguinis in vltimis arteriolis ex *Keilio* eſt 5230 vicibus minor, quam in aorta; ergo velocitas, quam fluidum nerueum poteſt a ſanguine, per cerebrum circulante, mutuari, eſt 162130 vicibus minor, quam vt poſſet cor contrahere.

Corollarivm. Obſtructiones in minimis vaſis motum cordis minuunt, ergo et motum ſanguinis in cerebello; adeoque cum motus febrilis ſupponat conatus et vires cordis adauctas, ſaltem in acutis, nec poſſit cordis motus augeri, niſi aucta fluidi neruei velocitate, imminuto ſanguinis motu abſurdum eſt, velle fluidi nernei motum exinde adaugeri, ſeu febrim ex obſtructionibus per leges mechanicas oriri.

Si regerant, fluidum nerueum eſſe infinite rarius et tenuius ſanguine, adeoque in ipſius preſſione velociorem motum ipſo ſanguine concipere, cum velocitates impreſſae ab eadem vi fluidis diuerſae denſitatis ſint inter ſe vt radices denſitatum inverſe, non refragabimur. Sit itaque denſitas fluidi millionies minor denſitate ſanguinis, velocitas quidem erit decies millies maior: verum vis fluidorum diuerſae denſitatis eſt in ratione compoſita ex duplicata velocitatis et denſitatis ſimpla; cum itaque denſitas fluidi neruei millioneſies minor ſit, licet velocitatis quadratum millioneſies maius euaſerit, vnum ab altero vindicatur, et vis ex vtroque reſultans non maior eſt, quam ſi denſitates fluidi neruei

et ſanguinis aequales ſupponamus: et haec dicta ſufficiant aduerſus Neotericos, qui ignorata matheſi, morbos mechanice explicare ſuſcipiunt.

I. Ephemera. Latinis *Diaria*; *Effemera* Italis; *febris inflatiua* Arabibus quibusdam. *Ephimera Gordon.* Lil. p. 3; *Effimera* Gilberti Anglici: *L'éphémere, courbature.*

Character. Genus eſt febris continuae, quod intra dimidiam ſeptimanam ſponte ceſſare conſueuit. [Mallem pro intermittentis paroxyſmo ſolitario, cuiusmodi mentionem facit C. *Strack.* de interm. p. 182. ſq. aut exquiſito, aut anomalo, plures dies detinente, ephemeram declarare, ſicque a Cl. *Elſnero* Regiomontano, theoriam noſtram in ſyſt. aegr. datam, in pyretol. ſua egregie imitaturo, parum recedere, qui, omnem febrim ſpeciem ephemerae eſſe, ſtatuit.]

Symptomata in functionibus animalibus: Inſultus ſubitaneus, ſaepius ante diluculum, nulla laſſitudo notabilis praecedit, illico dolet caput, iacet aeger. *In functionibus vitalibus*: Pulſus plenus, liber, expeditus, frequens, reſpiratio frequens, pulſant tempora iſochrone cum arteriis. *In excretionibus*: Halituoſus eſt ſudor, potiſſimum declinante morbo, vrina vix mutata. *In qualitatibus*: Cum aliquali frigore, aſt ſine rigore et horrore inuadit, vnde ab inſultu rubeolae diſtinguitur; Calor mollis vaporoſus ſequitur. Rubet totum corpus, inprimis facies cum aliquali turgeſcentia, vnde febris inflatiua dicta.

Ordo ſymptomatum. Praeludium nullum, principia ſeu occaſiones procatarcticae vtplurimum adfuere, vt error in ingeſtis, applicatis, cet.

Inſultus fere ſine oſcitatione, horrore, ſomnolentia, ſed ſubitaneus, ita vt protinus aeque magnus ſit, ac in vigore, cum pulſus frequentia modica, calore miti, vaporoſo; repente, vt ait *Lommius*, totus morbus ſimul accedit; ſtatus morbi per diem circiter, aut ad ſummum per duos, treſue, dies viget, (ſine vllo graui incommodo); demum raro per haemorrhagiam, ſaepius per copioſos halitus, aut ſudores, terminatur.

Principia procatarctica ſunt ea, quae leuiter motum ſanguinis retardare valent, quaeque labore vnius, alteriusue, diei poſſunt ſolui, vel eliminari, adeoque natura (a tam paruo incommodo) nequaquam opprimitur.

Diariam omnem ſola fere natura curat, raro arceſſitur Medicus; illam curaſſe, quam nouiſſe, facilius eſt, quia tempus deficit ad diſtinguendum, vtrum fuerit ſynocha, vel ſynochus. Abſtinentia a cibo, potus calidus, aqueus, cum quiete ſufficiunt.

1. *Ephemera plethorica; Ephemera ex oppilatione, ex vino, ex ſuppreſſa perſpiratione, ex cibis calidis, Auicennae*, T. II. p. 16. *Diaria inflatiua* Auctorum B.

Die 14 Sept. 1752 hora 5. matut. correptus ſum Ephemera plethorica; febris erat magna et ſine praeludio, praeter inſomnium, calor acer, deglutitio difficilis, cephalalgia grauatiua magna, febris poſt duas phlebotomias nocte ſequente receſſit.

In inſomnio cogitationes importunas de obiecto quodam iniucundo experiebar, quoties ſomno indulgebam, et penes me erat ſomnum abigere ſimulque inſomnium, ſed quamdiu ſomno indulgebam hoc phantaſma a mente depellere minime poteram.

Numerus pulſationum mihi ſano eſt 72° in minuto primo, et in hac febre mane erat 94^r^, veſpere 98°. Calor aëris 17^m^ grad., calor vero pedum meorum erat 35^e^ gr. thermom. Reaumurii, et paulo vltra; e vulnuſculo venae vix vnciae tres ſanguinis quouis minuto effluebant.

Numerus reſpirationum durante febre erat 27^m^ intra duo minuta, ita vt cum cor pulſabat 196^x^ vicibus, reſpirabam 27^m^ vicibus; numerus reſpirationum erat 7^a^ pars numeri pulſationum cordis.

2. *Ephemera biliosa*, ſeu *nauſeatiua Auicennae*, tom. II. p. 3. *Ephemera ex crapula, ex ſatietate, ex cacochylia, a cruditate* Sennerti; *Ephémère d'indigeſtion.* B.

Succi acres, bilioſi, putres, iniucundi moleſtant vaſa ſanguifera, vnde ſenſu confuſo natura excitata febre ephemera eos per diapnoën, ſudorem, vrinam, diarrhoeam, exterminat.

3. *Ephemera catarrhalis*, ſeu *a frigore; Diaria VIII Foreſti*, quam ipſe paſſus eſt ex itinere cum vento frigido. *Diaria ex balneo frigido, pluuia frigida; Diaria ex moerore, terrore, cet.* B.

Refrigeratio corporis non perſpirationem ſolum cohibet, vnde plethora; verum et humores figit, denſat, vnde cordi opponitur reſiſtentia, quam moleſtiam tollit natura conatu et attritu febrili, qui diariam illam conſtituit: moeror et metus eamdem inducunt in corpore mutationem; nam moeſtitia et timor impe-

diunt perſpirationem; *Sanctor.* ſect. VII, aph. 8, 9, et 15. et perſpiratio impedita a quacumque cauſſa moeſtitiam et timorem facit, aphor. 8.

4. *Ephemera a calore; Ephemera ab inſolatione, hypocauſtis, thermis, ammochaſia, balneo, cet: ab ira, furore, exercitio violento, labore immodico, peruigilio, a ſudorificis, cardiacis, liquoribus ardentibus.* B.

Huic anſam praebent principia caloris extrinſeca, vt inſolatio, balneum feruidius. Calor directus ſolis eſt duplus caloris reflexi, ſeu illius, quem ex thermometro metimur; ſed calor ille aeſtate ad 60um gradum thermometri aſcendit, adeoque tunc eſt duplus caloris ſanguinis ſani, eumque coagulare, ac lympham inſpiſſare valet in confiniis cutis, ſimulque fibras nerueas ingrate vellicare, et phlogoſi afficere; vnde effectus illius caloris ſunt fluidioris auolatio, reſidui viſcoſitas, irritatio cutis, ac proinde occaſio datur Ephemerae.

Ab inſolatione cephalalgiae, coryzae quotidie, hieme praeſertim, ſuperueniunt, quoties frigus, inſolationi ſuccedens, materiem perſpirabilem, a calore agitatam, cohibet.

5. *Ephemera lactea Riuerii; Ephemera puerperarum, nutricum a lactis refluxu, a lacte ſuppreſſo; la fievre de lait, le poil,* vulgo *arcouſſel.* B.

Tertia circiter a partu die accedit aliquale frigus, vel a minima ſitus in lecto mutatione, totum corpus peruadens, identidem reuertens cum grauitate; mammae ſimul dolent, tument, dein ſerum lactis effundunt; effluxus lactis ab axilla hinc et inde videtur procedere, deinde velut corpus mammae ſtringi videtur; mox ex papilla, maxime ſi has emulgeat alumnus, ſerum illud ſubſultim exilit, hunc lactis impetum nomine vernaculo *eſponche* indigitant mulieres: interim lochia adhuc cruenta fluere pergunt, ſed moderatius: interdum grana, vel acini papillarum rubent, tenduntur, nigricant, acute dolent: hos tumores, vulgo *canégres* nuncupant noſtrates; non raro moles mammae in tumores tactu, non viſu, dignoſcendos, paululum a preſſione dolentes, ſubdiuiſa videtur; atque ea ſymptomata intra duas, treſue dies vberiori lactis prouentu, ac ſudore copioſo, valde halituoſo, ſaepe olido, lactis coagulum referente, terminantur, et identidem nutrices ſrigore ſuſcepto,

inſeſtant; ſunt, quibus papillae rhagades patiantur, quod primiparis tantum fit, has *tendrieres* et *gerſures* Galli nuncupant.

Mammarum tumor, tenſio, dolor, lactis dein vberior prouentus, ceteraque ſymptomata ſuadere videntur, lac vteri deſtinatum ad alimoniam fetus, iam reſtricto vtero in ſanguine redundare, atque eo fine ſuſcitari Ephemeram, vt impetu ſanguinis vaſa lactifera mammarum amplientur, ſicque chylo viam praebeant in lac mutando: ideo vero lac in mammarum glandulis ſecernitur, quod e cruore ab illorum oſculis fugatur, ob affinitatem grauitatum ſpecificarum lactis et coli; antea vero chylus in mammis non ſecernebatur, tubis arterio-lymphaticis nondum ſatis diductis, atque Ephemera viam lacteo ſucco praeparat, vtili, ſed non ſemper viuido et impetuoſo molimine.

6. *Ephemera ſympathica: a phlogoſi, a dolore Frid. Hoffman.* cap. 14. *Ephemera a vulnere, fractura luxatione, caſu ex alto, contuſione, cet. Ephemera vulneraria Frid. Hoffman.* cap. 14. p. 186. B.

In parte vulnerata, contuſa, valide diſtracta ſanguis haeret, vel effunditur, vel eius liber fluxus praepeditur; ad eum autem diſcutiendum, reſoluendum, promouendum, maxime ſi graue pathema, quod concurrit, huius morae et inſpiſſationi anſam dederit, vires cordis ex ſympathiae legibus excitantur, totaque reſolutio intra paucos dies obtinetur, maxime ſi phlebotomia, vt fieri aſſolet, in vſum vocetur, cum potu calido, diluente, et auxiliis parti vulneratae, contuſae propriis. [Opus eſt, diſtinguas, vtrum magis ad plethoricam, an ad ſaburralem, aliamue ſpeciem ſpectet. Si vulnus phlegmaſia ſtipatur, facilius plethorica, ſi caput laeſum, ex conſenſu, magis ſaburralis, emerget, harumque curatio conueniet.]

7. *Ephemera maligna*, ſeu *ſudatoria; hydropyreton* quibusdam; *ſudoriferus morbus* Batauis; *Hydronoſus* Foreſti; *Sudor Anglicus* Sennerti; *Ephemera Anglica peſtilens* R. Fortis; *Ephemera maligna Junckeri* pag. 468; *the ſwealing ſickneſs* Anglis; vulgo *la ſuette* vel *ſouette.* A.

Symptomata. Summa virium proſtratio, animi deliquia, anxietas, cardialgia, capitis dolor. Pulſus frequens, celer, inaequalis, palpitatio cordis maxima, pertinax, aliquot quandoque annos a febre ſuperſtes. Sudor perpetuus, copioſus, vtilis, cum morbo terminandus. Calor moleſtus.

Hiſtoria. Primum coepit ab Anglia anno 1486, quam per quadraginta annos depopulata eſt; interea Germaniam, Belgium, Zelandiam, Brabantiam, Flandriam, Daniam, Norwegiam, Galliam ab anno 1525 ad 1530 peragrauit; autumno maxime ſaeuiebat, hieme inducias afferente, vere reuertebatur: initio vrbem occupans quingentos aut ſexcentos ſingulis diebus adoriebatur, ex quibus vix centeſimus euadebat; aſt adhibitis cardiacis, et vitato frigore, ſeruata quiete, ſudoribus prolicitis morbi ſaeuities deferbuit. Vide *febris ſudatoriae hiſtoriam in hiſtoria Regni Henrici VII a Verulamio.* Quatenus hic morbus diſcrepet a miliari ſudatoria, videſis in tertia claſſe. [Non epidemice ſolum graſſata eſt febris, ſed ſporadice etiam occurrit, ſi miaſma putridum, a plethorico ſuſceptum, febrem ſubputridam hanc efficit. Suſtinui ipſe in epidemia, quae Hallae 1772 graſſabatur, vt enormis prorſus ſudor, qui ad lineam cutim totius corporis adſidebat, ad 8 ſaltem horas perduraret, cum ſignis dictis, Naturae energiam ſuſtinens, ephidroſin adiuuando cardiacis diaphoreticis antiſepticis.]

8. *Ephemera menſtrua* Ramazzini, *Ephemera medica:* Vide *Valeſc. de Taranta* Philonium, et Hiſtor. medic. *Freind.* p. 163.

Puellae, quae catamenia pati incipiunt, ſi viuidae, ſanguineae, ſimulque fibra tenſa, elaſtica, donatae ſint, quouis menſe, quando ſcilicet catamenia ingruunt, febri ephemera corripiuntur cum leui et breui frigore, hyſteralgicis, cephalalgicis, aliisque affectibus, ſanguinem vndique preſſum, et reagentem indicantibus; ea vero omnia intra vnam, aut alteram, diem menſtruis erumpentibus euaneſcunt. Vidit *Valeſcus de Taranta*, Monſpel. Profeſſor, quem trigeſimo quoque die febris per 30 annos continuos adoriebatur.

9. *Ephemera anniuerſaria* Ettmüller. *Seidel.* de morbis incurabilib. p. 14. *Ephemera natalitia.* B. P.

Antipater Sidonius, Poëta, febrem diariam quolibet anno, ipſa, qua natus erat, die, reuertentem patiebatur, a qua tandem ſenex obiit, vt referunt *Valerius Maximus, l. 1. cap. 8. et Plinius, libr. 7. hiſtor. nat. cap.* 51.

10. *Ephemera haematohydrotica*, Georg. Agricolae; *ſudore ſanguineo ſtipata, Lycoſthen.* de prodigiis, *Schenck.* obſeru. pag. 766. A.

Epidemica et truculenta fuit.

11. *Ephemera dichomene*, *Deidier* obſeru. Conſult. 14. tom. 2. *Febris dichomene*, ſeu *menſtrua duplex*. B. P.

Ephemera eſt, quae decimo quinto quouis die reuertitur; hanc obſeruauit *D. Gibert*, *Doct. Med. Monſp.* In caſu *D. Deidier* dyſpnoea, motus conuulſiui, ſitis, vrinae rubrae, pruritus ingens, frequentia pulſus, et hypochondrii dextri intumeſcentia, quauis decima quinta die, per tres menſes, reuertebantur.

[12. *Ephemera ſyphilitica.*

α. *dichomene.* *Andre* obſ. p. 188.

β. *vulgaris.* *Tode. Richt.* Bibl. IV. 501. *Plenck* p. 127. 129. Comes aedoitidis humidae recentis: aut bubonum ſuppurantium.

13. *Ephemera putrida.* Huc referas, quam ſuſtinui, ſudatoriam.

14. *Ephemera choleſeptica*, ſeu bilioſa putrida. *Fincke* de morb. bil. anom. p. 56.

15. *Ephemera catarrhalis bilioſa.* *Wagler* de morb. muc. p. 39. not.

16. *Ephemera arthritica* *Sauv.* T. I. p. 300.

17. *Ephemera cum efflorefcentiis. Haartmann* ſp. 3. b. *Vogel* gen. 68. Comes eryſipelatis, vrticariae.

18. *Ephemera ſcabioſa.* *Haartmann.* l. c.]

Praxis Ephemerae. Quoniam Ephemera intra vnum diem vulgo ſudore terminari conſueuit, indicium eſt, materiem morbificam in illis potiſſimum vaſis ſanguineis reſidere, ex quibus intra tam breue temporis ſpatium expurgari per ſudores poteſt; circulatio ſanguinis eſt quinquies millies velocior in magnis arteriis, quam in vltimis vaſculis, ex aeſtimatione *Keillii*, qui ramificationes arteriarum quadraginta ordinum numerat; quoniam vero docent anatome et hydraulica, circulationem eo tardiorem eſſe in vaſis, quo magis ea a corde recedunt, cum numerus, ordinem ramificationum exprimens, ipſam a corde diſtantiam fere exprimat, veroſimile eſt, materiem morbificam in ramis decimi ordinis eſſe decies a corde diſtantiorem, quam quae eſt in aorta, adeoque decies tardius, ſi cetera paria ſint, a ſanguine expurgari poſſe, cum ad hoc, vt expurgetur, neceſſum ſit, vt in fluentum venae cauae et aortae reuertatur, quod ex hypotheſi de-

cies tardius exſequetur, quam quae per arteriolas recto tramite venis ſanguineis terminatas circulatur. [Si praeeunte febris ſolutione febris ephemerae genium conſtituere volueris, mallem, ponas, impetum febrilem eſſe in tela cellulosa, maxime ad vaſa ſecretoria cutis, et materiam morbificam, ſi quae fuerit, eſſe in ſero, aut materia transſpirabili, impetum febrilem eo deriuante, vt, quae primum ſymptoma fuerit, ephidroſis, deinde critica fiat, vti ſaepe ſolet.]

Vt ergo naturae ductum ſequatur Medicus, is debet in *Ephemera plethorica*, 1° aegrum omni cibo et iuſculo interdicere, vt vberior fiat perſpiratio, ſicque moles ſanguinis minuatur, nec pari paſſu actiuis particulis reſarciatur: verum potu aqueo non frigido, quantum ſitis exigit, ſanguinis viſcoſitas a calore intendenda debet praecaueri; imo ſi non ſatis procedat perſpiratio, potus theiſormes calidi, diaphoretici ex infuſis theae, veronicae, adianthi, cet. ſunt interponendi; atque vt inteſtinalis perſpiratio iuuetur, clyſma emolliens, non ſudante corpore, eſt iniiciendum.

2° Nihil eſt ad perſpirationem minuendam aptius, quam ſe nudum aëri frigido, ventoue exponere, vel ſe intra lectum iectigare, adeoque aeger more ſolito veſtitus in conclaui quieſcat, vel in lectulo tranquillus iaceat, ne ſimul vires motu muſculari inutili detrahat, et vt eas muniis vitalibus reſeruet.

3° Si dolor capitis, artuumue notabilis ſit, pulſusque vigor debito maior, quod expertus tantum iudicat, maxime vero ſi febrim in alteram, tertiamue diem prorogandam fore coniectamus, tum phlebotomia e brachio inſtituenda eſt, vt febris impetus, et cum eo ſymptomata dolorifica minuantur; in adultis vero ſemi-libram vel uncias decem detraxiſſe ſufficiet, abſente ſudore.

4° Praemiſſa phlebotomia, admiſſa diaeta et gymnaſtica congruis, febris intra diem vel intra quatriduum vtplurimum terminatur ſudore, vel haemorrhagia, quod rarius: et ſubſequenti die ad detergendas primas vias, aut etiam ſecunda die, ſi Ephemera extenſa fuerit, horis matutinis catharticum lene eſt propinandum, atque deinceps paulatim cibis eupeptis, mollibus, aſſuetis; reſtituendus eſt aeger.

5° Quo aeger infantiae propior, febris prolixior, fames vo-

racior, eo facilius a ieiunii ſeueritate recedendum, et iuſcula ſunt indulgenda.

6° Quo aeger vigori aetatis propior, feruidior, magis ſanguineus, floridus, phlebotomiae aut haemorrhagiae cuiuis aſſuetus, eo largius ſanguis eſt ipſi mittendus, vel vna, vel binis phlebotomiis.

In *Ephemera nauſeatiua* praeter auxilia iam aſſignata requiritur, 1° vt potu tepido, copioſo, vomitus proritetur, quem nauſea videtur indicare; imo ſi hoc non ſufficiat, ſitque epigaſtrii grauitas, cardialgia, oris amaror, capiplenium, cum modico pulſus vigore, aqua leuiſſime emetica, diſſolutis in eius libra duobus, tribus, vel quatuor tartari ſtibiati granis, vomitus eſt iuuandus; die vero ſubſequenti catharticum lene, diluens, non calefaciens, horis matutinis, eſt praeſcribendum; quod felicius ſuccedet, ſi pridie horis pomeridianis, aut cum febrilis calor maior fuerit, phlebotomia inſtituta fuerit, ſignis allatis indicata; demum febre terminata aeger more ſolito repurgandus eſt.

In *Ephemera lactea* 1° cauendum, ne puerpera, quae iuſculis quarta quauis hora per ſeptimanam circiter eſt nutrienda, primis etiam diebus, vt mos eſt, offis infarciatur, nec ante partum liquidis ſpirituoſis incendatur; 2° accedente febri, frigus eſt cautiſſime arcendum, quod ſenſus horroris a leui ſuſcepto aëre ſuadebit; 3° vt via lacti mammarum ſeroſo praeparetur, atque vtut paucum tum ab alumno, vt ruſticis ſolemne eſt, tum a mulierculis, tum a catellis, tum ope ſiphonis exſugatur bis in die; ſicque ſecretionis libertas augeatur; 4° vt ex parte mammarum omnis alia tollatur reſiſtentia, linteis tepidis tegendo, oleo amygdalarum liniendo, molli goſſypio obuoluendo; 5° abſente febre alumnus eſt a matre lactandus, quo lacte ſeroſo et diluente meconium et facilius et felicius expurgatur: atque lactans mater citius a febre et a lochiorum incommodo immunis euadit; 6° nona circiter die puerpera leniter eſt purganda, dein offis et carnibus paulatim aſſueſacienda.

In *Ephemera ſudatoria* praeter cautelas, aſſignatas aegri cardialgiae, cardiacis ſunt debellandae, vt aqua florum aurantiorum, cinnamomi hordeati, vino mero, [aceto vini, acido citri,] cum confectione hyacinthina, alkermes, (theriaca), atque ſudor tum caute ſuſtinendus, tum, ſi langueat, his cardiacis atque ſudorificis promouendus.

[Speciebus adiectis n. 12 — 16. conueniet methodus curatiua, morbo, qui ſubeſt, congruens.]

II. SYNOCHA, *Synochus imputris Galeni* libr. 2. de differ. febr.; *Synocha Gordon.* Lil. cap. 5. de febre ſanguinea; *Gilberti Anglici* fol. 28; *Septimanaria* F. *Plateri* Claſſ. Dolores; *Synochus ſimplex River* cap. 2; *Continens non putrida Lommii* p. 2. *Febris continens* ſeu *Synocha Stahlii* Caſuale minus, caſ. 87; *Synocha febris*, *continens catexochen* dicta, *Juncker* Tab. 57; Ægri *Septimani* vocantur. *La Synoque.*

Genus eſt febris continuae, quae ad ſeptimanam vtplurimum extenditur, *Galen.* de differ. febr. p. 272. *Tom. II.*

Symptomata eadem, quae in ephemera, eo diſcrimine, quod febris non illico tota accedat, ſed in dies maior, ac maior, euadat vsque ad tertiam, quartam vel quintam diem, tuncque in eodem vigore perſeueret vsque ad declinationem; laſſitudo, capitis dolor, virium muſcularium proſtratio, ſenſim pari paſſu creſcunt vſque ad acmen; praeterea in acme omnia vehementiora ſunt, vt cephalalgia, carebaria, faciei rubor, calor corporis, velocitas pulſus ex plenitudine et frequentia repetenda, ſomnus altior occupat, pulſant tempora.

Terminatur ſeptima die vel haemorrhagia narium, ſi plethoricus, ſanguineus ſit aeger, vel perſpiratione inſenſibili, vt accidit Prof. *Wedelio;* vel ſomno, vt accidit Prof. *Stahlio*, (*claſſ. de febrib.* pag. 1.); vel ſudore.

Synocha iugem habet aeſtum nihil remittentem, et quamuis per horam nonnumquam remittat, hoc accidentale eſt, non vero ſtatum, nec eſſentiale, et vix inde leuamen ſentiunt aegrotantes; *Stahlius.* Huius principium ſeu occaſio eſt, ſanguis purus vtplurimum, ſed vel copioſus, vel ſero perſpirabili onuſtus, vel igneis particulis foetus, vel leuiter inſpiſſatus per moram [vel reſolutus ſtatu putrido, ſubputrido, aut ſympathiae debetur, rel.]

Synocha periculoſior eſt ephemera, quantum eſt vehementior et diuturnior ſimul; cum enim malo phyſico ſeu periculo proportionales ſint naturae conatus, quoties ordinati ſunt, vt in hoc morbo; quo febris vehementior eſt et pertinacior, eo maiori molimine atque longiori opus eſt, vt materies morbifica mutetur, adeoque eo magis nocere oeconomiae animali ea materies cenſenda eſt.

Quo plura ſimul vitia concurrunt, vt ſanguinis ſpiſſitudo et plethora, eo periculoſior eſt morbus; quia eo maiora molimina exigit, vt tollatur, et ſi vires deficiant in hoc molimine, vita deficit.

1. *Synocha plethorica; Febris ſanguinis Auicenn.* T. 2. pag. 43; *Synocha inflatiua Heurnii* de ſebr.; *Synocha ſanguinea Sennerti* de febr. l. 2. c. 10; *Synocha 7° die ſolutà Fr. Hoffmanni* Obſ. 3ª; *Synocha ſimplex Eiusdem* de febr. p. 110, 111, *Selle* pyret. p. 104. D.

Differt ab ephemera plethorica, quod non eſt ſudor conſtans verſus finem morbi.

Principium huius febris eſt plethora commota, ſeu copioſior ſanguis, isque ſimul feruidus, et per pathemata viuida, exercitia immodica, eſculenta, calefacientia, exagitatus; vnde quid egerendorum, vt haemorrhoidum, catameniorum, perſpirationis, phlebotomiae aſſuetae, cet. ſuppreſſio; quid ingeſtorum copia adaucta conferant, in huius productione, ſatis liquet. Licet autem ſub finem morbi ſigna ſaburrae putris accedant, ea ſunt effectus, non vero principia morbi.

2. *Synocha ardens; Synochus cauſonides Gilberti Anglici* fol. 56; *Synocha bilioſa Sennerti* lib. 2. cap. 10. *Synocha cauſodes Mangeti* Biblioth. Med. *Cholerica febris Frid. Hoffmanni* de febr. ſ. 4. cap. 2. obſ. 5. A.

Ea corripit graciles, bilioſos, ſanguine copioſo, ac carne, non ita abundantes, qui vitam laboribus deditam agunt, corpusque multum exercent, et pathematis viuidis exagitantur; qui in ſole et aeſtu diutius verſantur, aut cibis et medicamentis calidis ſunt vſi. Calor eſt acrior, vehementiorque, ac ſitis magis diuexat, quam in plethorica; vrinae ſunt tenuiores atque acriores. Differt a tritaeophya ardente, quod non ſponte periodice remittat.

3. *Synocha putrida Sennerti.* A.

Licet calor in ſynocha putri, ſi cum aliis putridis conferatur, ſit mitior, tamen ſi cum ſynocha plethorica comparetur, calor eſt acrior. Deinde in putrida vrina eſt rubra, craſſa ac turbida, ſine ſedimento, cruda, aut ſaltem leuiter cocta in principio, pulſus praeterea vt in aliis putridis. Tandem ſymptomata omnia, vt dolor capitis, inquietudo, vigiliae, cet, maiora ſunt, quam in plethorica.

Pulſus vt in aliis non eſt ſolum magnus, ſed et vehemens, celer, frequens, inaequalis et inordinatus.

4. *Synocha tragoeda Ramazzini*, conſtit. Epid. p. 184. A.

„Narrationem oppido curioſam apud *Lucianum de conſcri-* „*bend. Hiſtor.* habemus de febre quadam tragoeda (ſic enim il- „lam appellare liceat) quae Abderitas temporis fere momento „inuaſit. Egerat Archelaus Poëta tragicus, media aeſtate, „multoque aeſtu, apud Abderitas, Euripidis Andromedam, ex „quo factum vt multi ex theatro febricitantes exierint, ac vni- „uerſi poſtmodum febre grauiſſima fuerint correpti, quae die „ſeptima plurimo ſudore erumpente, nec non ſanguine e nari- „bus profluente, ſoluebatur, ſuperſtite tamen ridicula quadam „mentis perturbatione; nam, vt refert Auctor, *omnes quaſi ad* „*tragoedias agendas impellebantur, et iambica perſonabant, mul-* „*tumque vociferabantur, maxime autem Euripidis Andromedam* „*canticis referebant, plenaque adeo ciuitas erat pallidis, ac macilen-* „*tis illis tragoedis ſeptimanis*. . . Haud aliter apud nos immo- „dicus aeſtus, plebem vrbanam, inter anguſtias aedicularum con- „cluſam, in febres agebat, adſpectu quidem terribiles, nec ſine „mentis emotione, ſed quae poſtea die ſeptima, oborto ſudore, „poſt celebratam liberali manu phlebotomiam, ſoluerentur: vbi „vici anguſti et anfractuoſi ſolis ardorem eludebant, minus a fe- „bribus populares exercebantur, atque id beneficii ex hac febre „ſecutum eſt, vt reſeratis a calore et ſudore poris cutaneis, ex- „terminata radicitus ſcabie, plebs nitidior ac vegetior apparue- „rit. *Ramazzini.*"

5. *Synocha catarrhalis Frid. Hoffmanni* de febrib. ſect. 4. cap. I. obſeru. 5. *Catarrhus cum febri epidemicus Georg. Heniſch* Comm. in Aretaeum pag. 315. *Febris epidemica ann.* 1580. *Riverii*, obſeruat. X. pag. 137. A.

Illa ſpatio ſex ſeptimanarum anno 1580 omnes fere Europae gentes affligebat, vix vigeſimus huius morbi expers erat praeſertim in Saxonia. In inuaſione omnes vires languebant, praecordia grauitatem ſentiebant, cor preſſionem, et palpitabat; pulſus parui, celeres et inaequales erant; caput erat graue, et ingraueſcente morbo ita aegroti languebant vt tremerent et conciderent; quidam vigilabant, alii profundiorem ſomnum habebant; ex capite fluxit acrior et ſubſalſus humor ad thoracem, qui tuſſim mouebat, in extremis partibus dolores vagos et pun-

giriuos excitabat; initio horror et calor totum corpus et caput occupabat, et ad tactum non erat mordax, continuus tamen cum rubore oculorum et tumore; vrina primum tenuis, mox craſſa; aliis ſanguis e naribus fluebat; plerisque ſudor copioſus prorumpebat, quo et febris finiebatur, quarto vtplurimum die; interdum, ſed raro, longius protrahebatur ad ſeptimum vel nonum diem. *Heniſchius.*

6. *Synocha ſcorbutica*, *Lind.* de Scorbuto 1756. *Sydenham* pag. 39. A.

Vidi in puero, cuius pater et mater ſcorbutici erant, febrim continuam acutam cum ſtomacace ita putrida, vt vix vllus cameram, in qua iacebat aeger, ingredi poſſet, qua intra ſeptimanam obiit. In hac conuenit limonata mineralis, ſeu ex ſpiritu vitrioli in aqua ad gratam aciditatem, catharſis lenis, vinum rubrum, cet. Conueniunt etiam, cremor tartari, [ſolubilis, acidum tartari, liquor terr. fol. tart.] vel acetum cum ſale tartari mixtum; ſumatur bis vel ter in die ad vncias quatuor, nec non ſpiritus Mindereri adhibeatur.

7. *Synocha dolorum; febris ſymptomatica a doloribus orta Frid. Hoffmann.* de febr. ſymptomat. pag. 187. T. 2. A.

Non febris ſolum ſynocha, vel ephemera, comitatur dolores et phlogoſes, quae fiunt in vulneribus, ambuſtionibus, tumoribus phlegmonodeis, bubonibus venereis dum ſuppurantur, tendinum puncturis, ſed etiam morbis dolorificis ineuntibus aſſidet, vt paroxyſmis arthritidis, rheumatiſmi, nephralgiae, proctalgiae a mariſcis, ſimilibusque.

Cura exigit phlebotomiam repetitam, victum tenuem, diluere et demulcere aptum; ſyrupos, papaueris rhoeados, papaueris albi, laudanum; extus vero admouentur fomenta emollientia, leniter reſoluentia, cataplaſmata anodyna ex mica panis, lacte, croco: cauendum a catharticis, quae non, niſi ſedato dolore, ſi ſaburra primas vias infeſtet, aduocanda ſunt, eaque minoratiua, antiphlogiſtica.

8. *Synocha cephalalgica*, obſ. D. *Razoux*, Med. Nemauſenſis, *Journal de Medécine* Nouembre 1758 pag. 415. *Cephalalgia verminoſa.* A.

Febris ardens, continua, pulſu pleno, vehementi; cutis arida, vrens, facies rubra, oculi inflammati, dolor capitis, ſeu frontis aſſiduus, continuo creſcens a morbi initio; lingua niti-

da, nulla laeſio ſtomachi, nulla ſaburrae indicia; poſt ſex largas phlebotomias, catharſes, anodyna, narcotica, ptiſanas nitratas morbus perſeuerabat; tandem ex praeiudicata ſuſpicione ſaburrae praeſcribitur emeticum, et aegra ſeptuaginta duos vermiculos ſternutando, et vomendo eiecit ex naribus, qui in ſinubus frontis latitabant, et illico ab omni febri et cephalalgia liberata eſt.

Vermiculi erant ſeptem, vel octo lineas longi, albi, tres lineas lati, annulis diſtincti, omnino iidem, qui in ſinubus frontis veruecum reperiuntur, deſcripti a *D. de Reaumur*, *Hiſt. des Inſectes tom.* 4. *pag.* 555. Haec autem mulier pridie huius morbi biberat aquam riuuli, ex quo pecus ouile paulo antea ſitim extinxerat; hi vermiculi ſpinis rubris, vncis et corniculis hiſpidi, irrequieti, et agiles ſunt, ac oues in phrenitidem agunt, qua exiliunt, et arbores obuias capite impetunt.

[9. *Synocha miliaris; Suette.* D. *Boyer* Mem. de l'Acad. des Sc. 1752. *Ludwig* Comment. Tom. 3. Vide *Miliarem Sudatoriam.*

10. *Synocha purulenta. Vogel n.* 78.

Comes phlegmaſiae ſuppuratoriae viſcerum.

11. *Synocha ſcabioſa.* Vidi Comitem ſcabiei.

12. *Synocha trichomatica. Iuch.* de trich. §. 15. pag. 22. A reſecta plica, ſalutaris.

13. *Synocha exanthematica.* Frequens comes exanthematum.]

III. SYNOCHVS Galeni; *Continens putrida Lommii libr. I. pag.* 2. *Febris putrida* Riuerii: *Synochus putris*, *febris continens dicta Pitcarnii* de febrib. 24; *Febris continua putrida Boerhaave* aphor. 730. *Fiévre continue.*

Eſt genus febris continuae, quae ad duas, tresue ſeptimanas extendi conſueuit, cum pulſûs robore, ſanum, in morbi ſtatu ſaltem, notabiliter ſuperante.

Differt ab ephemera et a ſynocha, 1° quod cum rigore ſaepius, maiorique frigore inuadat, atque 2° quod diutius creſcat; 3° quod ſecunda, tertiaue finita ſeptimana terminetur. A typho vix initio diſtinguitur; differt tamen odore proprio, debilitate artuum minori; robore pulſus, quoad frequentiam, plenitudinemque, multo maiori et ſanum ſuperante; calore ſanum

excedente, cum in typho calor, vrina, pulſus ſano ſimiles, ac pulſus ſaepe debilior; linguâ ſordida quidem, ſed non nigreſcente, niſi in paucis ſpeciebus. Ab hectica differt motu velociori, ſymptomatum vehementia, debilitate, initio etiam maiori linguae ſorditie, cet.

Rarior eſt amphimerina putrida, quacum vulgo confunditur; numquam eſt homotona, nec peracmaſtica, nec epacmaſtica, ſed initio et fine ſemper debilior, in augmento et ſtatu fortior, vnde illae diuiſiones Veterum inanes videntur.

Symptomata in functionibus animalibus. In vigore ſaepius adſunt vel ſomnolentia, vel leue delirium, in tractu faſtidium et taedium, motus muſcularis difficilis, virium proſtratio, ita vt fere ſemper iaceant, imo ſaepe in ſitu horizontali ſupino, minus tamen, quam in typho. Adde dolores lumborum, capitis, ventriculi grauamen, imo cardialgias, vertiginoſam titubationem. *In functionibus vitalibus.* Reſpiratio frequens, et amplior ſolito, ſeu in eadem ratione, qua pulſus, difficilis, ſuſpirioſa. *In functionibus naturalibus.* Solidorum ciborum, et praeſertim animalium, faſtidium, iuſculorum auerſatio, frigidorum et ſubacidorum ſitis intenſa, ni ſopor adſit, aut delirium; tabaci aſſueti, vini auerſatio. *In excretionibus.* Halitus oris et cutis foetens, in conualeſcentibus quandoque moſchatus, vel ſingularis; ſaliua viſcida, pauca; vrina rubra, turbida, ſedimento in declinatione albeſcente, deiectiones bilioſae, flaueſcentes. *In qualitatibus.* Facies non ita rubens ac in ephemera, nec ita plumbea, ac in typho; calor ſiccior, mordacior, quam in ephemera, intenſior, quam in typho per tractum morbi; initio frigus et horripilatio, ſine tremore tamen, ſed a leui ſitus mutatione reuertens. *

* Dolendum eſt, quod nullus Auctor, vt obſeruat *Stahlius*, febrium ſpecies diſtinxerit, niſi ex praeconcepta putredinis et malignitatis opinione, ita vt indiuiduas obſeruationes compertas ad ſuam ſpeciem, imo ad genus referre difficillimum ſit: hoc exinde factum eſt, quod nullus Auctor hiſtoriam morbi ſeponat ab eius theoria philoſophica, et ſemper cauſſam cognitam ſupponat, atque exinde ſigna characteriſtica deriuare contendat, quo errore nihil peius in re medica.

Galenici omnes febres humorales putredini adſcripſerunt, ephemera ſcilicet et hectica tantum exceptis, quia illam ſpiritibus, iſtam ſolidis excandeſcentibus tribuebant, vnde iuxta ipſos febris putrida erat claſſis febrium, quae continebat omnes

Galenus duas Synochi ſpecies admittebat, ſanguineam ſcilicet et bilioſam; *Sydenham* vero nulli hypotheſi addictus plures multo obſeruauit, nec facile determinandum hunc numerum eſſe, putat.

Synochus putris, ait *Riuerius*, nullis paroxyſmis diſtinguitur, vnde diſcrepat a remittentium generibus, vt amphimerina; nec enim paroxyſmis adſcribi debent calores vel fugaces a iuſculo, motu, oriundi, vel ſimiles mutationes, quae Gallis *Bouſées* nominantur; multo minus illa acceleratio pulſus, quae ſanis etiam omnibus accidit, quaeque febricula veſpertina vocatur; quod ſi ita eſſet, vt volunt Neoterici, nulla febris continens daretur, omnes eſſent remittentes, vel exacerbantes.

1. *Synochus ſanguinea Galen.* 2 method. cap. V. *River.* pag. 304; *Febris continua annorum* 1661 *ad* 1664. Londini *Sydenham* cap. 4. pag. 29; *Febris depuratoria Eiusdem.*

Diſtinguitur haec ſpecies 1° vomituritione initio, et diarrhoea verſus finem, niſi Medicus principio obſiſtat, vnde putris cognominatur; 2° lingua ſicca et nigra; 3° ingenti et ſubitanea artuum debilitate; 4° partium externarum ſiccitate, ſi declinationem, leni madore ſtipatam, excipias; 5° ad decimum quartum vel vigeſimum primum diem extenditur. Diſcrepat a typho, quod licet ſumma ſit artuum proſtratio, tamen pulſus in

exacerbantes: omnes intermittentes, et omnes (duabus exceptis) continuas. Neoterici ex Veterum claſſe genus vnicum confecere, quod febrem putridam vocant, ſeu ſynochum, vnde Veterum pyretologia euertitur.

Nos ſeponimus, quod excogitauit circa cauſſas opinio, ab eo, quod obſeruatio docet, et ſpecies a cauſſis nequaquam diſtinguendas cenſemus, ſed tantum a ſymptomatis; vtrum putredo latens febres omnes foueat, nihil ad hiſtoriam febrium pertinet, ſed tantum ad earum philoſophicam cognitionem, ſine qua tradi debet hiſtoria. Eam interim ſibi arrogant Neoterici licentiam, quam nemo facile Botanico conceſſerit, a quo in deſcribenda plantarum hiſtoria ſenſuum requirimus teſtimonium, non rationis commentationem.

„Febrium quidem ſpecies omnes „iuxta phaenomenorum ſuorum „varietatem in genera redigere, „ac characteres cuiuſque idiopa„thicos enucleare res eſt multi „otii, ac ſumme ardua, ad quam „vnius Medici aetas non ſuffece„rit; at vero hic labor, vtut ſit „improbus, prius eſt exantlandus, „quam nos aliquid memoratu di„gnum in extricanda tam multi„faria horum morborum ſerie „praeſtitiſſe iure poſſimus glori„ari:“ *Sydenham* cap. 11. p. 28.

vigore morbi plenior et frequentior ſit adeoque fortior, quam in ſanis, ſimulque calor intenſior, nec vlla in hac ſpecie purpura appareat.

Symptomata quidem a praua medendi methodo diuerſa exſurgunt, quae diagnoſin ſpeciei confundere poſſunt, ſed ea tantum, quae ſibi relicta febris producit, recenſenda ſunt. De cetero ea ſpecies conceptam ſemel efferueſcentiam, ſine vlla exacerbatione eodemque ſemper tenore, (niſi acmen excipias,) perficit, vrina vbique, vel tenuis, vel craſſa, vtraque ex aequo cruditatis indicium. Cum diarrhoea in morbi declinatione accedebat, morbus inde factus peruicacior diutius affligebat.

Curatio. Si aeger iunior, vel ſenior, aut ab aliis morbis conualeſcens, fuerit, phlebotomia aut parca, aut nulla, praemittenda eſt. Si vegetus ſanguineusque ſit, illa initio inſtituenda, et pro viribus aegri habitualibus, ac morbi intenſitate, repetenda bis, vel ter; victus ſit ex iuſculis, quarta quauis hora ſumendis, ita tamen, vt interponi poſſint cremores fluidiſſimi, horum loco ſumendi. Si aeſtum et febrim iuſcula intendant, vt in bilioſis accidit, potus ſit decoctum hordei, vel quid ſimile.

Praemiſſis phlebotomiis felicius ſuccedit emeticum, epigaſtrii grauitate, nauſea, cardialgiis, indicatum, quod adultis ſit ex drachmis ſex vini emetici, cum oxymelitis ſcillitici vnc. I.; ſumat ieiuno ſtomacho, atque vno vel altero ptiſanae cyatho diluatur, necnon poſt quamlibet vomitionem, ptiſanae, vel aquae tepidae, cyathus hauriatur: vel tartari ſtibiati grana tria, aut quatuor, in aquae tepidae cyatho vno, aut altero, intra horae quadrantem propinentur. In noſtris regionibus minor doſis emetici ſufficit, niſi aegri ſint craſſi, robuſti milites, baiuli, atque in hoc caſu vncia vna et ſemis, vel vnciae duae vini emetici in tribus aquae tepidae cyathis mixti, interpoſito horae quadrante, ſucceſſiue hauriuntur, vnde plenaria ſuccedit vomitio.

Sequentibus diebus alternis catharſis ex decocto tamarindorum, addita manna aut rhei rad. celebratur; veſpere vero iulapium, vel emulſio, cum ſyrupo papaueris albi turbam excitatam compeſcit, diebus intermediis clyſmata laxantia repetenda, aſt verſus decimam diem obſeruandum, quieſcendum. Imminuitur vt plurimum febris, vrinae coctae apparent, ſudores ſalubres accedunt, et decima quarta febris recedit; curam vero catharſis abſoluit.

2. *Synochus ſudatoria. Febris continua epidemica ann.* 1665. *ad* 1667 Londini *Sydenham* pag. 63. A.

Dolor capitis intenſior, quam in prima ſpecie, et vomiturītiones etiam immanes; in plerisque diarrhoea, quae in prima ſpecie ope emetici poterat praecaueri, in iſta prouocabatur, nec tamen ceſſebat vomituritio; ſiccitas externarum partium; aſt praemiſſa phlebotomia ſudor facile ſuperueniens ſymptomata ſubleuabat, quocumque morbi tempore, quod in prima ſpecie non ante decimam quartam diem accidiſſet; ſanguis ſaepe pleuriticorum et rheumatiſmo laborantium ſanguinem colore referebat.

3. *Synochus variolodes. Febris (varioloſa) continua ann.* 1667 *ad* 1669. *Sydenham* pag. 99. *Synochus varioloſa. Huxham* de aëre pag. 33. A.

Haec ſpecies, cum variolis epidemicis ingreſſa, ſtetit cum iisdem ceciditque. In hac ſebre et hac variola ſcrobiculus cordis a leui preſſione doluit, capitis dolor, calor corporis, petechiae ſatis maniſeſto indicio ſe prodebant; ſitis interim non vrgebat. Lingua ſanorum ſimilis, quandoque albida, ſicca rariſſime, ſudores effuſiſſimi ab initio morbi ſine leuamine. A ſudorificis et calidis delirium phreniticum accedebat, petechiarum creſcebat numerus, et ſymptomatum aliorum intenſitas; vrina laudabilis, ſed ſine leuamine. Minus recte tractata ſpecies ad ſeptimanas ſex, vel octo, perdurat, niſi mors interceſſerit. Ptyaliſmus ſatis vber, quandoque ſub finem accedebat, maxime ſi parum euacuatus, multumque dilutus et refrigeratus aeger, isque ſalutaris. Exceptis varioloſis eruptionibus, cetera ſymptomata variolae congruebant. Caput, ſtomachus et lumbi laborabant quaſi ab ingruente variola, cum magna pectoris oppreſſione, et aſthenia; talis ſorte affectus nomen dedit *Febri varioloſae Sydenhami*; haec *Huxham* pag. 33. vbi vide curationem. [Haec febris eſt exemplum intercurrentis, quae *ſynochus plethorica* rectius cognominanda videtur, quam varioloſa, licet variolae eamdem febrim comitem haberent, vt rectius enunciabis. Quod enim aegroti capite, ſtomacho, lumbis, et ptyaliſmo, inſtar variolis decumbentium, laborarent, id non poteſt denominationi dictae rationem dare, ſiquidem eiusmodi ſymptomata his etiam febribus, nullis variolis graſſantibus, contingunt. Et maniſeſte curatio et febris, ſynochae variolodes dictae, et febris varioloſae, in eo conueniet, quod genio ſatisfacias, id eſt, hic, vti videtur, ple-

thorae, tum in variolis phlegmaſiae purulentae. — Quae iam dixi, etiam in aliis ſpeciebus ſebrium, affinibus, valent, vt iam ſuccedente dyſenteriode ſebri]

Curatio. Facillima methodus huius ſpeciei ſanandae eſt, 1° phlebotomias repetere, vt in morbo inflammatorio, etiam ſi adſit diarrhoea; 2° enema refrigerans vel ſingulis, vel alternis, diebus iniicere; 3° iulapium ſubacidum quater, vel quinquies, in die propinare; 4° ſerum lactis, aut aquam hordei, pro potu ordinario offerre; pultibus hordeaceis, panatellis, pomis, aegrum nutrire; 5° deterſisque ſudoribus quouis die aegrum e lecto eximere, vt calor contemperetur, cum in hoc morbo nulla alia ſit materies morbifica, praeter aeſtuoſum ſanguinem.

4. *Synochus dyſenteriodes; Febris (dyſenterica) continua* ann. 1669 ad 1672, *Sydenham* pag. 116. A.

Synochum dyſenteriodem a dyſenteria diſtinguo ex eo, quod in dyſenteriode ſint omnia phaenomena, praeter alui fluxum cruentum et torminoſum, quae dyſenteriam antea regnantem comitabantur, idem ordo ſymptomatum, idem exitus, cet: in Synocho vero dyſenterica ipſe alui fluxus cruentus, et torminoſus ſit ſymptoma morbi; quod tamen minus eſt notabile, quam ſymptomata mere febrilia.

Illa ſpecies cum alui torminibus raro inibat; ſudores etiam pauci, verum cephalalgia immanis, lingua albida, humida, aphthae in exitu a regimine calidiori, et in aegritudine contumaciori.

Cura eo debet vergere, vt materia acris, quae dyſenteriam excitaſſet, per alui colatoria educatur, edulcoretur; ſed cum vires non ita infringantur ac in dyſenteria, paregoricis minus eſt indulgendum, ne retineatur materies morbifica: pultes auenaceae, hordeaceae, panatellae ſint pro cibo; pro potu vero cereuiſia tenuis tepefacta. Aſt celebrata ſemel aut bis catharſi, pullorum carnibus aegros interdicere, nil iubet: tertia purgatio, interpoſito die, morbum abſoluit vt plurimum; ſi dein vires forent languidae, vt apud hyſtericas, laudanum et aurae liberioris vſus, febre depulſa, conueniunt. Hac methodo morbus nullo negotio victus recedebat. *Carus* his febribus ſuperueniens, ob medicamenta ſudorifica inopportune praeſcripta, letalis.

5. *Synochus pleuritica; Febris pleuritica Sydenham* ann. 1673. A.

Haec ſpecies actu dum ſcribo Monſpelii pandemica eſt. Incepit aequinoctio verno, et initio Maii etiamnum perſeuerat; incipit a frigore notabili cum horrore, laſſitudine; altera die dolor pectoris pungitiuus, ſed mitis, ſub mamma ſaepius dextra, qui preſſione non mutatur, cum calore, tuſſi humida, pauca exſpuitione ſanguinis, ſudatiunculis; lingua eſt alba; in feruidiori aetate et temperamento delirium accedit, ſecus minime; ſymptomata pleuritica poſt aliquot phlebotomias intra octo circiter dies recedunt, et febris remanet; in qua quidem calor quandoque creſcit; ſed nulli ſunt paroxyſmi veri a frigore incipientes. Febris ad 14um, ſaepius ad 21um diem extenditur.

Curatio. Aeger iuſculis quarta quaque hora veſcetur. Potus erit vel decoctum cichorii, vel infuſum capillorum veneris. Phlebotomia vna vel altera prima die inſtituetur; ſaepius adultis quatuor vel ſex neceſſariae ſunt; poſt ſecundam tertiamue, id eſt, circa tertium morbi diem purgabitur aeger cum mannae vnciis duabus vel tribus, et grano vno, alteroue tartari ſtibiati, in cyatho infuſionis florum violae vel in foliorum cichorii decocto, vel duo cyathi purgantes, vna hora interpoſita propinabuntur cum grano tartari ſtibiati, et mannae vnciis duabus in quotlibet: hoc remedio quandoque vomitus excitatur et lumbrici reiiciuntur, etiam in adultis; deorſum materies copioſae, fluxiles, excernuntur; die ſequenti phlebotomia, ſi vtilis ſit, collocatur; aſt alternis diebus uſque ad duodecimum et vltra diem cathartica repetuntur, & licet tuſſis ac ſputum ſanguinolentum, atque cruor cruſta alba tectus diſſuadere videantur, in primis et multo magis in vltimis catharticis drachma vna, aut altera folliculorum, aut foliorum, ſennae additur infundenda, cuius infuſio mannae vnciis aliquot addita ſcopum optime attingit.

Qualibet nocte iulapium paregoricum praeſcribitur; denique ſudores critici erumpunt aut ſputa craſſa, copioſa exeunt, et ſic morbus terminatur. [Deſcriptio iam data febris Synochi pleuriticae, iubet, moneam: caueas, ne differentiam cum ſpecie confundas. Id volo, quod, ratione genii Synochus plethorica, billioſa, verminoſa ſubeſſe ſub facie Synochi pleuriticae poſſit, atque fieri poſſe, vt tiro egregie hallucinetur, tum facile Synochum pleuriticam agnoſcens eamdem medelam ferat: vel plethorica ſeu inflammatoria, vel biliofa, ſubſit. Ipſe A. primum in epidemia ſua phlebotomias aliquot commendaturus, deinde

cathartica, imo emetica, qua et vermes reiici ſolere, dicit innuens, videtur differentias dictas agnouiſſe. Vt diſtinguas, cf. noſologiam, in ſupplementis, et febris analecta N. p]

Quomodo differat a pleuritide videſis in inflammatoriis.

6. *Synochus ardens Riverii* prax. lib. 17. ſect. 2. cap. 1. pag. 304: *Synochus bilioſa Galeni* 2. de differ. febrium cap. 2. et 2. de criſibus. *Fiévre continue* 1[re] *eſpéce*, *van Swieten* Maladies des armées. A.

„ *Riverio* auctore, a principio ad finem, vnicam acceſſionem „ habet febris ardens, quae Synochus bilioſa, etiam Synochus ar„ dens, nominatur." Diſcrepat maxime a *tritaeophya cauſo* ſeu ardente periodica *Riverii*. in qua ſcilicet ſunt paroxyſmi tertianarii.

Haec adoleſcentes bilioſos valde exercitatos aeſtate potiſſimum aggreditur, calore feruido, continuo, ad 33[um] therm. Reaum. gradum, et ſiti aſſidua ac peruigilio aegrum diuexans.

Curatio eadem, quae tritaeophyae cauſus, verſabitur in contemperando feruore ſanguinis per repetitas phlebotomias intra primos dies, per potum emulſionatum, vel acidulum, nitroſum, aut limonatam, tum vegetabilem, tum mineralem, qualem praeſcribit *Sydenham* ex ſpiritu vitrioli, aut ſalis in magna aquae copia diluti, ita, vt vix aciditas linguam feriat. Cathartica non, niſi ſedata febre, conueniunt, eaque antiphlogiſtica ex tamarindis, caſſia, cum manna, ſale polychreſto cet.

Maxime vero neceſſarium eſt, vt aeger auram liberiorem reſpiret, imo vt quauis die aliquamdiu, ſi vires ſinant, e lecto ſurgat, ſaltem ſupra lectum cubet veſtibus indutus, capite paulum elatiori, vt feruor ſanguinis temperetur, eiusque ad caput impetus retundatur. Clysmata refrigerantia quotidie repetita, nec non iulapia pluries in die hauriuntur; noctu vero emulſionibus ſyrupus de nymphaea, aut de papauere, addatur. *

* Sanguis initio extractus in hoc morbo cruſta coriacea alba tectus eſt, adeoque vere inflammatorius; hunc corruptum vocabant Veteres, et inde putredinem huiuſce generis febrium deducebant. *Riuerius* ipſe hac ſpecie correptus *obſeruat*. 94. pag. 97. hanc vocat *continuam putridam*, eamque duabus phlebotomiis et clyſmate ſuperauit intra triduum, nulla catharſi adhibita; errant ergo illi, qui putridas cum meſentericis confundunt, et omnes citra diſcrimen ſolis repetitis catharticis curari volunt. [Ne ponas, putridas cum meſentericis confundi.

7. *Synochus rheumatiſans Sydenhami* ann. 1675. A.

Illa eſt, quae dolores artuum in diuerſis partibus excitat, ſanguinemque phlogiſticum ſuppeditat. Curatur eodem modo, quo ceterae inflammatoriae, vt pleuritodes, variolodes, ardens. Huius hiſtoriam et curam omittit *Sydenham.*

8. *Synochus hiemalis Sydenham* poſtſcriptum in tractatu de hydrope, pag. 505. *Synochus catarrhalis* rectius dicenda. A.

Duobus primis diebus aeger nunc friget, nunc incaleſcit, de dolore capitis et artuum cum inquietudine conqueritur; lingua alba; pulſus quidem eſt ſanorum pulſui ſimilis, verum non eſt ea virium proſtratio, quae typhum deſignat; tuſſis ferme adeſt, ſed non adſunt alia peripneumoniae hiemalis ſigna, vt dolor capitis viuidus, thoracis coarctatio, dyſpnoea grauis; ſanguis tamen eſt pleuriticus.

Haec febris, ſi regimen calidum accedat, in typhum degenerat; accedunt enim delirium, ſopor, pulſus languidus, inordinatus, lingua arida, maculae rubentes et liuidae.

Cura vergit ad euacuandam pituitae colluuiem congeſtam, et repetita catharſi ſubducendam. Fiat phlebotomia ad vncias decem; die ſequenti blande purgetur aeger: alternis diebus ad tertiam vicem repetatur catharſis: ſyrupus de papauere dein ſingulis noctibus adhibeatur ad vnciam vnam: diebus a catharſi quidem multa exigunt, ſed ad amphimerinas pertinent; putridae vero dictae Veteribus magis inflammatoriae ſunt; vnde iuxta *Sennertum de febr. l. 2. cap.* 3. ſigna febris putridae ſunt calor vrens, ſitis magna et intolerabilis, lingua arida aut nigra, delirium, aut quid ſimile. In hac ſpecie ſuadet *Ill. van Swieten des maladies des armées*, phlebotomiam initio repetitam, largam, decoctum hordei pro potu, addita cuique librae oxymellis vncia; dein quouis bihorio ſumat aeger decoctum tamarindorum cum pauco nitri et mellis; ac bis in die clyſma laxans. Deſinente morbo infuſum febrifugum ſit potus ordinarius.

Vel enim ſunt, qui omnem Synochum cum veteribus pro febri putrida habeant, ii monendi, ne ſic Synochum inflammatoriam, aut catarrhalem cet. male tractent. *Vel* febrim putridam, vere tantum *gaſtricam*, aut meſentericam, habere poſſunt, qui iterum admonendi erunt, ne noceant abuſu emeticorum, rel. Arbitror, A. voluiſſe lectores monere, dari febres putridas e veterum theoria, vbi putredo apparens, niſi fictam dicere malueris, ad febris differentias pertinet, dari alias *putridas*, quae *genio*, ſpecie ſint, recentiorum maxime induſtria ſtabilitae.] Meſentericae, quae a multo putridae ſaburrae apparatu in primis viis fouentur, cathartica

vaculs, decoctum pectorale et iulapium bechicum vſurpentur, emulſio interponatur: e lecto interdum ſurgat, et a carnis eſu abſtineat, iuſculis tantum vtatur.

9. *Synochus anniuerſaria* Beniuenii apud *Seidelium* de morbis incurabilibus. pag. 14. B.

Quidam ſingulis annis ſtato die, quo natus fuerat, febri implicabatur, quae ſuum circuitum ſeruans quartum et decimum non transgrediebatur diem, donec ſenio confectus, et ex more eadem implicitus febri, natali ſuo die vi morbi proſtratus occubuit.

10. *Synochus ſpermatica* Sinibaldi. B.

Caſtis, religioſisque coelibibus haec accidit, ob ſpermatis retentionem, vnde moeror, priuilegium.

11. *Synochus tarantata.* Vide Hiſt. de l'Acad. des Sc. 1707 et 1708. A.

Non muſicos ſolum, ſynocho diutius protracta affectos, ſubleuauit ſonus fidium, atque curationem abſoluit, ſed etiam vidi, quem in alio febris genere immanis dolor capitis alternis diebus cum febri vexabat, et quem mire ſubleuauit iteratus quotidie per aliquod tempus tympani bellici ſonus, cui ſpectaculo moeſtus intereram, vtcumque ludicrum exteris viſum eſſet; agebatur quippe de cognato, qui huius et aliorum auxiliorum ope conualuit.

12. *Synochus ſoporoſa Guarinon.* conſ. 301; *Riuerii* obſeru. pag. 134. *Sydenham* febr. contin. ann. 1670. pag. 119. *ſchedula monitor.* pag. 517. et *febr. contin.* pag. 138 et 141.

Incipit ſopor a delirio obſcuro, accedit ſtupor, dein ſomnolentia, quae a regimine calidiori excitata non potuit a *Sydenhamo* ſubleuari niſi auxiliis, ſub Cataphora febrili, recenſendis. Largum epiſpaſticum capiti raſo impoſitum prodeſt.

13. *Synochus ſcorbutica Sennert.* de Scorbuto. A. *Lind.* de Scorb.

Si in ſecundo ſcorbuti gradu ſint aegri, curantur acidis, lenibus catharticis, non neglecto vſu vini albi; ſi in tertia periodo accedunt colliquatio, purpureae maculae, diſſolutio putris, mors, teſte *D. Lind.*

14. *Synochus miliaris*, à Carouge en Normandie, Janvier 1754. Journ. de Med. Avril 1756. Gerard. D. M. A.

Febris initio mediocris, horroribus, laſſitudine, dein calore, praeuiis; pulſus paruus, debilis, irregularis; lingua initio ſana, in fine ſicca, cum ſiti ardenti; nauſeae, dolores vagi, agrypnia, magna aſthenia. Deiectiones frequentes, ſeroſae, foetidae, verminoſae, vrinae pallidae ſedimento viſcoſo. Cruor in patella nunc diſſolutus, nunc inſula in copioſo ſero; cutis maculis rubris, papulis vel albis, vel vtrisque. Terminus intra 15um vel 20^{i} dies per lyſin, raro ad 30^{m}. Mortis ſigna in quibusdam erant, quae valetudinis in aliis, vt ſtrictura laryngis ſtrangulans.

Cura. Remedia, quae proſunt, ſunt tartarum ſtibiatum in tamarindorum decocto; quaedam doſes ſalis ſedatiui, ſerum lactis, vel aqua panis cum nitro pro potu; cum diſſolutio non imminebat, phlebotomiae, veſicatoria tibiis admota, et ſal ſedatiuum in decocto bardanae pro potu. Hieme et aeſtate pernicioſior fuit.

Illam Synochum excitabat virus miliare latens, vt excitat alios bene multos morbos ſaeculo elapſo ignotos. An eadem ſpecies ac febris noua Sydenhami?

[Num in vniuerſum curatio, ab A. commendata, locum habeat, dubito: ſiquidem eiusmodi miliaris, inſtar pleuriticae et eſſe poterit inflammatoria, et choleſeptica, rel. Hinc pro genio morbi, qui vere ſubeſt, curatio inſtituenda eſt]

15. *Synochus a ſcabie.* A. *Muzell.* obſeru. T. 2. pag. 68.

Eſt vehemens Synochus ardens, intra ſeptem dies cum ſcabiei eruptione terminandus, qui a viru ſcabioſo, per vulnus brachii inoculato, exſurgit. Vide huius inoculationis mirum ſucceſſum in *Anaeſtheſia* 4^{a}.

[16. *Synochus irritabilis.* Auct. Spec. 5. *Selle* pyret. pag. 272.

Poſt ſuperatam ſynochum putridam, choleſepticam, ſuccedit 14 die, ſtipata, paraphroſyne, tremore omnium artuum, rigiditate totius corporis. Salus a balneo frigido.

17. *Synochus putrida. Stoll.* rat. med. T. 3. p. 135. *Rigler* de m. p. p. 11.

Calor quibusdam naturalis, lingua arida, ſitis minor, aut nulla, mira animi quies, pulſus non conuenit reliquis ſymptomatibus, praec. laſſitudini et ſenſuum ſtupori, naturalis ſaepe celeritate et robore, aluus inſcie redditur: vrinae ſanorum, ſubinde croceae, icterodes, deliria placida; iacent aegri immote et

incondite, inter ephidroſin petechiae et miliaria, critica. Solutio 14. die, aut tardius.

18. *Synochus choleſeptica.* *Nerucci* hiſt. febr. epid. ſenenſis. Senis 1767. Comm. Lipſ. vol. XVI p. 616.

19. *Synochus biliosa.* Auct. Spec. 5. q. v.

20. *Synochus catarrhalis bilioſa.* *Wagler* febr. putr. de morbo muc. p. 19.

21. *Synochus verminoſa.* Rec. period. Tom. 7. pag. 372. Journ. de med. Mars 1761. pag. 230. Mai 1761. pag. 411. ſq. Juill. 1765. p. 68. Juill. 1766. p. 222. Act. Heluet. T. IV. pag. 63.

22. *Synochus haematoſeptica laruata.* *Stoll.* r. m. T. 3. p. 107. 130.

Febris laruata, mentiens ſaburram, et cum hac bilis, ſepſeos, abundantiam, vt tamen ab emeſi et diarrhoea leuamen nullum ſit, quod cum ſalute praeſtat methodus antiphlogiſtica. Pulſus plenus, fortis, durus, modice celer, ſanguinis cruſta absque ſero roſea, tenaciſſima, aut plumbea, cinerea, obſcure flaua, diffuſa: epiſtaxis, petechiae, non leuantes; ſenſuum tarditas, ſomnolentia, paraphroſyne nocturna, caput interdiu confuſum, ſtupidum: vrinae magis flauae, aureae, numquam exquiſite inflammatoriae. Initio ſaepe amphimerina; criſis nulla notabilis. Salus ab antiphlogiſticis ſolis, aluum leniter ducentibus. Inflammationes internae maxime thoracis.

23. *Synochus purulenta.*

a. *a nephrophthoe.* Journ. de med. Avr. 1761. p. 352.]

IV. TYPHVS *Hippocratis* 1us et 2us de internis affect. *Foeſii*, 553; *Typhodes Pr. Alpini*; *Febris mali moris*, *febris neruoſa* Anglis; *Fiévre nerveuſe*, *la fiévre continue maligne.*

[Oportet Editorem in laudes *Sauv.* diuagari. Quemadmodum enim idea *aegritudinum malignorum* medicinae detrimento fuit, dum ſub obſcuro nomine obſcure ſtabilitas aegritudines medici comprehendebant, ſuaque in curatione commiſſa vitia hoc nomine egregie celabant, ita e contrario febris typhodes idea, a *Sauvageſio* primum iterum in lucem protracta, fecit, vt aegritudo obſcura fieret clara. Scilicet quum genium typhorum ſtudio perſequeris, videbis, ſubeſſe primum viſam malignam aegritudinem, *aut* grauibus ſtipatam ſymptomatibus, neruoſis,

quae primario adfectum eſſe ſyſtema neruoſum ſimulent, quamuis ſecundario tantummodo ſit adfectum, vt reuera plethora, ſaburra, rel. ſint impugnanda, *aut* morbus videtur eſſe plethora, ſaburra, aegrotus cum medico nihil fere timent, ſeu quod aiunt, vrina ſana, pulſus ſanus, aeger moritur, vt nihilominus periculum laruetur, quod ſyſtema neruoſum primario adfectum aegritudinem diſſimulet. Raro expertis ſaltem medicis maligna febris ſub typhodes nomine, huiusque differentia, facile patet.

Quae ſi conceſſeris, experientia confirmata, iam dicta, habens, facile intelliges, quid ſit, quod hoc caput adeo augere, vtcumque voluerim, non poſſim. Pauci enim ſunt medici, qui praeiudicatis opinionibus neglectis, febris typhodes indolem facilius, quam malignae, intellexerint: inde factum eſſe, vt morbum mali moris male curarint, adeoque multas eiusmodi obſeruationes ſuppreſſerunt; alii errores commiſſos fateri non erubeſcebant quidem, nihilominus genium nimis alienarunt, vt, ad deſcriptionem, ſeu characterem generis, aut differentiae, typhi inſeruire nequeat. Experti etiam medici, typhum eſſe initio plethoricam, aut ſaburralem, in medio ſubputridam, ad finem neruoſam, obſeruarunt, vt iterum exinde difficulter abſtrahas ſymptomata propria et communia.

Quare ſufficiat, medicos excitaſſe, vt pro futuro obſeruationes huius loci edant rite adumbratas: Quae in auct. exſtant dabo, quantum viſum fuit, emendatas, auctas.

Auctorum febres: plethorica ſubputrida; putrida inflammatoria; gaſtrica maligna; plethorica, putrida maligna, ſunt huius loci.

Satis congrue huc ducas, quae de febribus malignis edixit Cl. *Haartmann* ſciagr. morb. p. 6. n. c. Cognoſcuntur, *inquit*: 1. Symptomatibus febr. ſimpl. praeter ordinem aggrauantibus. 2. nec temporibus, nec 3. ſignis externis reſpondentibus. 4. doloribus cephalalgicis, cardialgicis, lumbor. et artuum grauioribus citra ſigna arthritidis vel rheumatiſmi. 5. algoribus et ſudoribus ſaepe alternantibus. 6. vomitu ſincero ſine ſignis calculi. 7. lipothymiis, vertigine, tinnitu, ſurditate. 8. vultu ſqualido vel lurido atque horribili, cum nimia virium proſtratione, oculis triſtibus et admodum cauis, pulueruIentis, ſiue ſplendidis, lacrimoſis, tumidis, alterutro minori cum diſtorſione et amauroſi. 9

mente torpida ſ. ſtupida et ſoporoſa in principio febris cum nimia incuria ſeu diſplicentia ſui. 10. inappetentia cibi potusque. 11. ſomno aut nullo, aut turbato, aut perpetuo, cum pauore, vel ore aperto. 12. lingua humida viſcoſa nigra, vel arida, fiſſa, rubra, dentibus nimis ſordidis. 13. Aluo initio fuſa, poſt foetida, varie colorata, inuoluntaria, ventre in principio tenſo, poſtea tumido, inflato: hypochondriorum tenſione et dolore. 14. ſtillis ſanguineis atris per nares vel inter foeces, 15. pulſu plerumque debili et depreſſo, interdum vix perceptibili intermittente, vel inaequali cum celeritate, vel celeri cum fortitudine. 16. iactatione atque indecenti ſ. inſolita corporis denudatione, decubitu ſupino et prolapſu ad pedes. 17. delirio lethargico l. ſoporoſo taciturno continuo, delirantes circa neceſſaria. 18. tremoribus, conuulſionibus, ſubſultibus tendinum et floccorum venatu, ſtridore dentium inſueto. Singultu cum aphonia. 19. deglutitione laborioſa, ſtrangulatoria vel tuſſiculoſa, cum ſtrepitu in pectore inter potandum. 20. reſpiratione parua rara et frigida, imo magna oppreſſa, rara et laborioſa: ſono ſtertoroſo intra fauces. 21. ſudoribus partialibus frigidis, colliquatiuis, in fronte viſcoſis cum exanthematibus pulicariis. 22. iſchuria, lotio nonnihil cocto, vel varie tincto, albo, viridi, rufo, nigro, foetido, ante iudicationem cocto et turbido. 23. vnguium, palpebrarum, vel naſi liuore, huiusque acuminatione, labiis liuidis contractis, labiis fonticuli flaccidis, pallidis et ſiccis, ſeu diuidis et ſiccis 24. criſibus ſ. euacuationibus tempore criſeos nec integris, nec leuantibus; tumoribus parotidum, pedum, ſcroti, cet. liuidis, rufis.]

Genus eſt febris continuae, quae vltra duas ſeptimanas, ſaepius tres, extendi conſueuit cum calore et vrina ſanorum ſimilibus, pulſuque quoad frequentiam ſano fere ſimili, et quoad robur non maiori, artubus interea maxime proſtratis. Pulſum ſano rariorem in typhis obſeruauit *de Bordeu* Recherches ſur le pouls pag. 309, et alii, adhibito etiam meo pulſilogio.

Diſcrepat a ſynocho, quacum magnam affinitatem habet, ex eo, quod pulſus vel aeque rarus, vel ſi frequens, ſaltem tantumdem minor ſit, quam in ſanitate: in hoc autem male morata, ſeu *maligna* dicitur, quod ſub bona quoad calorem, pulſum et vrinam ſpecie clam aegro inſidietur, et ſymptomata grauiſſima, vt ſoporem, delirium, cardialgias, exanthemata, conuulſiones inducat ſubito, cum initio mitis et ſine periculo viſa fuit. Noui certe

vulgo in Gallia potiſſimum toties malignis febribus accenſeri eas, quae inaſſueta et grauia ſecum ferunt ſymptomata; cum alii clament illud nomen aptius illis conuenire, quae a miaſmatis contagioſis, aut venenatis, procedunt, verum ne nominum aequiuocatio fiat, illud genus Typhi nomine indigitare liceat, malignarum epitheton illis ſpeciebus relinquatur.

Differt a morbis exanthematicis ex eo, quod exanthemata in Typho, vel a regimine calidiori inducantur, vel non, niſi in morbi ſtatu, ſuperueniant, eaque vtplurimum ſint maculae, non vero tumores, etiamſi parotides quandoque ſubnaſcantur: in exanthematicis vero eruptiones miliares, varioloſae, rubeoloſae, bubonaceae, cet. ante morbi ſtatum etiam prorumpant.

Demum pulſum fere naturalem frequentia tenus et ſummam artuum proſtrationem in aliis febrium generibus reperiri nouimus; vnde ſpecies ab inuicem diſtinguuntur; verum nihilominus Typhus genus diſtinctum facit, cuius ſpecies nonniſi a pluribus obſeruatoribus poſſunt diſtincte recenſeri. Hunc morbum a febrium claſſe eliminandum cenſet *Viſone* in libello dell' uſo delle batture, ex eo, quod frequentiam pulſus abſolutam in febris eſſentia ſeu arbitraria ſua definitione reponendam cenſuit. Nomen *cacoëthes* febribus huiuſce generis ab *Hippocrate* fuit inditum paſſim *in Coacis.* *

1. *Typhus ſeptica: carcerum D. Pringle,* obſ. l. 2. c. 6. *Febris carcerum; Maladie des priſons* ou *d'hopital*; *Huxham* de aëre pag. 82; *Maladie de geole; Jail diſtempers. Rigler* de m. putr. p. 11. A.

Initium. Horror et calor febrilis alternantes, anorexia, noctu recrudeſcentia ſine horrore, calor corporis, ſomnus interruptus non reficiens; labor et confuſio in cerebro, in ſyncipite: ſitis parua vel nulla; pulſus frequens; aegri tamen procedunt et vagantur; ſi tunc fiat phlebotomia, pulſus imminuitur et delirium accedit, vnde diſtinguitur a ſynochis, maxime ſi adſit tremor manuum.

* Malignus dicitur morbus, qui 1° inuadit cum ſpontanea virium proſtratione; 2° cuius ſymptomata non reſpondent ſtadiis morbi; 3° nec reſpondent ſignis externis, vt calori, vrinae, pulſui. Dantur febres malignae continuae, vt Typhi; aliae remittentes, eaeque frequentiores, vt amphimerina et tritaeophya.

Augmentum. Accedunt laſſitudo ſumma, nauſea, dolor dorſi, dolor et confuſio idearum in capite, ſumma virium et animi deiectio, pulſus velox et plenus; ſi tamen phlebotomia vna larga inſtituatur, pulſus frequentior et ſimul minimus euadit, ſequente delirio; cruor ſpiſſus initio et in progreſſu. Vrinae variae, nunc turbidae, nunc limpidae, pallidae, ſed in fine, ſi bene vertat morbus, vtplurimum craſſae et ſedimentoſae euadunt. Si aeger frigori exponatur, accedit diarrhoea non critica in peſſimo caſu, feces colliquatiuae, ichoroſae, putres. Calor cutis acer et mordax, ſeu relinquit in digitis Medici ſenſationem per aliquot minuta: cutis ſicca, niſi ſudor adſit, ſudor foetidus, ſapor prauus in ore, prauus odor, ab ipſo aegro perceptus ante, quam deliret, lingua ſicca profunde ſulcata, deinde flaueſcens, virideſcens.

Febris carcerum vel noſocomiorum, eſt morbus putridus, peſſimus, ſaepe contagioſus; incipit a frigore et horrore, quem leuis calor ſequitur, ambobus per interualla redeuntibus; anorexia abſoluta, ſomnus inquietus, non ſubleuans, dolor ſyncipitis obſcurus; pulſus fere ſanorum ſimilis, aliqualis cutis ſiccitas; ſic languent aegri aliquot dies negotiis inepti, ſed lecto non addicti: lingua raro arida, ſaepius mollis et cruſta flaueſcente obducta: aeger ſomnolentus eſt, at parum dormit, dum altis ſomniis immerſus videtur.

Progrediente morbo manus tremulae, auditus obſcurus, vox debilis, pulſus debilitatur; aeger cupit roborantia, vt vinum; noctu ſymptomata ingraueſcunt, demum in diuerſis morbi ſtadiis maculae purpureae irregulares effloreſcunt.

Letalis ominis ſunt ſubita virium proſtratio, viſus debilitas, decubitus ſupinus genubus retractis, conatus ad exiliendum e lecto, aphthae nigrae, petechiae liuidae, vibices liuidi per corpus diffuſi, diarrhoea violenta, cum materiis plumbeis vel ſubnigris et creſcente virium debilitate.

Cophoſis vero ominoſa non eſt, imo conualeſcentes ſaepius obſurdeſcunt, ac quandoque otalgia purulenta laborant. Vtiles ſunt bilioſa diarrhoea, vrina craſſa, maxime ſi vires perſeuerent. Puſtulae paruae, rubrae, numeroſae, imo miliares albae turgidae boni ſunt ominis, modo ſimul expectoratio facilis, et vrinae hypoſtaſis craſſa ſit. Prodeſt etiam ſudor mitis, ſubleuans, parotidum tumor, aphthae albae.

Occaſio huius febris eſt hauſtus miaſmatum putridorum, quae ex numeroſis, in anguſto et clauſo loco hominibus, vt in naue, carcere, noſocomio, exhalant.

Curatio. Putredo corrigenda, aër renouandus, mundities ſeruanda; phlebotomia raro prodeſt, etiam in robuſtis repetita nocet, vires deiicit, delirium arceſſit.

Si adſint nauſeae, pondus epigaſtrii, lingua mucoſa, flaueſcens, vomitio puluere ipecacuanhae cienda, ſubſequente largo potu tepidae: eiusdem diei veſpere bibatur ſerum lactis, quod paratur coquendo lactis recentis libras duas cum vini albi vnciis quatuor, ſeparetur coloſtrum et colatura ſumatur; huius defectu ſumatur decoctum febrifugum, cuius librae cuilibet addantur vini vnciae duae, et oxymelitis ſimplicis ſemiuncia; hoc ſero lactis vinoſo, vel hoc decocto vtatur aeger pro potu ordinario.

Sexta quaque hora aeger ſumat puluerem ex radicis ſerpentariae Virginianae, radicis contrayeruae, ana, gran. x. corticis Peruuiani drag. ſemiſſe, camphorae gran. IV; ſuperbibendo potum ordinarium.

Si languor extremus, maculae petechiales euaneſcant, vel miliares retrocedant, ſaepe mors extremis anxietatibus et conuulſionibus cito ſuperuenit, tunc camphorae dragma vna teratur in mortario vitreo cum guttis XX. ſpiritus vini rectificati, addendo ſacchari puri ſicci vnc. duas, deinque aceti vini fragrantis, vnc. decem; detur huius mixturae, in vaſe vitreo bene clauſo ſeruatae, cochlear quauis hora, ſuperbibendo potus ordinarii vncias tres, continuando vſquequo aeger leuamen ſentiat, et puſtulae vel maculae reuertantur; et tunc quarta quauis hora tantum remedia illa repetantur: ſi his ſuccedat lenis ſudor vniuerſalis, leuamen ſubſequetur. Si in decurſu morbi aluus adſtricta ſit, clyſmata iniicienda. Aeger ſtatim, atque reualeſcat, in aërem purum dimittendus eſt. Hactenus *Ill. van Swieten des maladies des armées.* In hac ſpecie moſchus plures ex orci faucibus eripuit. *Reid* Tranſ. Philoſ. N. 474.

Cadauerum plurimorum diſſectio, a *Pringle* inſtituta, docuit typhum carcerum a cephalitide, et cerebri vel cerebelli ſuppuratione ſeroſa ſaepius foueri, [niſi e contrario hac terminetur tantum;] aſt in cephalitide vulgari pyrexia eſt fortis, in typho debilis. *Pringle* Obſeru. ſur les maladies des armées Tom. II. Chap. VI. §. 4.

2. *Typhus cholecatarrhalis; lenta neruoſa* Auct. *nervous-fever*, *Huxham* eſſai upon the fevers 1752. *Febris neruoſa*, *Huxham* de aëre, pag. 147. *Hectica maligna neruoſa Williſii*; *Fiévre nerveuſe*. cer. path. p. 65. *Langriſh* febr. p. 329. *Home* pr. med. p. 1. *Glaſſ*. comm. de f. p. 94. Med. eſſ. T. 4. a. 23. T. 5. pag. 2. a. 48. *Manningham*. tr. Lond. 1746. Act. Suec. T. 15. p. 306. ſq. *Geſner's* Beob. T. 4. p. 88. ſq. *Grant* de febr. p. 184. *Stoll* l. c. T. 2. p. 35. 40. 326. lenta maligna R. A. *Vogelii* p. 39. A.

Initium. Faſtidium omnium rerum, leues phriciaſes, flammae fugaces faciei, laſſitudo vniuerſalis vt a magno exercitio, ſopor et animi abiectio, capitis dolor grauatiuus, vertiginoſus.

Augmentum. Accedit anorexia, frequens nauſea, vomitio viſcoſa, inſipida, identidem morbi vehementia remittit, ac dein maxime circa veſperam recrudeſcit, calor, cephalalgia vertiginoſa creſcunt, pulſus frequentior, ſed debilior, reſpiratio minus libera, dolor capitis in vertice ſecundum ſuturam coronalem, vel obſcurus, vel viuidus, ſimulque frigoris et ſtuporis ſenſus in occipite: hos dolores typhi comites frequentiſſimos ſequitur delirium; aeger 5^{e} vel 6^{x} dies in hoc ſtatu permanet, pallidus, ſomnolentus, ſed inquietudo et agitatio ſomnum tantum quaerere aut ſimulare permittunt. Pulſus ſemper frequens, debilis, inaequalis, alias vndoſus, nunc intermittens, alias celer frigidis auribus; vrina ſero lactis ſimilis, ſine ſedimento, niſi furfuraceo, ſi adſit; mucus albus, deinceps aridus, rimoſus linguam tegit; ſitis nulla.

Status. Septima vel octaua die vertigo, cephalalgia grauatiua, tinnitus creſcunt; delirium accedit cum oppreſſione, languore, anxietate; ſi ſurgat aeger, in ſyncopen cadit cum ſudore frigido manuum et frontis, ſed fugaci, dum palmae manus et genae calent. Si vrinae limpidae euadant, cito apparet delirium cum tendinum ſubſultu, delirium autem mite et mera idearum confuſio.

Lingua in medio ſicca, margine flauo, tremula, ſi in ſtatu morbi humida euadat cum multa ſaliua, prauum ſignum. Dyſphagia et ſingultus mali ominis ſunt. Nona decimaue die, ſudores generales copioſi frigidi, viſcoſi in extremis, cum deiectionibus alui fluidis, vnde vires exhauriuntur, aſt a diarrhoea moderata delirium et ſopor euaneſcunt. Si ſenſim exhauriatur aeger, pulſus frequentiſſimus et vndoſus euadit, delirium terminatur ſopore alto letifero: vrina, lacrimae, feces inſcio effluunt; mortem accelerant tremores et conuulſiones. Duratio

morbi a 14 ad 20 dies; verſus finem omnibus auditus et cognitio perit; plures immodice metuunt, quidam a ſomno abſtinent, ne mors ſomni ſpecie obrepat. Surditas cum puſtulis ad os, cum parotidibus ſuppurantibus, boni ominis.

Curatio. Quoniam huius morbi principia ſunt neruorum debilitas, ſanguis cacochymicus, euacuationes immodicae, aerumnae, vigiliae, vſus immodicus catharticorum et veneris, ptyaliſmus, cet, curandus eſt refocillantibus et cardiacis, alimentis ſcilicet lenibus, diluentibus; abſtinendum a phlebotomia, et ab opiatis; clyſmata tertia quauis die iniicienda; a leni emetico ordienda curatio; ptiſana de cornu cerui, panatellae, vinum, ſuccus aurantiorum, vires optime reficiunt, quae nullis ſudorificis minuendae, ſed iulapiis, cardiacis temperatis ter in die ſuſtinendae: apud Anglos veſicatoria tibiis, cruribusque admouentur, quae, ſi ſopor, deliriumue adſint, conueniunt.

A ſeptimo ad nonum eruptio miliaris ſuperueniens iuuanda cardiacis, diluentibus, vino rubro, quod ſudorem moderatur, nec eruptionem impedit; vber ptyaliſmus ſine aphthis vtilis eſt; ſudores effuſi noxii.

3. *Typhus lethargica* ſ. *comatoſa; Febris maligna cum ſopore River.* obſ. comm. 4. p. 134; *Fever of ſpirits Quincy* Eſſai 2. R. A. *Vogel.* prael. p. 48. A.

In hac ſpecie pulſus eſt mollis, inaequalis, non frequens; aeger interrogatus bene ſe habere reſpondet; inter dormiendum continuo, ſed obſcure, delirat, pallet, calorem natiuo ſimilem, aut minorem, habet; raro apud nos petechias, rarius miliares puſtulas patitur; dolor capitis, initio grauatiuus, cum virium proſtratione ſumma; lingua et labia cruſtis nigris teguntur; aeger ſaepius ſupinus iacet, naribus et lingua ſiccis; morbus tertia ſeptimana vt plurimum terminatur; foetor oris et halitus huic morbo proprius eſt.

Curatio huius morbi perquam diuerſa eſt: *van Swieten et Huxham*, magni artis antiſtites, praemiſſo emetico, ſere a catharticis abſtinent, vt ex typho carcerum patet. Monſpelienſes vero, praemiſſis phlebotomiis e brachio et pede initio morbi indicatis, praemiſſoque emetico, alternis diebus ptiſanas regias, ſeu catharticas, praeſcribunt; ſunt, qui cathartica ſingulis primis diebus repetunt, ſed mea et aliena experientia compertum habeo, aegros multo rarius, et leniter purgatos, apozematis a la-

ctica, cichorio, endiuia vſos, decocto prunorum, prunis et pomis coctis, cremoribus oryzae, initio limonata, in fine vino aquato vſos, interpoſitis clyſmatibus, optime reualuiſſe poſt tertiam quartamue ſeptimanam.

Actu video puellam, quae a 5° die ad 20um ſuo more vixit, cathartica, clyſmata recuſauit, ſed multum bibit ex aqua frigida, vino pauco mixta, limonata, decocto prunorum; pruna cocta ingeſſit, vix vlla iuſcula; 15° die nigredo linguae et labiorum abiit, delirium et ſopor receſſit, pulſus frequens et minus debilis euaſit, fames acceſſit, virium ſumma proſtratio ſenſim abiit, demum ſola fere natura duce conualuit; initio ter phlebotomiam et largam narium haemorrhagiam paſſa eſt et purgata.

Mulier adoleſcens plethorica poſt vigilatas noctes, inediam, curam liberorum et mariti aegri, incidit in typhum, quae ſexaginta dies vno eodemque feruore citra aliquam intermiſſionem eam veluti ſtupidam detinuit, nec interim per totum morbi decurſum vlla criſis ſe prodidit vſque ad diem ſexageſimum, in quo tantum ſputum album et ſpumoſum ſine tuſſi reiecit, ita vt huius ſputi libras duodecim emiſerit, quo facto conualuit, aſſerens ſe nihil incommodi, nihil doloris in toto hoc morbo percepiſſe. *Riverius.*

4. *Typhus hyſterico-verminoſa.* A.

Virgo adulta aegrotabat, pulſus ſex primis diebus erat ſano ſimilis, dolebat capite, mortem ſibi certo inſtare credebat, cor palpitabat, pectoris erant oppreſſiones fugaces; ſumtis mannae vnciis duabus cholera fuit excitata, dein lumbricum ore reiecit; pulſus ſeptima die paruus, inaequalis euaſit; frigus et calor vagus; adhibita ſunt vermifuga cum cardiacis; die duodecima, ob contumeliam ab ipſius proximo haereditatis cauſa acceptam, incidit in lethargum oculis ſemiapertis, facie cadaueroſa, angulo interno oculorum lippo, lacrimoſo, lingua fuſca, ſicca, et ſic fato functa eſt 15a morbi die.

5. *Typhus Caſtrenſis Boerhaav* conſult. pag. 209 de febre Caſtrenſi Hungarica. *neruoſa ſporadica Selle.* pyret. pag. 272. *Vnzer* T. V. p. 609. A.

Aliud eſt genus huiusmodi epidemicae febris longe peius atque lethalius, quod vix a centeſimo obſeruatur Medico. In eo quidem febricula eſt, vires illico proſternens, absque apparentibus malis ſignis; calor longe mitior, ſaepe vix percipiendus,

cum frigore ſaepe extremorum, reſpiratione impedita, anguſta, anxia; pulſus celerrimus, debilis, vix obſeruabilis, tenuis, maxime inaequalis, ſaepe quaſi euaneſcens; vrina non rubra, ſed plerumque lactea, turbida, abſque ſedimento, aut varia penitus; ſitis ſaepe minor, ſiccitas oris, linguae, faucium; inquietudo, deliria, anxietates leuiores. Febris haec ſola ſaepe virium iactura ſe prodit, adeo latere ſolet et fallere: *to theion Hippocratis* in hac agnoſce.

Curatio. Simul ac febris haec adeſt, ſurgat aeger illico de lecto, ſedeat in ſedili, moderatiſſimo calore fruatur, caueat ab aeſtu; capiti, manibus, epigaſtrio applicentur fomenta ex aquae et aceti partibus aequalibus; pedibus et nuchae noctes diesque applicentur epiſpaſtica ex fermento acri panis cum ſale et aceto ſubacto; bibat decoctum hordei cum ſucco citrei, aurantii, cum rob ribeſiorum, ceraſorum nigrorum, ſambuci, et ſimilibus larga copia. Vbi largo talium vſu permaduit, ſi ſponte ſudat, continuetur ſudor ille leniſſime ſine vlla violentia. Cibus eſto ex pane cum vino pauxillo et ſimilibus; medicamenta tum dentur omnia, quae putredinem arcent, humorumque nimiam diſſolutionem prohibent, qualia haec:

Recipe: *foliorum rutae, ſcordii, ana, m. ii: corticis citrei, unc, ii: ſucci citrei, unc. iii: aut aceti vini, vnc. ſemiſſ. aquae communis, lib. iv: tunc liquori filtrato miſce rob. ſambuci, vnc. iv: aquae ſtillatitiae cinnamomi, vnc. i. bibat de hoc liquore aeger vnc. i. omni hora de die et noctu, niſi ſomnus impediuerit.*

Quid eſt ea febris, niſi typhi ſpecies, licet pulſus celerrimus dicatur? Signa pathognomonica ſeorſim nulla ſunt ita certa, quin ſyndrome ſit multo certior in deſignandis ſpeciebus.

6. *Typhus Aegyptiaca* Proſp. Alpini; *Febris maligna* Aegyptiorum. A.

Haec autumno viget; incipit a vomitu bilioſo, cardialgia, anxietatibus, ſuccedunt deiectiones foetidae, variae in variis aegris; cacoſitia, adipſia cum lingua aſpera, ſicca, nigra; pulſus, vrina, calor, ſanis ſimiles; ſubiecta ſunt aduenae potius quam indigenae: principium eſt vel potus aquae coenoſae in ciſternis putrefactae, vel halitus lacuum.

Therapeia Typhi Hecquetiana. Si in febre, in qua per primos dies aeger vix febricitare videtur, cum vrina, pulſu, lingua, cute vix a ſanitate mutatis, ſed cum aſthenia, peruigilio; deinde

vero poſt leuem cephalalgiam accedentibus cardialgiis, hypochondriis tamen mollibus, ex improuiſo ſuperueniunt ſubſultus tendinum in carpo,, tum inter dormiendum, tum in explorando pulſu; tremor labiorum, linguae balbuties, ſomni inquieti, delirium, ſomnia, corporis ſubſultus, vel ſimilia, ea inſignem malignitatem indicant.

Praemiſſa phlebotomia ex brachio et pede ad venae iugularis ſectionem deueniendum eſt. Vtatur aeger ſero lactis, inde deueniat ad ptiſanam ex decocto aquoſo Kinaekinae, interpoſita mixtura ex vini emetici vncia, et ſalis Epſonienſis dragmas aliquot, cum Syr. quodam ſumat pro potu. Adhibeantur etiam leuia hypnotica, necnon clyſmata ex aqua, et ſic euaneſcet febris maigna.

7. *Typhus choleſeptica* ſ. *Icterodes; Fiévre jaune d'Amerique Lining Vandermonde* Journal de med. Mai. 1758. *Le Siam* Halleri. *Cleghorn. Hilliry.*

1[a] *Periodus. Initium.* Saepius triduo ante febrim cephalalgia, lumbago, dolor arthriticus, maxime in genubus, et ſuris, anorexia, laſſitudo, aſthma; dein febris incipit ab horripilatione, pulſus plenus, frequens, ſaepe durus, pulſant carotides. Calor ad 102 gr. therm. Fahrenheitii, non vltra, qui per biduum vtplurimum ſine remiſſione perſeuerat, cum ephidroſi quae tertia die euaneſcebat. Reſpiratio minima quae, a minimo motu, vel a deglutitione, acceleratur; lingua humida, aſpera, alba, in medio brunnea circa ſecundum diem, ſitis moderata. Tertia die calore, ephidroſi, pulſuque remiſſis, ſuperueniunt nauſea, vomitus. Hypochondria nec tenſa, nec dura. Prima die ſomnolentia, dolores antiqui renouati, animi proſtratio, debilitas, vultus ruber, oculi rubri, lucis intolerantia, raro delirium, feces nondum nigrae, cruor in patella floridus, nullum ſerum dimittens. Secunda die inquietudo continua, iactatio, dolores nulli, feces durae, nigrae, conſtipata aluus, peruigilium pertinax, vrinae copioſae, pallidae cum hypoſtaſi copioſa, prima die, ſed ſecunda die turbidae cum hypoſtaſi brunnea, tertia die ſanguinolentae. Intra 72 horas ad ſummum pulſus rarus euadebat, calor euaneſcebat ſine euacuatione critica; ſi tamen diaphoreticis blandis et diluentibus ſudor productus fuerat per triduum, cum febri periculum euaneſcebat; ceteri cum magna aſthenia, et oculorum flauedine, alteram morbi periodum ingrediebantur.

2ª *Periodus.* Pulſus tardior et mollior, quam ſanis, prae mollitie euaneſcebat ſaepius, et tunc aurigo, vomitus, delirium, iactatio creſcebant. Calor ſanus; pulſu debilitato frigus, facies, pectus, extrema ſubliuida. Cutis in frigore aëris viſcoſa, et humida, dum calebat aër; reſpiratio lenta, lingua nitida, apice et angulis rubra; frigidam aquam ſine multa ſiti appetebant. Vomitus vel nauſea creſcebant, ita vt vix quidquam retinebant; aliis cruor, aliis atra bilis picea reiiciebantur cum vomitu, ſomnus nullus, vel continuo interruptus, cum ſumma debilitate; vix lecto prae inquietudine contineri poterant; interrogati tamen quomodo valerent, optime, reſpondebant. Vix e puluinari remouebatur caput, quin pulſus euaneſceret cum frigore, ſudore viſcoſo, labiis, extremis, facie, imo vnguibus liueſcentibus; tanta erat eorum debilitas. Delirium recurrebat et creſcebat, maxime vbi pulſus paruus et depreſſus. Ophthalmia creſcebat, ſed ſine dolore. Aurigo, niſi in initio ſecundae periodi acceſſiſſet, tunc oculis apparebat, mox totum corpus flaueſcebat, paucis aurigo in oculis concentrata, accedente morte, illico pectus et collum tingebat. Collum et pectus maculis rubro - liuidis, rarius extrema erant variegata. Mulieribus catamenia copioſa et praeuertentia. Cruor tunc ita diſſolutus, vt non vomitu ſolum et mictu, ſed etiam naribus, ore, auribus, oculis, veſicatoriis, rarius poris cutaneis, viam ſibi faceret. Quidam aegri conſtipati, alii frequenter feces deiiciebant; ex quibus alii nigras liquidas cum dyſphoria, alii piceas, ſeu nigras et tenaces, quibus moderate fluentibus leuabantur. Vrinae copioſae, croceae in auriginoſis, aliis pallidae, ſemper cum multa hypoſtaſi: aliis turbidae, aut ſanguinolentae. Haec periodus ſeptem, vel octo, dies vtplurimum percurrebat.

3ª *Periodus.* Tunc ſpes ſalutis erat, ſi ſymptomata omnia remittebant, pulſu pleniore, viribus redeuntibus; ſed ſecus omnia ſymptomata intendebantur, nouaque accedebant, ſcilicet pulſus minor etiam et inaequalis, extrema frigida et liuida, raro facies viuida; aliis plumbea; maculae ita creſcebant, vt collum, pectusque omnino nigreſcerent; palpitatio cordis vehemens, calor in regione cordis, reſpiratio difficilis, ſuſpirioſa, aeger inquietus, agitatus, ſudor faciei, colli, pectoris, fluens, cruor e naribus, ore, auribus ſimul, dyſphagia, ſingultus, ſubſultus tendinum, dein cataphora, delirium continuum; per duodecim horas ante mor-

tem aphonus aeger et aſphyctus; in acutioribus conuulſio tragoediae finem imponebat, poſt mortem creſcebant maculae, et putredo cito perficiebatur.

Cum aër ſumme calebat, illae tres periodi intra biduum, vel triduum, percurrebantur. Epidemia et contagio calore aëris creſcebant, frigore remittebant in Carolina meridionali, ita et ſymptomata, ac periculum. Aegritudo peior, ſi aër clauſus non renouatus, ſi robur natiuum maius, apud peregrinos, meticuloſos, exercitatos; aut morbis praegreſſis debilitatos. Qui ad vltimam periodum deueniunt, omnes moriuntur.

In prima periodo cephalalgia, lumbago, ophthalmia, lucis intolerantia, faciei rubor, quo intenſiores, eo morbus vehementior et acutior; quo prima periodus breuior, eo breuior etiam ſecunda: ſi enim pulſus vehementia ceſſaret ante tertiam diem, mors circa quintam accedebat. Pulſus depreſſus tertia die ſymptomata peſſima praenuntiabat; quo grauior debilitas initio, eo periculum maius. Hypoſtaſis vrinae primis diebus quo vberior, eo peioris ominis.

In ſecunda periodo. Si ſecunda aegritudinis die oculi flaveſcebant, mors quarta accedebat; ſi ſub finem tertiae diei, morbus vel feliciter, vel tardius terminabatur, vt decima tertia, vel decima quarta: quo flauedo intenſior, et velocius extenſa, eo peius; rubedo oculorum, et circum veſicatoria creſcens ominoſa. Vomitio nigra vtplurimum letalis; liuiditas macularum, labiorum, vnguium, necnon faciei rubor, aut pallor, mortem inſtantem deſignabant. Deiectio frequens, maxima, nigra ſine leuamine, mortifera; omnis haemorrhagia, excepta naſali et catameniali, ominoſa; ab iſchuria mors in promptu.

Typhus icterodes contagioſa eſt. Albos tantum, maxime peregrinos ex regionibus frigidis aduenas, Indos, Hybridos, *Mulatros* omnes, exceptis infantibus, vna tantum vice afficit; Nigri vero ab eo morbo numquam afficiuntur.

Definitur febris in qua pulſus vehementia biduum, aut triduum tantum durat, vt in ephemera; ſine euacuatione critica deſinit, et ſupereſt maxima debilitas cum pulſu paruo, qui leui corporis motu, aut ſitu erecto euaneſcit, accedente cito aurigine vniuerſali, pulſu minime frequenti, et ſine calore; epidemica fuit in Carolina ab exeunte Auguſto anni 1748 ad Octobris dimidium.

8. *Typhus exhauſtorum* D. Dellon, D. M. Voyage aux Indes Or. Aegri Luſitanicis vocantur *Esfalfados*.

Apud Indos frequens eſt morbus eorum, qui venere exhauſti ſunt; febris ſcilicet continua, in qua *pulſus* nunc eſt fortis et plenus, nunc vero et illico debilis, et fere inconſpicuus. *Vrinae* valde rubrae, ſed pellucidae; *cutis* ſicca, calida; *ſitis* magna, peruigilium, nauſea. *Therapeia* ex analepticis, cibis euchymis et eupeptis petenda, vt ouis, panatellis, iure carnium; potus ſit vinum paululum aquatum; nec timendum eſt ne febris et calor increſcant, cum nihil ad illam curandam ſit aptius.

9. *Typhus a manipuera.*

Manipuera eſt ſuccus iatrophae manihot, ſeu mandihocae Piſonis, cuius radix ſiccata eſt panis Americanorum; ſucco illo intus ſumto, corpus inflatur maxime; ventriculus dolet cum ructu, nauſea, teneſmo; hinc mox oculi obfuſcantur; vertigines, perpetuique dolores capitis accedunt; tandemque extremorum frigus, animi deliquium, et ipſa mors ſuccedit.

Antidotus ſunt flos nhambi, an baccharidis? et grana Bixae *vrucu*, vulgo *Roucou*. Incipiendum ab emeticis, et dein piper reticulatum, mox ſuccus limonum, ananae adhibeantur. *Guill. Piſo* Hiſt. natur. *l.* 5. *cap.* 17.

10. *Typhus pituitoſa. Febris lenta neruoſa pituitoſa* Auct. *Fincke* de m. bil. anom. p. 101. ſq. *Stoll.* rat. med. paſſim.

11. *Typhusillioſa.* *Stoll.* l. c. T. 2. p. 51. 265.

Eſt febris bilioſa anomala per diſpoſitionem peculiarem, a moerore corpore exhauſto, aut a praegreſſo morbo, maxime febri, ſub inſigni ſolidorum laxitate, imbecillitate, maxime viſcerum abdominis, adiuuante anni tempore: exigua horripilatio, exiguus calor et marcor. Salus a emeſi, poſtea roborantibus.

12. *Typhus verminoſa.* Journ. de med. Mai. 1763. p. 443.

13. *Typhus plethorica.* *Stoll.* l. c. T. 2. p. 40. T. 3. p. 97. 104 ſq. neruoſa inflammatoria, et inflammatoria, putridam ſimulans.

Febris homotona, exacerbatio tamen nocturna parua: ſymptomata mitiora, multa putridis affinia, vt ſigna ſaburrae, coma, excretiones ſpontaneae: emeſis, catharſis, ſtimulantia non iuuant: incerta ſolutio, acriſia. Salus a methodo antiphlogiſtica tum roborantibus, initio noxiis.

14. *Typhus ſeroſa.*

a. *pituitoſa neruoſa. Glaſs.* de febr. c. 7. p. 102. *Grant*, p. 183. *Stoll.* T. 2. p. 35. ſq.

Cf. Spec. 10. et 2. affinis his, vt tamen pituita vitrea in hac magis obſideat viſcera abdominis, quae critice emouenda.

b. *lactea.* Journ. de med. Aug. 1764. p. 112.

Lenta febris cum colica, galactirrhoea. ab enemat. foment. emollientibus, potu diluente, eccoproticis et C. P. c. rheo febris lactea cum copioſa lactis ſecretione.

V. HECTICA; *la Fièvre Hectique, Fièvre lente. Cf. W. Trnka* de Krżowitz hiſtoria febris hecticae, omnis aeui obſeruata medica continens. Vindob. 1783. 8.

Genus eſt febris continuae, quae chronicorum morborum more ſenſim, et ſine virium notabili proſtratione, atque exigua pulſus a ſano differentia, ad plures ſeptimanas, imo menſes, extendi conſueuit cum pulſu poſt paſtum frequentiori, alias et tenui, debili, ſubduro.

Confundi ſolet cum Amphimerina tabida et lenta, quae ſingulis diebus, veſpere potiſſimum, ſine cauſa euidenti exacerbatur; ſed differt ab ea, quod a paſtu et veſpere exacerbetur, numquam penitus ceſſans, ſeu remittens. Hanc Hecticam vocarunt Graeci, ſeu habitualem, cuius calorem conſtantem, et ideo ſolidis quaſi inhaerentem dixerunt; firma etiam ac ſolutione difficilis ſit.

Diſtinguuntur *primaria* a tabe et a phthiſi, ex eo, quod nulla pars in hectica vlcere, vel abſceſſu ſit vitiata, vt in tabe et phthiſi vitiantur viſcera; vt tamen *ſecundaria* tabes et phthiſeos comes ſit non raro.

Hectica Galeni, et omnium eius ſequacium, *Sydenhami* p. 524. *Lenta Febris Juncker.* tab. 68. *Frider. Hoffmann.* T. 2. p. 175. qui eam ab amphimerina diſtinguunt.

Hecticam duplicem ſtatuit *Galenus* (*de different. febrium*, lib. 1. p. 265.); primam qualis eſt a nobis definita; alteram quae iuxta ipſum vera tabes eſt, aut tabis comes aſſidua.*

* *Hippocrates* nomen proprium huius generis non adhibuit, ſed nomine claſſico vſus eam diuturnam et lentam cognominauit; verum nomina generica diſtincta cuique morbo competunt. Cum au-

[Vtrum, hecticam, more aliarum ſebrium, vt ſynochi, ephemerae, amphimerinae, tritaeae, incedere, et harum charactere ſublato ipſam ſuccedere exquiſitam; an illas imperfecte ſoluta, hac iudicari, dixeris, perinde eſt.

Differt a typho, ſymptomatum gradu minori, duratione longiori multo, orthoſtadia; aegri enim vix lecto affiguntur.

Ab intermittentibus duplicatis, aut triplicatis, haemitritaeo, ſollers diſquiſitio clinici diſcernet ſignis facile parabilibus, illarum ſtadiis maxime manifeſtioribus.

Calor hecticarum exiguus eſt, cum acutarum eo comparatus, ſemper gliſcens ſui ſimilis, aegris non moleſtus, ad manus tactum primum debilis, paulo poſt acredinem ac eroſionem quamdam oſtendit, diu perſiſtentem, *veſperi tamen et a paſtu*, tuſſiue, *increſcit*: maniſeſtus potiſſ. in volis manuum et pedum plantis.

Vrina eſt lateritia, ſedimento grauiori, vt manus iudicabit tenens, vtplurimum referta, ad vas recipiens cuticula, quaſi oleoſa, etiam innatans.

Aluus aut obſtipata, aut frequenter ſoluta, cum ephidroſi pler. compenſante alternat, non raro colliquatiua.

Ciborum appetitus aut deletur, aut picam aemulat; ſitis maior, cum voce rauca et clangoſa, aſthmate, dyſpnoea, orthopnoea ſtipata, et tuſſi, doloribusque vagis, aut maxime ex decubitu, ſaepe exulcerante, vigiliis, moroſitate, hypochondriaſi, deliriis, phrenitide, ſpaſmis, macie ſenſim increſcente, ariditate oris cutisque, colore corporis cachectico, lurido, cum ſqualore inſigni, alopecia, lacrimarum fonte ſiccato, anchyloſi.

Sunt, qui *hecticam a lentis* febribus maxime typo, paſtum temporis ſeruante, diſtinguant, quum in his exacerbatio nulla obſeruetur.]

Signa generica hecticae ſunt 1° febricula tam mitis, vt ſi aegri febricitent id non ſentiant niſi in vltimo gradu; 2° cutis ſiccitas cum calore ſicco, acri, non tamen ad thermometrum notabili; 3° vna aut altera poſt cibum hora, calor et frequentia

tem *Hectica* ſit nomen huius morbi antiquiſſimum, vacuum, *Febris lenta*, nomen ordinis, non generis: prius poſteriori eſt anteponendum in hoc genere deſignando.

pulſus augentur; 4° interea pulſus eſt minor, quam in ſtatu ſano.

1. *Hectica infantilis Sydenhami* p. 524; *lenta Febris infantum, Frider. Hoffmann.* pag. 177. T. 2. L.

Infantes ſine inſigni calore languent cum appetitus deiectione; tam artus, quam corporis truncus, vbique emaciantur.

Curatio. Rhei electi vncias duas in tenuis cereuiſiae libris duabus infunde, bene obtura lagenam; hinc bibat pro potu ordinario cum et ſine cibo. His abſumtis ad tertiam vicem, iterum aquae alias duas libras ſubſtitue, eidem rheo ſuperaffundendas; ſi vero metus ſit, ne prima vice aluus nimis moueatur, vncia vna rhei ſtatim ſufficiet; *Sydenhamus Schedula monitor.* p. 524.

2. *Hectica veſpertina,* ſeu *febricula veſpertina, Morgan.* animal oeconomy. propoſ. 15.

Conſtat iterata obſeruatione, pulſum apud omnes homines, cetera ſanos, frequentiorem euadere poſt paſtum, ita, vt ſi pulſet horis matutinis ante ientaculum arteria 66 vicibus in minuto, ea 84 vicibus pulſatura ſit poſt prandium, hoc eſt in ratione 100 ad 129, fere vt 10 ad 13.

Illa vero frequentia perſeuerat vſque ad noctem mediam, ſed ſenſim decreſcendo, ita, vt numerus pulſationum vna hora poſt prandium ſit ad numerum hora undecima nocturna, vt 84 ad 78 circiter.

Ex principiis Morgani, cum in ſumma frequentia pulſus, veſpertina ſit ad matutinam, vt 8 ad 7, vis pulſus veſpertina eſt ad matutinam, vt 64 ad 49; velocitas ſanguinis et diameter arteriarum veſpere ſunt etiam maiores, quam mane: cum autem vis artuum potius decreſcat veſpere, euidens eſt ex definitione febris, illum ſtatum febrilem fore, ſi notabilis foret mutatio; non minus hic ſtatus, licet omnibus ſanis communis, vocatur *febricula veſpertina,* quacum properamus omnes ad hecticam ſenectutis, ſeu ad mortem.

Ex his ſequitur, vt numquam pulſus rarior ſit, quam ſummo mane inter dormiendum, atque ieiuno ſtomacho pulſus ſit minus frequens, quam durante digeſtione. Digeſtio itaque eſt opus, quod, vt abſoluatur, indiget aliquali febricula, quaſi, quod tranſit in maſſam ſanguinis, indigeat tritu iterato, vt ela-

boretur, et in cruorem mutetur. Si arteria pulſet mane 60 vicibus in minuto, illa conſonabit cum pendulo ſimplici 440 lineas longo: veſpere autem ea pulſatura eſt 68 vicibus in minuto et longitudo penduli veſpertinis horis cum illa conſoni erit ad longitudinem matutini vt 46 ad 64, ſeu 329 linearum.

3. *Hectica Chlorotica*, *febris alba Horſtii* Part. 2. lib. I. *Moroni* Dir.; *febris virginea Sennert.* de morbo virginum; *febris amatoria* etiam dicitur.

Eſt febris veſpere intenſior, aſt continua, non exacerbans, pallore faciei, laſſitudine, difficultate reſpirandi in ſcalarum aſcenſu, capitis dolore, phlegmatia, pica, palpitatione, ſtipari ſolita. Vide *Chloroſim*. Ea vero optime curatur ſyrupo martiali, aut limatura ferri, quae lympham craſſam, inertem, qua vaſa onerantur, cum catamenia deficiunt, attenuant; vnde hoc opere liberata natura, a febricula illa quieſcit.

4. *Hectica ſyphilitica Raim. Fortis; Mercurialis*, Tom. 3. fol. 22. *Lenta febris Aſtruc* de morb. vener. lib. 4. cap. 3. C. [V. *Riedlin.* lin. med. a. 4. Sept. 9. p. 743. *Fonſeca* Conſ. med. T. 2. conſ. 62. *Fournier* Beob. vb. d. ſchleichende Fieber. 2 Th. 3 Kap. 1. 2. B. p. 117 ſq. *Plenck* de m. ven. pag. 129. *André* pag. 194.]

Eſt febricula noctu creſcens, chronica, vere potiſſimum infeſtans, cum doloribus nocturnis, ſudatiunculis matutinis, quae ab ipſis doloribus nocturnis, aut nodis, gummatisque, ſouetur; ſi vero ſuppurationes graues in oſſibus acceſſerint, etiam amphimerina euadit.

Curatur balneis, lacticiniis, ſimilibusque, modo ſpecifica ſyphilidis adhibeantur; ſecus aegrum abſumit, exſiccat, exhaurit.

5. *Hectica ſcrophuloſa Boneti* in Sepulchret. Tom. 3. pag. 146-153. *Vide* Febrem hecticam ſcrophuloſam. *Ruſſel* de tabe glandulari hiſtor. 23. Kortum Tom. I. p. 138. C.

Non differt a phthiſi ſcrophuloſa *Mortoni*. Si ſuppuratio iam adſit, erit amphimerina horroribus paroxyſmos ſuos iniens; ſi ſuppuratio nulla, vſus aquae marinae conducit.

6. *Hectica a calculis Boneti* Sepulchret. lib. IV. p. 121. Tom. 3. obſ. 21.

Franc. Figueros Medicus Hiſpalenſis febri lenta cum dyſuria, vrinis fuliginoſis, teneſmo, ſiti, linguae ſcabritie, arenula-

rum mictione abſumptus eſt; calculi veſicae erant huius morbi principium, ante aperturam cadaueris ignotum.

Simile quid accidit ſexagenario, qui ſine dyſuria mingebat, ſed apepſia, virium languore, et ſebre lenta abſumptus eſt; calculum ignotum 14 vncias ponderantem gerebat in veſica.

Caſus hecticae a calculis renalibus occurrit in *Bonet.* Sepulchr. libr. 4. ſ. 1. obſ. 21.

7. *Hectica hydropum Bonet.* Sepulchret. lib. 4. ſect. 1. C.

Ea eſt, quae ſouetur ab aquarum effuſione in diuerſis partibus, in qua tamen ſigna hydrothoracis, vel aſcitis, deficiunt, ſecus enim morbus eſſet hydrothorax, vel aſcites.

Ab hydrothorace Sepulchret. Ibid. obſeru. 14, 4. 13, 6.

Ab hydrothorace pericardii, Ibid. obſ. 12, 6.

In his ſpeciebus inuenta eſt aqua nigreſcens et putrida in alterutro thoracis cauo, pulmonibus illaeſis, *Coiter:* vel veſicae aquam flauam continentes in pulmonibus copioſae, vel pericardium, ſalſo liquore turgidum, cum cordis aneuryſmate, pulmonesque indurati viſi ſunt.

8. *Hectica Noſtalgica. Synochus Noſtalgica*, de *Meyzerey* Tom. 2. n. 226. C.

In orphanotrophaeis haec ſpecies frequentiſſima: Pupilli ſcilicet vel patria, vel parentibus, orbati moerent, languent, debilitantur; anorexia, moerore, confecti lente ſebricitant, ſenſim abſumuntur; nullumque huic malo remedium eſt, niſi reuerſio ad parentes, ad patriam; medicamina euacuantia, quae anorexiae aut diarrhoeae gratia praeſcribuntur, inutilia, ſaepe noxia ſunt. Plures geſtant in cruribus, vel tibia, maculam brunneam, vel liueſcentem, in lectulo immobiles, taciturni, omnia faſtidientes iacent.

SCHOLIVM. Hectica neruoſa *Williſii.* Hectica peſtilens *Sennert.* Hectica a ſynocho degener ſeu lenta *Junckeri* ad typhos attinere videntur.

Hecticae, quae apoſtemate, fiſtula, vlcere alicuius viſceris, aut partis, fouentur, ad tabem, vel phthiſim, ſpectant.

Hectica a ſcirrho lienis, hepatis, pancreatis, vteri, ad ſplenalgiam, hepatalgiam, hepatirrhoeam, leucorrhoeam, cet. ſpectant, cum in illis ſint alia ſymptomata ſebri magis notabilia.

9. *Hectica verminoſa Hoffmann.* T. 2. p. 187. C. [*Trnka* l. c. §. 38.]

Febres verminoſae puerulis ablactatis familiares ſunt diuerſi generis, eaeque multum anomalae, ſaepius tamen amphimerinae vel hecticae; talis eſt amphimerina tuſſiculoſa, nec non ea, quae dentitionem ſaepe comitatur.

Hectica verminoſa in hoc ab aliis differt, quod poſt cibum et veſpere non conſtanter ingraueſcat, quod ſaepe alui fluxum comitem habeat, in quo cinerea, vel griſea, excrementa ſuccedunt, vrina turbida cum ſedimento limoſo mingitur, quae in aliis hecticis non obſeruantur. Praeterea foetor oris ſingularis, quem acidum dicunt mulierculae, lumbricorum excretio, pruritus narium, volaticus alterutrius genae rubor, dolores punctorii vagi in abdomine; aetas infantilis ſigna praebent; ab hac febri, tamen non immunes ſunt adulti. Praeceſſit vſus dulcium ſaccharatorum.

Cura abſoluitur catharticis et anthelminticis. Optime purgant, et vermes abigunt ſtibiata parua doſi, inter quae ſyrupus Glauberi ad guttas aliquot, infuſa foliorum vel folliculorum ſennae cum manna, ſyrupo florum perſicae; aqua nouem infuſionum, ſyrupus roſatus ſolutiuus; etenim cum de infantibus agitur, mellitis illa improuida aetas ludificanda eſt, ſecus medicamina recuſat: vnde ſaepe deueniendum eſt ad grana pauca tartari ſtibiati in aqua multa diſſoluti, aut ad aquilae albae grana aliquot pulticula inuoluta. Si febris vigeat, abſtinendum ab anthelminticis, imo a purgantibus validioribus iuxta *Hoffmannum*, et vtendum acidis cum amaris, imo in hoc caſu aquas Selteranas ſpiritu vitrioli correctas laudat Auctor, quod tantum adultis conuenire videtur; inter amara vermifuga excellunt ſemen ſantonici, tanacetum, cet.

10. *Hectica cachectarum: a ſcabie Baglivi*, pag. 215. C. [*Raulin.* Beob. p. 23. *F. Gherli* oſſerv. di medic e ciruſ. C. 1. oſſ. 92.]

Eſt hectica ſeu lenta ſymptomatica, vt aiunt, quae cachectas bene multos afficit, citra purulentiam; vnde differt a phthiſi et tabe; talis eſt ſebricula lenta conualeſcentium a febribus acutis, a phlegmaſiis, a fluxibus, nec non chloroſiantium, ſcorbuticorum, ſyphiliticorum, hydropum, cet. Haec vero febris vtplurimum ſequitur prognoſin et medelam morbi principalis, cui adhaeret.

11. *Hectica fluxuum*: *a vomitu*, *Riuer*. Cent. IV. obſ. 1: *a leucorrhoea*, Ephem. Nat. Cur. Cent. VIII. Obſ. 27. [*a lactis iactura* M. N. C. Dec. 2. a. 1. obſ. 109. *Seminis Fr. Hoffmann. Tiſſot*. alii]. C.

12. *Hectica lymphatica Baglivi* pag. 424.

Exacerbatur veſpere cum calore acri, anorexia, capitis grauitate veluti ſoporoſa; mane ſapor linguae eſt deprauatus cum viſciditate et dentium ſpurcitie, oriſque foetore; accedunt hypochondriorum tenſio, calor, laſſitudo. Frequentiſſima eſt et abuſu refrigerantium aliis febribus ſuperuenit.

13. *Hectica neruea*, *febris lenta neruea* Cl. *Lorry* de Melancholia pag. 176. *Fiévre lente nerveuſe*. C.

Non eſt acuta, vt typhus, ſed chronica, diu obſcura, melancholiae nerueae inueteratae ſenſim accedens; ea abit, niſi curetur, in phthiſin, aut tabem nerueam; [niſi huc referre placeat omnem protopathicam, maxime, quae ab animi pathematibus ſponte orta eſt, exquiſitam, teſtibus *Galeno*, *Foreſto*, *Fr. Hoffmanno*, *Schellhammero*, *Storchio*.]

[14. *Hectica intermittens*, *ſeu periodica*: phthiſi pulmonali ſimillima. C. *Strack* de febr. interm. p. 154.

Signa febris intermittentis laruatae, phthiſeosque pituitoſae. Salus a cortice.

15. *Hectica hereditaria*. *Trnka* l. c. §. 20.

16. *Hectica hyſterica*, *hypochondriaca*. *Trnka* §. 21.
Aut pediſequa, aut comes paſſionis dictae.

17. *Hectica ab ingeſtis acribus*, v. g.

a) ab abuſu ſalium volatilium. *Huxham*. Tom. 3. pag. 125.

b) ab aromatum abuſu. I. C. *Becker* tr. de ſubmerſ. morte app. obſ. 11. p. 133.

c) a guaiaci in lue abuſu. *Foreſtus* ſch. ad obſ. 9. L. Act. nat. cur. vol. X. obſ. 85.

d) a mercurio corroſiuo. *Fournier* Beob. Tr. I. C. 41. Obſ. 4. p. 35. ſq.

18. *Hectica a repulſis exanthematibus*, vt variola, rubeola, *Ettmüller*. Opp. Tom. 2. p. 421. *Hellwig*. Obſ. 159. p. 417. *Riedlin*. l. m. a. 6. Aug. 18. p. 924. S. G. *Vogel*. Beobacht. pag. 11.

19. *Hectica genetica*, ſeu *febrium male iudicatorum pediſequa.*
 a) ab elode. *Foreſt.* L. 2. obſ. 42.
 b) ex peripneumonia. *Störck.* cont. exper. circa noua med. c. X. p. 217 ſq. *Riedlini* obſ. l. m. a. 1. Iul. 10. pag. 201.
 c) ex ardentibus. *Zacut. Luſit.* l. 3. obſ. III. *Foreſt.* l. 4. obſ. 4.
 d) ex intermittentibus. *Foreſt.* M. *Alberti.* A. H. *Faſchius Koehler.* G. *Horſt.* G. E. *Stahl.* I. H. *Schulze. Lotichius* alii apud *Truka* l. c. §. 30.
20. *Hectica ab ectopia.*
 a) a ventriculi hernia. Eph. Vratisl. Tom. 14. pag. 444. ſq.
21. *Hectica tabida.* Febris intermittens, aut ſcrophuloſa, phthiſi pulmonali ſimillima, C. *Strack.* febr. interm. p. 154. Kortum Tom. I. p. 138.
22. *Hectica putrida. Rigler.* hiſt. conſt. epid. pag. 119.
23. *Hectica choleſeptica. Finke* de morb. bil. anom. pag. 136. al.
24. *Hectica bilioſa. Stoll.* rat. med. T. 2. p. 265.
25. *Hectica catarrhalis bilioſa. Wagler* de morbo muc. p. 17.
26. *Hectica purulenta.* Frequens.
 a) a carie dentis. *Petit.* de morb. oſſ.
27. *Hectica arthritica. Schroeder* d. de arthrit. vaga. §. 4. op. T. 2. p. 395.]

ORDO SECVNDVS.

FEBRES REMITTENTES.

Syneches et Pyreta Epanadida Hippocrati; *Paroxyſmales* Auicennae; *Continuae periodicae* Sennerti; *Continentes Mortoni* Pyretol. pag. 120; *Proportionatae* Torti; *Remittentes* Huxham, Pringle cet; *Exacerbantes Sauvag.* Pathol. meth.; *Seaſoning* Anglis:

Illae ſunt, quae ab initio aegritudinis ad finem vſque aegrum non dimittunt, ſed determinatis temporibus in quocumque ſtadio, adeoque pluries cum horrore, vel oſcitatione, frigore,

aut ſimili quodam ſpaſmodico conatu, recrudeſcunt, ſubſequente caloris, vel aliorum ſymptomatum, augmento, citra vllam cauſſam euidentem, vel absque principio procatarctico.

Illa ſpontanea, ſine principio euidenti repetens, ſymptomatum redintegratio, proprie *paroxyſmus*, Latinis *exacerbatio* vocatur, et eſt in remittentibus, quod *acceſſio* in intermittentibus, adeoque diſcrepat ab augmento accidentali, quod in continuis, vel continentibus, obſeruatur ob animi pathemata, cibum aſſumtum, motum corporis, aut ſebriculam veſpertinam, de qua egimus in hectica.

Interualla inter paroxyſmos vocantur *Remiſſiones*, quia febris non omnino recedit, vt patet vel ex pulſus frequentia, ſanam ſuperante, aut ex virium proſtratione adhuc notabili, qualis in intermittentium apyrexia, ſeu intermiſſione, non datur. *Periodus* eſt pars morbi, conſtans vno paroxyſmo vel acceſſu, et vna remiſſione, vel intermiſſione.

Qui cognouerit cauſſam acceſſionum in intermittentibus, et cauſſam continuitatis, is cauſſam exacerbantium capiet.

Qui fingunt fomitem materiae morbificae inſtar fontis periodici, qui per interualla maiorem fluidi copiam ſuppeditat, illi mechanice ſibi videntur ratiocinari, atque de hypotheſi noua ſibi plaudunt; ſed demonſtratum puto ab huius materiei morbificae periodico appulſu, quem nemo explicuit, ſanguinem tantummodo inſpiſſari, adeoque motum cordis, ni accedat conatus naturae, ita minui, nedum intendi; ergo ad naturae conatus in hac ipſa hypotheſi ſemper confugiendum eſt.

Obſeruant omnes Practici, quod intermittentium acceſſus quidam tamdiu durant et repetunt, quamdiu cathartica, aliaque euacuantia repetuntur, et ideo cum ſemel ad kinkinam deuentum eſt, ab omni euacuatione eſſe abſtinendum docent, teſte *Sydenham;* atqui vbicumque ſit fomes ille materiem morbificam ſuppeditans, is euacuantium ope debet ſucceſſiue imminui, et diaeta ſeuera concurrente eumdem permanere impoſſibile eſt; ergo cum effectus ſuis cauſſis ſint proportionales, et reditus acceſſuum creſcat, cum fomes decreſcit, huic ſomiti non tribuendus eſt acceſſuum reditus. Si vero fomes ille adſit, quod in certis caſibus verum eſt, illud non eſt cauſſa, ſed principium acceſſuum, vel paroxyſmorum.

Laborem febrilem natura ordiri conſueuit ab ſpaſmodica cutis contractione, quae frigus quidem et horrorem excitat, ſed quae materiem morbificam commouet, ex minimis vaſis exprimit, exagitat, et ad elaborationem vlteriorem in calore febrili ſuſcipiendam diſponit; calor vero febrilis phyſice, atque pulſus vaſorum mechanice hanc ſalubrem fluidorum alterationem, coctionemue molitur, vt fuſe in theoria febrium expoſuimus.

In actuali Medicinae ſtatu parui refert ad praxin non ſpecies ſolum, ſed etiam diuerſa genera febrium ab inuicem accurate diſtinguere, quippe ſiue exacerbantes, ſiue continuas, ſiue intermittentes acutas, vt quotidianam, tertianamue duplicem eodem ferme modo curant: phlebotomia, cathartica in omnibus primas tenent, et tantum in exacerbantibus et intermittentibus, quae his remediis reſiſtunt, nec purulento principio debentur, kinkinam opponunt; interea vt Aſtronomi ſtellas, Botanici plantas, quarum diſtincta cognitio vix vtilis videtur, ita et Noſologi diuerſas febrium ſpecies diſtinguere debent, vt perfectior euadat ſcientia medica, et in vſus futuros paratior. Cf. ſupplem. noſtra.

VI. AMPHIMERINA; *Amphemerina* Graecis; *Cathemerina* et *Methemerina* recentium Graecorum iuxta *Galen.* in Epid. 564. n. 11; *Quotidiana continua* Latinis, Sennerto; *Phlegmatica* Auicennae; *Latica* Barbaris; *Syneches Goraei* Def., Mortoni; *Hemitritaeus* Brendelii; *Fiévre quotidienne continue, putride, maligne; hémitritée.*

Ab *amphi* circa, et *emera* dies, quod ſingulis diebus paroxyſmus reuertatur. Differt a *quotidiana* ex eo, quod in remiſſione ad plenam *integritatem*, ſeu apyrexiam, non deueniat; a tritaeophya, quod a rigore incipiant plures paroxyſmi.

Genus eſt febris remittentis, cuius paroxyſmi ſingulis diebus ſibi ſimiles ſunt, ſed raro regularis obſeruatur.

Differt a *ſynocho*, et *hectica*, cuius acutiem habet, ex eo, quod ſenſibiles ſunt ſine cauſſa euidenti exacerbationes, horrore, frigoreque aliquali ineuntes; a quotidiana, quod non intermittat, et in remiſſione aeger debilis admodum ac febricitans remaneat, aut quod obſcuras intermiſſiones habeat, deinque remittentem ſe prodat; proteiſormis enim ſaepius eſt, maxime cum medicamentis eius typus turbatur.

Amphimerina vel eſt morbus, vt aiunt, eſſentialis, vel *accidens*, ſeu ſymptoma minus praecipuum alterius, vt tabis, phthiſeos; iſta vero chronica eſt, cum eſſentialis ſit ſemper acuta, de qua hic agimus; ſi quis hoc genus hemitritaeum vocet, non repugnabo.

1. *Amphimerina latica*; *Phlegmatica periodica Avicenn.* Lib. IV. Fen. 1. *quotidiana continua exquiſita Jonſtoni* Idea Vniu. Med.; *Febris lymphatica continua. Ettmüller* Colleg. Caſual. 21. A.

Illa eſt, quae paroxyſmos praelongos obtinet, ad horas octodecim protractos; exacerbatur quotidie circa veſperam, cum leui partium extremarum refrigeratione vtplurimum, calore in paroxyſmo miti, ſed tenaci. Ita contumax eſt, vt duos menſes ſibi relicta excurrat. *Latica* dicitur a calore latente; Vide *River.* obſ. 57. centur. 1.

Vide curam diſtincte traditam apud *Etmüllerum loco citato* pag. 609: curam vero ſequentium apud *Torti.* Sequentes ſpecies ſunt malignae, typo confuſo, grauibusque ſymptomatis ſtipatae, a *Mercato Tertianae pernicioſae* dictae, vulgo *febrium malignarum* nomine cognitae, aut ſi minus periculoſae ſint, *putridae* dictae.

2. *Amphimerina Catarrhalis Junckeri* Tabul. 67. *Nenteri* cap. 9. tab. 136. *febris catarrhalis* Auctorum; *fiévre de rhume ou catarrhale.* D.

Differt a latica per coryzam, dolorem dorſi, tuſſim, raucedinem, dyſpnoeam, anginam; incipit a refrigeratione et vagis longisque horroribus.

Aegri veſpere peius habent, horrent, tuſſiunt, febricitant, dolores catarrhales maiores experiuntur. Is vero morbus, praemiſſa phlebotomia et potu theiformi, diluente, calido, narcoticoque horis nocturnis aſſumto, ſua ſine periculo percurrit tempora, ac blanda diaphoreſi terminatur. Ea vero, quam Germani vocant *catarrhalem malignam* ſaepius ſine ſymptomatis catarrhoſis obſeruatur, monente *Brendelio.*

3. *Amphimerina Epiala* Galeni. A.

Eſt febris maligna intermittenti ſimilis, in cuius remiſſionibus aegri proſtrati habent pulſum frequentiorem, et fortiorem; in paroxyſmis vero tremorem ſpaſmodicum quaſi epilepticum, vt vocem praecludat, pulſum rariorem et inaequalem, et inte-

rea dum calidior ab adſtantibus percipitur, aeger horrore frigoriſero maximo percellitur. Paroxyſmi vel ſemel, vel bis, in die recurrunt, anticipantes vel retardantes, nec enim legem in his exſpectare debemus, ſed intra paucos paroxyſmos aeger e medio tollitur; illa aggreditur homines ſenes et cachecticos, ſaburra quadam infarctos.

Rariſſimus in Gallia morbus: frequens, vt ferunt, apud Italos. *D Baux pater* ter eum morbum viderat, ſed toties letalem. Memini, me ter hunc morbum obſeruare; bis in noſocomio generali. Aeger vtcumque calidus perciperetur ab adſtantibus, de ſummo frigore in invaſione febrili conquerebatur; ille euaſit; de ſecundi euentu memoria nil ſuppetit. Tertius in paroxyſmo conquaſſabatur tam vehementer, vt ne potum cardiacum haurire poſſet; poſt ſex circiter minuta quieſcens pulſum habebat debiliorem, et calorem minorem, quam in epiſemaſia, ſeu dum frigus ſentiebat, et cardiacis indigebat; poſt tertium paroxyſmum obiit. Ille ſenex ob immanem dyſuriam balnea domeſtica ſubire coactus non ſatis purgatus erat; et illico atroci dyſuriae dolore ſedato omnino acceſſit epiala; praeceſſerat ſomnus veternoſus per noctem.

In hoc morbo quantocius purgandum cum emetico et dein apozemata praeſcribenda, interpolata catharticis, antequam ad kinkinam deueniamus.

Immerito culpatur *Avicenna*, quaſi finxiſſet morbum, in quo externa calent, interiora frigent; cum enim Medicus externa calida percipiat, et aeger horrore frigido concutiatur, facile eſt concludere, eum in interioribus frigere, dum calent exteriora. Quod ceteri dicunt ad illud phaenomenum explicandum ſupponentes eſſe puncta calida frigidis intermixta, eſt commentum ſcholaſticum; non eſt neceſſarium frigus thermometricum ad ſenſationem frigoris percipiendam; cum vltima vrinae gutta mingitur, cum nefas horrendum audimus, frigidus per oſſa tremor currit ſine praeuio frigore atmoſphaerico, vt vulnus nobis ſenſum vſtionis imprimit ſine calore thermometrico; ab ſpaſmo cutaneo frigus illud eſt deducendum, non a frigore pituitae vitreae, vt putabant Veteres.

In virgine iuueni actu video epialam multo leniorem, in qua aegra quotidie e lecto ſurgit, paroxyſmos per decem, vel duodecim, horas patitur, initio cum ſummo tremore, frigoreque,

quod ab adſtantibus non percipiebatur; deinde vero tremor nullus fuit; lingua humida quidem, ſed brunnea, ſubnigra euaſit, et inuitis catharticis per alternos dies repetitis aegra vltra menſem ſingulis diebus paroxyſmum experta eſt. In paroxyſmorum interuallis pulſus minime frequens eſt, verum debilitas artuum docet, aegram non eſſe apyretam.

4. *Amphimerina ſyncopalis Jonſtoni* idea vniv. med. *Sennerti* de febrib. *Febris ſyncopalis Avicennae* lib. 4. f. 1. *Foreſti* obſeru. 61. lib. 1. *Torti* l. c. p. 192. A. P.

Virgo ſexagenaria, poſt nauſeas, cardialgias, adhibita catharſi, quotidie febris paroxyſmum experiebatur, ſed alternis diebus paroxyſmus erat fortior; ſumto cathartico et iterato etiam cum kinkina, febris ſyncopalis apparuit, quippe pulſus euaſit exiguus, rarus, vt in ſtatu ſano; pedes frigebant, ſyncopes imminebant et continuo ſopore detinebatur; mane melius ſe habebat, pulſus reſurgebat, ſed quouis veſpere frigus, anxietas, nauſea et vomitus bilioſus viridescens reuertuntur: purgata eſt ſtatim cum emetico et vberrime euacuata, alternis diebus iterata catharſis, adhibita cardiaca, limonata.

Mirum febris genus, cuius paroxyſmi decem, aut duodecim, horas durant, et in quo pulſus rarior eſt in paroxyſmo, quam in ſanitate; paroxyſmi non amplius ſudore terminantur.

5. *Amphimerina cardiaca; cardiaca febris Torti* p. 183; *Febris ſyncopalis humoroſa Auicennae* lib. 4. fen. 1. cap. 53. A. P.

Febris eſt acuta, maligna, quotidie circiter exacerbans, cum leipothymia et ſyncope in paroxyſmo, nec non vomitione bilis praſinae et aeruginoſae: vnde creſcente debilitate extrema frigeſcunt, ſudor frigidus dimanat, et circa quartam diem vtplurimum e medio tolluntur aegri. Differt per dolores cardialgicos a ſyncopali.

Aggreditur iuuenes bilioſos, ſiccos, cacochymicos, differtque ab amphimerina repletionali, ſeu ſyncopali humoroſa Auicennae, quae non ita acuta eſt; minuta ſcilicet a bile aeruginoſa, humoralis vero a pituita vitrea, vt aiunt, producitur.

Quantocyus vomitorium eſt praeſcribendum, cardiacis maritatum et lene. *Serapio* ſolam aquam calidam vel ſyrupum acetoſum ſuadet; verum noſtris temporibus tartarum vel vinum ſtibiatum, magna aquae copia dilutum, et cum aqua naphae, theriacali vel ſimili iunctum praeſtare videntur in remiſſione; in pa-

roxyſmo vero fortiora cardiaca indicantur. Iuſcula ſint ſucco limonum aromatizata. Kinkina laudatur a *Torti.*

6. *Amphimerina humoroſa Avicennae* lib. 4. ſen. 1. cap. 53.; *Paul. Aeginet.* lib. 2. cap. 37; *febris ſyncopalis repletionalis Foreſti* obſ. 61 et obſeru. 29. pag. 89. T. 1. Vide *febrem ſyncopalem* eiusque curam apud *Torti,* pag. 192. A. P.

Differt a ſyncopali proprie dicta ſiue minuta: 1° ex eo, quod multo minus acuta ſit: 2° quod plurimi paroxyſmi quotidianae typum ſequantur, e contra in ſyncopali minuta plures paroxyſmi tertianae typum ſequuntur ex *Avicenna;* 3° magis eſt nauſeatiua et cardialgica quam ſyncopalis: 4° cacochylia copioſa craſſa eam fouet; ſyncopalem vero paululum materiae acris et venenatae.

Hos aegros *Paulus* curari vult ſine phlebotomia et ſine catharſi; phlebotomia quidem contra indicatur a pallore, aut liuiditate faciei, a pulſu debili et raro in ipſo paroxyſmo, quae raritas in paroxyſmo mihi videtur ſignum ſyncopalibus et epialis proprium; catharſin vero illi aegri non tolerant et animo linquuntur, ait *Paulus* et *Avicenna;* licet enim vehementer ea indigeant, robur ita eſt exhauſtum, vt eam ferre nequeant. Hinc *Paulus* repetitas frictiones totius corporis, per dies integros continuatas, potiſſimum praeſcribit et mulſam pro potu; ad ſummum clyſmata, et pro cibo panem in iuſculo ſolutum, vel vino tinctum, ſuadet.

Obſeruatio 29ª lib. 3. *Foreſti* eius ſpeciei hiſtoriam optime tradit, ac curationem per frictiones aſſiduas more *Galeni* et *Pauli;* vis kinkinae tunc erat ignota.

7. *Amphimerina phricodes Galeni* Iſagog. Marc. *Donati* Hiſt. Mirab. Lib. V. cap. 5. *Febris horrida, algida, horrifica* Latinis; *Febris maligna River.* Cent. IV. Obſ. 56.; *Febris querquera* Car. Piſonis; *Febris algida Torti* pag. 193, vbi ſex huius hiſtoriae exſtant. A. P.

Vulgo dicitur ea, in qua horror continuus eſt, ſeu frigus intenſum, tum ad ſenſum aegri, tum ad palpum Medici, cum tremore ſpaſmodico, quae ſimul eſt exacerbans amphimerina.

Differt ab hemitritaeo, quod quotidie rigores longi paroxyſmum comitentur; alternis vero diebus in hemitritaeo. *Vide Sennert de febrib.* lib. 2. cap. 21. et *River.* cent. 4. obſ. 56.

Sexagenaria febre maligna laborabat hemitritaeo affini. Paroxyſmi quotidiani erant cum refrigeratione totius corporis

per horas duodecim, vel quindecim, perſeuerante et maximo virium languore, quem fouebat diarrhoea griſacea lienterica. Huic in fine profuit bezoardicum Iouiale Riuerii, et vndecima die ſanata eſt.

Ettmüller, *Helmontius* et *Sylvius* appellant algidas febres, quae ab initio ad finem algorem habent comitem. Vulgatius initio ludit ſub effigie tertianae duplicis, dein ſubito aeger frigidus, aſphyctos videtur, paroxyſmi confunduntur, et niſi ingeratur kinkina, obſeruante *Torti*, e medio aeger tollitur. Vide *Cardialgiam febricoſam*.

8. *Amphimerina Hemitritaeus; Semitertiana* Latinis; *Hemitritaeus legitimus* Auctorum, *River.* obſeru. comm. 23. pag. 139. *Hémitritée.* A. P.

Quoniam docet obſeruatio, quod inconſtans eſt in febribus huiusce ordinis paroxyſmorum typus, et quod in eodem ſubiecto nullus paroxyſmorum ordo ſit conſtans, hemitritaeus ratio typi non debet differre ab amphimerina, monente *Brendelio* et dudum *Foreſto;* adeoque ambae ſub eodem genere militare debent.

Hemitritaeus eſt illa ſpecies amphimerinae, in qua ſingulis diebus eſt paroxyſmus, aſt alternis diebus paroxyſmus a ſummo frigore incipit quaſi tertiana cum quotidiana continua ſimul concurreret. Differt legitimus hemitritaeus a notho, ex eo, quod ſit acutus, et intra ſeptem dies vtplurimum terminetur, nothus vero ſit chronicus; nam *Stahlius* vidit nothum ad menſes extenſum (*de febrib. obſeru.* 43 pag. 121), atque ſolis viribus naturae ſanatum.

Accidit praecipue autumno guloſis et catillonibus.

[Ex pulſus frequentia ſola non iudicari debet, vtrum febris intermittat, vel remittat: ſi enim poſt paroxyſmos vires proſtratae remaneant, ſi ſint grauia ſymptomata, vt vigiliae, lipothymia, licet pulſus non ſit frequens in remiſſione, febris minime intermittens habenda eſt. Vide obſeru. 23. *Riverii* de Hemitritaeo, p. 139.

Legatur obſeruatio huius Hemitritaei apud *Ballonium* conſil. 115. lib. 1. de febre ſemitertiana vbi erat ſopor, delirium et dolor obſcurus lateris cum ſummo ardore; in conſil. 29. altera lib. 2. [cf. G. F. *Baumgarten* praef. Goldhagenio ed. d. de febris hemitritaeae antiquitatibus Hal. 1782. 4.]

9. *Amphimerina pſeudohemitritaeus; Hemitritaeus nothus* Ga-

leni; *Lipyria* Auicennae, non Graecorum; *Hemitritaeus minor* Schenckii; *Tertiana continua duplex Werlhof.* p. 62.; *Faux hémitritée, River.* Cent. I. Obſ. 54; A. P.

Differt a priori morbi longitudine maiori, adeoque intenſitate minori; vide obſ. 39. Cent. 4. *Riverii* de Epiſcopo Vzerienſi.

Diagnoſin etiam huius ſpeciei vide apud *Riverium* obſ. communic. 23. pag. 139: differt ſiquidem a tertiana notha duplici, quod lipothymias, vigilias, aliaque ſymptomata arceſſat, viresque in remiſſione non reſurgant.

Huc ſpectat etiam *rara ſpecies hemitritaei Riverii* obſ. 23. cent. 3: Menſe Februario, ait, Gerardus febre continua pituitoſa cum paroxyſmis tertianae laborabat. Illi a rigore inſigni incipientes bis in die recurrebant, et febri intenſa ad multas horas perſeuerante, leni ſudore terminabantur, ita, vt haec ſpecies ipſi videatur quotidiana continua cum tertiana quadruplici.

Alias notauit *Riverius* triplicem tertianam, ſeu quae intra duos dies ter recurrebat.

Pſeudo-hemitritaeum epidemicum anno 1720, graſſantem vide deſcriptum *in conſultatione* 200ª *Frid. Hoffmanni* pag. 422. eiusque epicriſin, licet auctor hunc morbum pro intermittente habeat.

10. *Amphimerina Hungarica; Hemitritaeus peſtilens Schenckii* 1574.; *Vermis Cerebri Schenckii; Febris Hungarica ſeu Caſtrenſis Junckeri* Tab. 73. *Febris Catarrhalis maligna Frid. Hoffmanni* Sect. I. cap. X. cum deſcriptione et curatione; *Fiévre d'Hongrie* de Meyzerey. A. P.

Febris eſt acuta, maligna, epidemica vtplurimum, caſtrenſis, aeſtate militibus, potiſſimum plethoricis, familiaris, quae orditur ab horripilatione et cephalalgia, quibus accedunt ſitis et aeſtus maximus, ardor circa ſcrobiculum cordis, linguae ſiccitas et tumor, frequenter angina, quarto, ſeptimoue, die delirium cum oculis fulgidis, venis capitis tumidis, et veſpere paroxyſmus; his adde pulſum fortiorem, quam in ceteris malignis, narium haemorrhagias ſuperuenientes, agrypniam continuam cum anorexia, quibus comites ſe addunt pro diuerſitate temperamenti et principiorum vomitus, dyſenteria, petechiae, parotides, paralyſes, hemiplegiae.

Ad curationem Amphimerinae Hungaricae, quae ſummo ardori et putredini ſimul debetur, duae ſunt indicationes adimplendae; 1° ſcilicet auertenda inflammatio cerebri et ſtomachi quae vulgo accidit in hoc morbo: 2° euerrendae ſordes primarum viarum putres, non raro verminoſae. In hunc finem phlebotomiae praemittendae ſunt, vt infarctus inflammatorius praecaueatur; potus diluentes, eccoprotici, refrigerantes, clyſmata emollientia, et dein eccoprotica, eo vſque praeſcribenda quo dolor ſtomachi euanuerit, ardorque contemperatus ſit, ita vt ad cathartica properandum ſit; cum itaque pulſus mollis euaſit, epigaſtrium a preſſione non dolet, cathartica praeſcribenda ſunt, non irritantia, v. g. decoctum tamarindorum, prunorum, cum manna; his addi poſſunt anthelmintica, acida; et primis viis ſufficienter purgatis inquirendum eſt, quo natura vergat.

Illa ſpecies raro catarrhalibus ſymptomatis ſtipatur, vt catarrhalis vocetur: ſaepius purpuram ſymptomaticam adducit, aut parotides; conualeſcentes ſunt obnoxii *phrenitidi inanitorum.*

11. *Amphimerina miliaris.* Vide *Sydenham* pag. 520. Journ. de Med. 1758. p. 275. A.

Haec a veneno miliaris latente excitata, quauis nocte paroxyſmum excitat quotidianae intermittentis aemulum, vt vero kinkinae reſiſtat haec febris, per octo primos dies benigna, dein caput impetens et funeſtam haemorrhagiam arceſſens, vſque quo demum miliaria exanthemata alba a *D. Marteau* obſeruata huius morbi genium declarauere.

12. *Amphimerina anginoſa Huxham* .de aëre; *Angina Epidemica Foreſti* lib. 6; *Febris petechizans* Nenteri; *Febris catarrhalis maligna* ſeu *petechizans Junckeri* Tab. 71; Gallis *grippe, folette cet*; *influenza Huxham* de aëre pag. 104. A.

Illa ſpecies eſt eadem omnino, quam deſcribit *Riverius* obſ. 9. comm. pag. 136, morbus epidemicus, *coqueluche* vulgo; eo tantum diſcrimine, quod apud Noſtrates nullae erant petechiae, cum apud Germanos et Anglos frequenter febribus malignis ſe adiungant comites. Eadem obſeruata eſt epidemica Condomi apud Vaſcones anno 1750. *Journal de Medec.*

Is morbus, *coqueluche* dictus, anno 1557 plurimos a medio tollebat a 4° ad 7um vel 14um diem. Tuſſis erat cum angina, dolore capitis, peruigilio, lumbagine, coryza. Qui poſt phle-

botomiam et bechica ſudorem foetidum effundebant, liberabantur; plurimi inedia conſumebantur.

Condomi vlceroſa erat angina cum ptyaliſmo et petechiis; diarrhoea vel ſpontanea, vel artificialis, et nitrum profuere. Affinis erat cynanchae malignae *Strauſſii*, ſeu laqueo *Aëtii*. Differt haec ſpecies a purpura, quod maculae cutis in amphimerina ſint accidentales, regioni calidiori tribuendae. Vide *Purpuram*.

Germani *catarrhalem* malignam ſaepe nominant amphimerinam, in qua ne minimum eſt catarrhi ſymptoma, notante *Brendelio*; ſaltem ſtillae narium, epiphora, horror a principio diuerſo pendent.

Amphimerinae malignae, nec non tritaeophyae, ſunt morbi, apud nos minime rari, ſed qui nomine generico febrium putridarum, aut malignarum, confunduntur; illae ſiquidem, quae alternis tantum diebus exacerbantur, cum exiguo, aut nullo, frigore, praeter initium morbi, ſunt tritaeophyae; quae vero ſingulis diebus exacerbantur paroxyſmis ſubſimilibus ſunt amphimerinae, et paroxyſmis, alternis frigore maiori ſtipatis, ſunt hemitritaei. Legi meretur, quod ſcripſit de hemitritaeis et tritaeophyis *Bagliuius*, lib. I. pag. 59.

13. *Amphimerina tuſſiculoſa*; *Fiévre vermineuſe*, *et catarrhale des enfans*; *coqueluche des enfans*. A. B.

Anno 1751 menſe Junio et anno 1760 menſe Maio, viguit epidemice inter infantes haec febris, quotidie exacerbans cum ſputo ſanguinis, tuſſi ferina, in qua fere ſuffocantur, lumbricos reiiciunt.

Curatur catharticis vermifugis, per alternas dies repetitis. Vide *Tuſſim clangoſam*.

14. *Amphimerina ſingultuoſa*; *febris continua et maligna Riverii* cent. I. obſeru. 47. idem obſ. 78. centur. 3; *Singultus, febris lyngodes Walſchmidii*; *Fiévre maligne avec hoquet* A. P.

Epiſcopus Nemauſenſis anno 1629 quinquagenarius febri illa maligna cum ſingultu et nauſea affectus fuit; exacerbationes mane quouis adueniebant et ſeptem horas durabant; vrinae erant rubrae et turbidae; feces liquidae, billioſae; vigiliae perpetuae; ſanguis extractus quaſi pleuriticus; febris quinta die inuitis duabus phlebotomiis creſcebat cum anxietate, ſudoribus non criticis: ſeptimo ſudor criticus copioſus acceſſit. In altero aegro febre eadem ſingultuoſa laborante poſt plures phlebo-

mias et duas catharſes, variaque remedia, die morbi duodecima, laudani grana duo, cum emulſione in qua vncia ſalis prunellae, aſſumta ſunt, et intra horam morbus ceſſauit.

15. *Amphimerina peripneumonica; Morbus epidemicus* Tolonae in Gallo-Prouincia ann. 1757. Journ. de Med. A.

Vere inuadit hic morbus; exordium a tuſſi importuna et febri amphimerina acuta, bis quouis die exacerbante, cum frigore et calore alternis. Accedebat oppreſſio pectoris, ſputum cruentum, dolor lateris; vtplurimum ſuperueniebat vomitus vehemens per duas tresue dies, viſcoſus, amarus, nec non in multis ſudor copioſus, pertinax; pulſus conſtanter plenus, frequens, ſubmollis; lingua ſubalbida, humida, paſtacea; dolor capitis et dorſi inter homoplatas. Finis, cum letalis erat, quinta vel ſeptima die; ſed morbus feliciter cedebat ſequenti methodo.

Cura. Praemittantur duae phlebotomiae circiter, dentur ptiſana non inuiſcans, ſed diluens ex infuſo herbarum pector.; deinceps tartari ſtibiati grana pauca in decocto caſſiae et tamarindorum, quae vberem viſcoſae materiae ano et cato euacuationem cieant; ſequentibus diebus cathartica minoratiua praeſcribantur. Ab emeticis omnia ſymptomata, etiam inflammatoria, remittunt.

Epidemia illa, ab alternis per menſem ſero et mane frigoris acuti calorisque ſuauis vicibus acceſſit, mulieres non attigit.

16. *Amphimerina ſpaſmodica.* Vide *Vandermonde* Journal Août 1757. A. P.

Feruor et delirium in paroxyſmo, in remiſſione penis rigeſcentia ſine mole adaucta (quod in dyſuria calculoſa etiam accidit) abdomen planum, rigidum, oculi obtutus fixus, loquela monoſyllabica, vrinae difficultas, os ſiccum, lingua conuellebatur, nullus calor, ſpaſmi vniuerſales, tendinum ſubſultus.

Haec febris vſu kinkinae ſublata eſt; ſucceſſerat quartanae.

17. *Amphimerina mimoſa; Febris exacerbans Tymorenſis,* in Indiis peculiaris; *Bontii* de medic. Indorum, cap. 15.

Qui nauigant in Inſulas Solor et Tymor, caedendarum ſantali arborum gratia, corripiuntur febri quadam putrida, quae exacerbationes per quatuor horas patitur, qua durante exacerbatione ridiculas admodum actiones aegri edunt, imitantes ea opi-

ficia, quae ſani exercuere, et omnia eſſutientes temere, quae in vita tacendo, loquendoue, peregerunt cum maximo adſtantium riſu; adeſt praeterea bulimus ita, vt, dum in delirio ſunt, omnia, quae ipſis praebentur, etiam foediſſima deuorent. Tribuitur maxime odori viroſo ſantalorum, aëri nebuloſo, frigori ipſi, fructibus immaturis. Haec Inſula ſita eſt 10 gradibus latitudinis meridionalis, ibi

Cum modo frigoribus, calido modo ſtringimur aeſtu,
Tempore non certo, corpora languor habet.

Cura. Vena tundatur vſque ad animi defectum in plethoricis; cucurbitulae applicentur ceruici, ſcapulis, capiti raſo. Incolae temporalem arteriam lamina candenti, vel fune ſclopetario accenſo urunt cum ſtupendo fructu, quod etiam in cephalaea faciunt: tum vomitoria antimonialia aut ex gilla vitrioli vſurpantur. Aduerſus vigilias extractum croci opponitur. Dein ad ſudorifica et diuretica, vt Bezoar, raſura cornu Rhinocerotis, deueniendum; calor refrigerantibus ſyrupis emendatur.

18. *Amphimerina phrenitica Bontii* de medic. Indor. cap. 14, epiala eſt Mercati. de tertiana. A.

Adeſt febris quotidie exacerbans, ſed ſine typo certo; delirio phrenitico continua, peruigilio, vomitu eruginoſo, exteriorum partium algore, interiorum ardore et ſiti intenſa ſtipata.

Cura. Purgatio ex tamarindis et pulpa caſſiae, praemiſſo clyſmate emolliente: phlebotomiae largae inſtituantur: aegri totum corpus vnguento tegitur: ſomnus narcoticis conciliatur.

19. *Amphimerina paludoſa; Amphimerina ſcorbutica Bartholinus* de medicina Danorum; *Fiévre bilieuſe ou putride des Pais bas et merécageux*, *Pringle* mal. des armées. Tom. I. pag. 260. et 314. A. P.

Sunt illae, quae in regionibus non humidis ſolum, ſed ob tempeſtatem etiam calidis, vt menſe Julio, Auguſto, oriuntur, ex halitibus putridis, a plantarum, piſciumue corruptione.

Haec febris ſaepius initio eſt remittens, aſt verſus finem abit in terttianam intermittentem, cum ſcilicet hieme accedente putredo decreſcit; inuadit raro cum frigore, ſaepius cum cephalalgia, calore vrenti, ſiti excedente, oſteocopo, lumbagine, magna laſſitudine et anxietate, frequenti cardialgia, gaſtrodynia, ſaepe cum vomitione bilis viridis, flauae, odoris ingrati. Pulſus

vulgo exiguus, ſed a phlebotomia creſcens; aliquando cephalalgia ita ſubitanea et vehemens, vt aegri tamquam maniaci per agros excurrerent; ſed remittente ſebri cum ſudore dolor periodice ceſſabat; aliis delirium in paroxyſmo, vnde milites ex curru in flumen ſe praecipites agebant, vt natando noſocomium attingerent. Plures bilem ano et cato, necnon alii lumbricos, reiecere. Sudores magni, foetebant aegri, et vibicibus ac petechiis cadauera ſcatebant. Pulſus etiam in agone regularis fuit; ſi ſudor nono die accedebat, febris tertiana ſuccedebat; ſi diarrhoea critica poſt tres ſeptimanas apparebat, febris in quotidianam abibat.

Curatio. Differt parum a curatione amphimerinae bilioſae, ſcilicet 1° phlebotomiae parciores ſint, licet febris ad continuam, vt ſynochum, magis vergat, rarius ad intermittentes; ea ſiquidem magis eſt putris, quam phlogiſtica, et niſi delirium, aut aliud phaenomenum, inflammationem topicam ſuadeat, minus eſt repetenda venae ſectio, quam in bilioſa; ſecus malignitas morbi creſcit. 2° Vomitoria et cathartica magis conueniunt, vomitoria ſaepe tollunt morbum, ſed tartarum ſtibiatum praeſtat, quia non adſtringit. 3° Praemiſſis generalibus ad kinkinam, confugiendum eſt ſtatim, atque datur aliqualis intermiſſio; ea ne recidiua fiat, quouis die vna kinae dragma ſumenda eſt per autumnum, ſecus frequentes recidiuae viſcera obſtruunt. 4° Antiſepticus victus neceſſarius eſt, ſcilicet moderate nutriantur et parcius vtantur illis, quae ad putrefactionem vergunt, ſeu quae relaxant, vt herbae, fructus, flatulenta, cereuiſia tenuis et recens; multo praeſtantius eſt, vti roborantibus; quidquid enim roborat, eſt antiſepticum, vt liquores ſpirituoſi, moderate ſumti.

20. *Amphimerina varioloſa; Febris recidiua Mortoni* de variolis; *Febris putrida, variolis confluentibus ſuperueniens Sydenhami* pag. 593. *Secunda febris variolarum confluentium Mead.* Epiſt. de purgantibus; *Fiévre ſecondaire.* A. P.

In variolis confluentibus vndecima die puſtulae faciei exſiccantur, incruſtantur, et cum minime ſibi quidquam metuendum exiſtimat aeger, non raro, ob puris cum ſanguine miſcelam, ita ſubito corripitur febri putrida, quolibet veſpere recrudeſcente, cum ſumma dyſpnoea, anxietate, (apparenter cynanche) quandoque ſopore, vt niſi promptiſſime ſuccurratur, ipſa die mo-

tis periculum incurrat; quod ſi effugerit, inde ad vſque decimum ſeptimum, raro vigeſimum, à periculo immunis non eſt.

In his rerum anguſtiis tum Arabum, tum Neotericorum, experientia docuit nihil praeſtantius eſſe, apud adultos praeſertim, quam ſanguinem ſtatim ad vncias decem, vel plures, mittere: ſi coma ſimul adſit, capiti deraſo amplum veſicatorium applicare: ſi vero nullus ſit ſopor, ſed anxietas et agrypnia, paregorico tranquillitatem conciliare, et circa decimum tertium diem, imo ex ſuaſu *Meadii*, maturius, ſi caſus ferat, lene catharticum praeſcribere ex infuſo ſennae cum manna; quam phlebotomiam, quodque catharticum etiam ſequentibus diebus repetere quandoque neceſſarium eſt; nec enim puſtularum retroceſſus timendus eſt, cum puſtulae iam incruſtatae ſint in facie. De his videantur hiſtoriae decem a *Meadio* enarratae. [Quos variolis laborantes mori vidi, qui ſint, aeſtimo, in ratione 30: 1., quod repetas, eos hac febri morituros vidi. *Vnum* ſcio debilem, me diſſentiente, nimis refrigerante methodo detentum, vt ſuppuratio cohiberetur; in *altero* deficiebat virium vigor, qui vix ſufſecerat ſuſtinendo morbo ad diem XI: in *tertio* qui puer VII ann. variolis veris iam laborauerat, iterum ann. XIII his correptus, cutem cicatricibus nimis reſiſtentem videbatur tenere, vt ſuppuratio non rite ſuccederet, inde natura ptyaliſmum moliebatur egregium et ſuſtentum per aliquot dies, nihilominus hoc refrigeratione cohibito amphimerina letalis ſucceſſit. De nonnullis rationis non ſatis recordor.

21. *Amphimerina dyſarthritica.* Vide Mémoires des Etrangers, Tom. 3, p. 457. A. P.

Cognoſcitur ex ſuppreſſis doloribus arthriticis, quorum loco accedunt paroxyſmi febriles ſingulis diebus, cum vehementi frigore, dein calore, et vrinis turbidis, lateritiis, ſine ſedimento.

22. *Amphimerina bilioſa*; *Febris bilioſa* D. *Tiſſot.* ann. 1759; *Fiévre bilieuſe des camps*; *Pringle* Maladie des armées T. I. Chap. 3. p. 37; rectius *putrida* cognominanda; An tritaeophya bilioſa? A. P.

Accedit circa medium menſis Auguſti, et epidemia in dies intenditur, quamdiu milites caſtra habent.

Febris eſt remittens, paroxyſmis quotidianis veſpertinis, ſummo calore, ſiti ardenti, vehementi cephalalgia, ſaepe et de-

lirio ſtipata, quae ſymptomata noctu durant, mane euaneſcunt; poſt ephidroſin, haemorrhagiam, vel diarrhoeam; initio morbi frequens nauſea, vomitio bilioſa, putris, oppreſſio in fine; niſi euacuationes fuiſſent inſtitutae, febris continua et aurigo accedebant. Accedente hieme, et frigore acuto, febrim comitabantur tuſſis, rheumatiſmus, ſanguis viſcoſus. His incommodis pedites milites, minus duces et equites, frigori minus expoſiti ratione pallii, obnoxii ſunt. Hanc eſſe contagioſam probat obſeruatio *Pringle*, ex 23 ſartoribus, qui tentoriis horum militum reſarciendis incubuere, ſeptemdecim hac febri correpti periere Gandaui. Primus paroxyſmus incipit a laſſitudine, frigore; ceteri a calore. Pulſus in paroxyſmo plenus, velox; in remiſſione minus frequens; ſanguis coccineus, firmus; thrombus ſero immerſus; accedente hieme pleuriticus euadit, et putredo minuitur.

Curatio. Cum aeſtiuae et autumnales febres caſtrenſes a putredine ſanguinis incipiente ortum ducant, quippe cadauera citiſſime gangraenaſcunt, et moribundi cadaueroſum odorem ſpargunt, reſpicienda eſt humorum putredo, et ſolidorum laxitas, adeoque indicantur medicamina, quae 1° primas vias, ſeu ſanguinis emunctorium expediant; 2° quae acrimoniam putrem corrigant; 3° quae eam eliminent; 4° quae fibras roborent. Hinc mire conducunt vomitoria, cathartica, cardiaca, acida et kinkina; magna ſiquidem pars harum febrium in intermittentes feliciter degenerabat.

Phlebotomia in paroxyſmo inſtituatur, et repetatur vomitorium a remiſſione uſurpandum; ſi nauſea ſit, et febris vehemens, ipecacuanha; ſi remiſſio longior, febris mitior, vinum emeticum, tartarusue emet. anteponatur; ſaepius miſcentur duo grana tartari ſtibiati cum ſcrupulo ipecacuanhae, ſed praemiſſo clyſmate, ſi aluus conſtipata ſit, vt ſolemne eſt in hac febri.

Salia neutra, optime reducunt febrim anomalam ad remiſſiones regulares, ſeu typicas; hoc praeſtat ſal abſinthii cum ſucco limonum; vel

℞. *Salis abſinthii dragm. vnam et ſemiſſem; ſolue in aquae vnciis decem, inſtilla ſpiritus vitrioli q. ſ. ad ſaturitatem; adde aquae cinnamomi, ſyrupi e cortice aurantiorum, ana dragmas duodecim; capiat quarta, vel ſexta, quaque hora cochlearia quatuor.*

Praeſtat in hoc caſu ſpiritus Mindereri vncia vna in duas tresue doſes ſub aeſtus finem propinatus, vt ſudor ſimul excite

tur ſine caloris augmento; (fit ille ſpiritus ex ſale volatili ammoniaco ad ſaturitatem aceto affuſo,) vel ſal cornu cerui ad ſcrupulos duos affundatur tribus aceti cochlearibus pro doſi. Ad feruorem febris temperandum nitri grana decem quater in die ſumantur. Si in intermittentem mutetur febris, kinkina, purgatis primis viis, eſt vſurpandum. Si cephalalgia ſit, aut delirium, phlebotomia indicatur; aſt ſi pulſus non vigeat, ſeptem circiter hirudines temporibus admoueantur, et ſalia neutra vſurpentur. Sudor numquam calidis excitandus, niſi pulſus debilis ſit, aut petechiae accedant.

23. *Amphimerina ſemiquartana.* A. P.

Eſt ea, quae quarto quoquo die paroxyſmum, notabili frigore ſtipatum, gerit; aliis vero intermediis diebus paroxyſmo ſine frigore notatur ita, vt ſit Amphimerina quartanae veluti coniuncta. Obſeruata eſt in vetula a *D. Cuſſon*, et poſt, quam ope kinkinae paroxyſmus quartanarius fuiſſet ſublatus, reſidui ſponte abierunt.

24. *Amphimerina ſemiquintana.* A. P.

Ea eſt, quae quinto quouis die paroxyſmum horrore notabili inſignitum gerit, quaſi quintana intermittens Amphimerinam ſimplicem comitaretur; hanc in matre ſua obſeruauit, et multo kinkinae vſu debellauit. M. meritiſſimus, fugauitque primo paroxyſmum quintanarium affectu ſoporoſo et periculoſo notatum.

[25. *Amphimerina dyſenterica.* *Stoll* rat. med. T. 3. pag. 262. ſq.

Signa febrisölioſae, deiectiones reſpondentes exacerbationibus, abdominis dolor, a tactu non auctus. Tranſit in intermittentem, ſynochum, typhum.

26. *Amphimerina catarrhalis bilioſa.* *Stoll.* rat. med. T. 2. p. 51. *Roederer* de variol. p. 22.

27. *Amphimerina verminoſa.* vid. ſpec. 13.

28. *Amphimerina ſcabioſa.* Vidi.

29. *Amphimerina ſyphilitica.* Venerea inflammatoria *Plenck* de m. ven. p. 129.

Comes inflammationum, in gonorrhoeae ſtadio inflammatorio, inflammatione teſtium, praeputii, proſtatae, glandul. inguinal., ophthalmia ſyphilitica, angina; noctu exacerbatur.

α, *venerea*. Sauv. I. p. 318.

a graui ſuppuratione oſſium.

30. *Amphimerina lithica.* Journ. de med. Aout 1762. p. 173. A calculis renalibus.]

IVI. TRITAEOPHYA; *Tritaiophyes pyretos Hippocratis* Lib. I. Epid. *Galeni* Comm. in eumd. libr. et lib. 2. de differentiis febrium; *Tritaios ſynechhes Galeni* de diff. febrium; *Febris continua, tertio quoquo die exacerbans, intermediis vero diebus aliquatenus remittens, Goraei* Definit..; *Tertiana pernicioſa* Torti. *Tierce continue, Tierce maligne.*

Differt a tertiana ex eo, quod in apyrexiam non deſinat, alternis diebus: ab amphimerina et hemitritaeo, quod ſingulis diebus non inferat paroxyſmum, ſed tantum alternis, aut, ſi ſingulis, ſint paroxyſmi tertianarii, ſaepius vero, excepta inuaſione paroxyſmi, a frigore non exordiantur.

Tritaeophyae et amphimerinae hemitritaei noſtris etiam temporibus minime rari ſunt morbi, obſeruante *Brendelio*; ſed vulgo *febres malignae* indiſcriminatim vocantur.

Differunt a morbis exanthematicis, vt purpura, non per defectum petechiarum, ſed ex eo, quod in Tritaeophya et amphimerina petechiae accidentales ſint, inconſtantes, a regimine calido, aut aliis principiis extrinſecis, procedentes; vnde Germani iſtas *petechizantes* vocant, vt a petechiali febri, ſeu purpura, eas diſtinguant. Idem dictum eſto de peſte, cuius character eſt bubonum, anthracumue eruptio conſtans, cum parotides in tritaeophya et amphimerina inconſtanter ſub finem tantum ſuperueniant.

1. *Tritaeophya ſyncopalis Burlet* de variis Hiſpanorum morbis diſſert. ann. 1714. *Riverii* obſ. 36. centur. 4. P. A.

Intermittentes, ait *Burlet*, ſunt grauiſſimi moris, maxime cum in ſyncopales abeunt, rarum febris alibi genus, Caſtellanis et Matritenſibus non inſuetum: illa rigore in principio, in declinatione perfuſis ſudoribus tertianae morem vtcumque imitatur, in hoc tamen multo difficilis, quod cardialgia, enormi vomitu, ſumma virium proſtratione, contractione pulſus, extremorum refrigeratione, ni prompte ſuccurratur, ſecunda aut tertia acceſſione tollit. *Riverius* eum morbum nomine febris tertianae malignae memorat l. c.: In ſingulis iuſculis bezoardicum minerale et iouiale addebat; ſingulis diebus eſt paroxyſ-

mus, ſed qui alternis diebus ſibi reſpondent, aut ſimiles ſunt, ſcilicet primus tertio, ſecundus quarto, cet.

2. *Tritaeophya cauſus Hippocrat.* 3. Epidem.; *Cauſus*, ſiue *febris ardens periodica River.* de febrib. putrid. cap. 1; *Fièvre ardente, chaud mal.* P. A.

Eſt febris tritaeophyae ſpecies, quae paroxyſmis tertio quoquo die ſine frigore redeuntibus cum ſiti clamoſa, ardore corporis, ſine diarrhoea ac ſudore eſſentialibus, vnam aut alteram ad ſummum ſeptimanam excurrit.

Differt a tritaeophya biliofa, quae vomitu bilis, et dein diarrhoea bilioſa in augmento, vel ſtatu, ſtipatur, cum in cauſo aluus hiſce ſtadiis ſit adſtricta, et diarrhoea non, niſi in declinatione, adeoque critica, ſtipetur. Praeterea bilioſa eſt tritaeophya ſaepius duplex, ſeu ſingulis diebus exacerbatur. Cauſus eſt tritaeophya ſimplex quoad paroxyſmos.

Adoleſcentibus bilioſis, robuſtis, valde exercitatis, aeſtiuo tempore, ab itinere ſub ſole, a laboribus immodicis, regimine calefaciente potiſſimum, accidit; atque intra duas ſeptimanas ad ſalutem, vel ad mortem, terminari conſueuit. Lingua arida, quandoque nigra, vrinae flammeae, rubrae, dolor capitis, anxietas, quandoque grauiora in paroxyſmis accedunt ſymptomata.

Curatio. Aeger nutriatur cremoribus oryzae, hordei, vel iuſculis pulli, vituli tenuioribus, quarta quaque hora ſumendis; bibat ptiſanam frigidulam ex emulſionibus, limonada, vel aquam nitratam vel ſpiritu ſulphuris, aut vitrioli acidulatam, aut infuſum acetoſae. Phlebotomia iteretur pro aegri aetate, temperamento, morbi grauitate, pulſus vehementia. Clyſmata ex emulſione, decocto refrigerante, emolliente quauis die iniiciantur; fotus refrigerantes ex decocto foliorum maluae, lactucae, abdomini applicentur; quouis veſpere iulapia, vel emulſiones, anodyna exhibeantur; ſedato febris impetu catharſis lenis ex decocto tamarindorum, caſſiae, cum manna, et ſi cardialgiae, nauſeae exigant, nullusque ſit dolor acutus, ſed tantum pondus in epigaſtrico, leniſſimum vomitorium, vt granum vnum, vel alterum tartari ſtibiati primo cyatho addatur. Cathartica lenia deinceps vſurpentur ad bilem euacuandam, vſquequo febris deuerit.

3. *Tritaeophya Vratiſlauienſis* D. *de Hahn.* Journ. de Medec. Decembr. 1757. A. P.

Morbus epidemicus incepit Februario poſt famem, qua pauperes morticinia putrida vorabant, poſt caedes belli, aëre cadaueribus non ſepultis infecto, poſt animi pathemata ex fruſtrata meſſe, aliisque aerumnis; adde, quod nullo vento expurgata fuerat dudum atmoſphaera.

Febris acuta, lipyria, aſthenia generalis, dolor capitis et praecordiorum, diarrhoea ſeroſa, biliosa, agrypnia, delirium in quibusdam rabioſum et aërophobicum; ſecunda die ſitis importuna, vomitus et diarrhoea bilioſa, ſputa viſcoſa, ſyncopes, ignis viſcera depaſcens, lingua arida, et quaſi aduſta ferro candenti, vox nulla, anxietates, ſtupor vniuerſalis, cita mors cum conuulſionibus; in aliquibus febris lipyria, ſummo et algido extremorum frigore adorſa, ardorem intolerabilem viſcerum mox excitabat, cum ſudoribus ſymptomaticis; diarrhoea vehemens; ſuperuenit eruptio miliaris maxime prurigino ſa; quarta die ſudores et deiectiones copioſae, dein ſpaſmus maxillae, nauſea, enureſis inuoluntaria, leue delirium, ichoris e naribus fluxus, ſputa viſcidiſſima, mors epileptica.

Ipſe Profeſſor *Hahn* ſequentia paſſus eſt. 1ª die acceſſus febrilis vehemens ſine rigore, dolor viuidus occipitis, mox inflammatorius totius capitis, pedes frigidiſſimi, extremis ſpaſmo rigidis, dolor ita creſcebat in dies, vt contactus aëris intolerabilis foret; animi languor, et debilitas incredibilis, noctes inquietae cum ſudore continuo, oculi dolentes, graues, et ſenſus rheumatiſmi vniuerſalis in corpore. Die 3ª dolores ſedabantur; nox peſſima. Die 4ª omnia peius habuere, pedes congelati, manus rubrae omnino et conuulſionibus agitatae; imago mortis terrefaciens, vomitio identidem; hac die ſpongiae aqua frigida madidae toti corpori applicantur, frigidaque propinatur. Die 8ª pulſus conuulſiuus, dolores ad clamorem continuum vſque. Die 9ª delirium, grumoſus ſanguis vomitu reiectus. 11ª Sudor, pulſus pacatus, kinkinae decoctum adhibetur, vox interciſa, loquela impedita, ſtridor dentium. 12ª Maxilla conuulſa, riſus ſardonicus, ſurditas; dein paroxyſmi tardius et noctu tantum reuertebantur. 14ª Frigus glaciale in toto corpore, ſudor frigidus, lotiones frequentes fiunt, omnia ſedari incipiunt. 18ª Delirium viuidum, aſt ſyncope ex lecto derelicto, fames, dein ſu-

dores copioſi, ſomnus profundus; ſtrepitus auerſatio, omnia noua apparebant et extraordinaria. 36ª Cholera. 48ª Deſquamatio cutis: vnguium lapſus.

Profuere in hac epidemia lotiones corporis ex aqua, illis frigida, illis tepida, clyſmata aquea, potus aqueus copioſus, cathartica; critica fuere exanthemata, rubeolae, eryſipelati, eſſerae, ſimilia, et cutis deſquammatio circa declinationem.

Tria millia hominum Vratislauiae abſtulit haec epidemia; quo obſcurior eſt morbi cognitio, eius indoles eo dirior eſt.

4. *Tritacophya typhodes*; *Diaphoretica Torti* p. 187. A. P.

Species eſt tritaeophyae, cuius praecipuum ſymptoma eſt ſudor colliquatiuus, quo fere ſemper madent aegrotantes, cum paroxyſmis tertio quoquo die reuertentibus.

Hanc ſpeciem bis obſeruaui, et 1° quidem in paedagogo noſocomii generalis viro quadragenario melancholico. Illi erat tritaeophya ſimplex, ſeu alternis noctibus ita vbertim ſudabat, vt nouies induſia mutare cogeretur, diebus vacuis vtcumque ſtaret, is non erat omnino apyretus, ſed debilis et diaphoreſi humidus. Praemiſſis generalibus ſeu phlebotomia et catharticis ſanatus fuit vſu kinkinae cum decocto florum chamaemeli, nec non granis aliquot caſcarillae, quarta quauis hora; paroxyſmi a leui frigore incipiebant.

Alter erat Rallet, qui virilibus veſtibus indutus erat, tamen foemina, vt poſt obitum deteximus. Illa ſumma debilitate, anxietate, et ſimul boulimia laborabat; ſingulis diebus paroxyſmus accedebat a leui frigore, dein per octo horas ſudabat; ſimili modo etiam ab hoc morbo euaſit, vino etiam conceſſo.

Riuerius obſ. 28. commun. memorat febris elodes, qua, ſudore, per nouem dies continuato, nullis remediis cedente, aeger abreptus eſt; nec ſtragulorum reiectione, nec ventilatione, nec cataplaſmatis potuit hic ſudor imminui; vtrum paroxyſmos pateretur, dubium eſt.

Idem Epiſcopum Agathenſem tritaeophya duplici laborantem vidit, qui etiam extra paroxyſmos diffluebat ſudoribus multis, vt vix per horam dimidiam dormire poſſet, quin mutanda eſſent induſia; vrinae rubrae et crudae apparebant; hinc morbus phlebotomia, dein catharticis et febrifugis intra 24 dies feliciter fuit terminatus, niſi quod recidiuam paſſus ſit leuem.

5. *Tritaeophyă elodes Boyer* Arch. Méthode de traiter les maladies Épidémiques, Paris 1762: *Suette des Picards.* A.

Eſt febris inflammatoria, quae 14°, vel 21°, die terminari conſueuit, epidemica, non contagioſa, in qua ab initio morbi aegri ſudoribus diffluunt; ex ſex aegris quinque euadunt, ſi perite curentur, cum in ephemera ſudatoria vix centeſimus euaderet, et morbus vt plurimum intra 25 horas terminaretur. Haemorrhagia narium, et eruptiones miliares, ac purpureae in ephemera Anglica raro, in tritaeophya elode frequentes accidunt, aſt eruptiones miliares, quae in miliari ſudatoria ab initio morbi prorumpunt, in hacce tritaeophya, ſi mature ac vbertim ſanguis mittatur, nec eſſentiales ſunt, nec ab initio accedunt, vt in miliari ſudatoria.

Aegros noctu adoritur morbus, abrupto ſomno, cum aſthenia vniuerſali; euigilant cum ſudore et calore maximis, cute et vultu flammeis, oculis ſcintillantibus, lingua alba et arida, pulſu duro, tenſo, turgido; accedit ſaepius paraphroſyne phrenitica circa 3um diem, cum febris paroxyſmo, miliaris eruptionis vniuerſalis prodromo, vel quod peius, cum maculis purpureis ita denſis, vt eryſipelas vniuerſale referant.

Multo tardius, praeter has eruptiones, prodeunt et maculae purpureae, maioribus pulicum morſibus ſimiles, et phlyctaenae albae, margaritis minutis ſimiles, ſero acri turgidae, quae *purpura alba* vulgo vocantur, quaque collum, axillas, et truncum antice poſticeque afficiunt, omnium eruptionum periculoſiſſimae; iſtae vero maturis phlebotomiis ſaepe praeuertebantur, maxime ſi diaetam calidam vitaſſent aegri.

Datur huius morbi varietas *humoralis* dicta, cum prior ſit *inflammatoria*; in humorali pulſus mollis, debilis, aſthenia maior, ſopor frequentior, oculi languidi; lingua albiſſima, non ſicca; vermium prouentus ſuperuenit; cum in inflammatoria, phrenitica, pleuritica ſymptomata et haemorrhagiae frequentius ſuperueniant in morbi ſtatu.

Curatio. In ſpecie inflammatoria, nedum ſudores calidis, antidotis, grauibus ſtragulis fouendi ſunt, vt ſolent ruſtici; ſummus ille calor et ſudor aëre frigidiuſculo ſuperaeniente et phlebotomiis quantocyus iteratis prima die reprimendus eſt; abſtinendum a vino, cardiacis, ſudorificis, tamquam a pernicioſis venenis.

In humorali rarius phlebotomiae, eaque tantum vna, poteſt adhiberi; aſt in vtraque ab altera die vomitorium eſt prae-

ſcribendum, ſed valde mitigatum, ſcilicet tartari ſtibiati gr. IV. in aquae calidae lib. ij, cum ſalis vegetabilis dragmis iij, diſſoluantur: ſumat omni quadrante horae cyathum vſque quo vomitio accedat, tunc tepida affatim propinetur; ſequenti die mane et ſero clyſmata emollientia iniiciantur; ptiſana ex decocto radicum ſragariae, graminis canini offeratur, vel ſerum lactis affatim bibatur, vel apozema ex foliis cichorii, ſcolopendrii, borraginis, cui diebus a catharſi liberis gran. j. tartari ſtibiati addetur; dein alternis diebus aeger purgabitur purg. antiphlogiſt. In paroxyſmis ptiſanae libra quaeuis recipiet nitri ſcrupulum vel oxymellitis ſimplicis cochlearia duo.

In humorali varietate, ſi lumbrici adfuerint, apozematis herbae amarae, vt folia abſinthii, chamaedryos, tanaceti, centaurii minoris, incoquentur; ſi ſopor accedat, ad veſicatoria, nuchae vel ſuris applicanda, recurrendum, quae in miliari ſudatoria nocent; tartaro ſtibiato, vtpote ſummo vermifugo, ſaepius acuentur apozemata vel cathartica.

Si parotides ſuperuenerint circa 15um vel 20um diem, quae criticae ſunt, illae, ſi duriuſculae ſint, emolliendae cataplaſmate ex bulbo lilii cocti ſub cineribus, et aequali cum theriacae tum fermenti quantitate, addito diachylo et aceti pauxillo; hoc cataplaſma bis in die renouandum. Si poſt tres vel quatuor dies non ſuppuretur parotis, ea lapidibus cauſticis admotis eſt inurenda: eſchara dein inciſa pus promouebitur cataplaſmate et vnguento de althaea et pulpa liliorum: ſuppuratione inſtituta balſamus Arcei admouebitur, et aeger identidem purgabitur.

Iuſcula in vigore morbi, ſexta quauis hora, offerantur, feneſtrae ſub ſereno caelo pateant identidem; ſuffitus ex baccis iuniperi ex aceto inſtituantur, munditics ſeruetur.

Terminatur ſcilicet morbus ſquammulis cutis delabentibus; infeliciter aſcite, ſi in longum procedat.

6. *Tritaeophya aſſodes*; vide *Lanciſium* de noxiis paludum effluuiis lib. 2. cap. 3. *Ballonii* conſil. 8. lib. 1. *Huxham* de aëre lib. 1. p. 97. A. P. Febris epidemica, inexplicabili angore quodam intra 5 vel 6 dies perimens.

„Febres continuae, vulgo malignae peſtilentiales, raro „ſingulis diebus plures eaeque periculoſiſſimae alternis diebus „remittebant; praeludebat iis rigor, quem magni aeſtus, in„quietudo, membrorum iactationes, horrendae lipothymiae,

„ſitis immodica, linguae ariditas, deliria, tandemque agrypnia „ſeu immanes vigiliae, excipiebant; vigiliae tamen minoris „erant periculi, quam vertigines et ſoporoſi affectus, quae ad apo„plexias, vel conuulſiones, iter breuiſſime aperiebant.

In hac ſpecie, quae a ſaburra et *ab aquis, cannabe macerata infectis*, oriebatur, phlebotomia vix profuit, niſi in grauidis; ab initio lenis vomitio, aut blanda catharſis, profuerunt, et in incremento acida nitroſa, ſed parce et caute vſurpata, vtilia fuerunt: a diaphoreticis metaſtaſis in caput accelerabatur. In febri, cuius ſymptoma praecipuum erat anxietas continua cum peruigilio, *Valſalua* inuenit ventriculi fundum atro colore infectum; *Morgagni* Epiſt. XLIX. 14.

7. *Tritaeophya carotica Boneti* Sepulchr. pag. 210; *Tritaeophya comatoſa* ſiue *parapoplexia C. Piſonis* pag. 78; *Febris epidemica vrbeuetana Lanciſii* de nox. palud. effl. lib. 2. cap. 3; *Tertiana lethargica Torti* p. 207; *Tertiana ſoporoſa Werlhof.* Obſ. de febrib. p. 17; *Fièvre maligne avec aſſoupiſſement.* A. P.

Ea eſt ſpecies, vel ſingulis, vel alternis diebus, exacerbans veſpere, quae pro praecipuo ſymptomate affert ſoporem grauem, quam praeceſſit grauis cephalalgia, deinde delirium, et ſequuntur quandoque conuulſiones; lingua nigra eſt, ſitis nulla, ex quo tempore delirium acceſſit; in mortiferis accedunt ſubſultus tendinum, carphologia, aliaque grauia ſymptomata.

Ex tertianarum genere fuerunt omnes febres ſoporoſae; quas enim *Galenus* quotidie recrudeſcentes comatoſas obſeruauit, forte fuerunt tritaeophyae duplices. Tempus, quo ſopor contingit, eſt dies vel quarta, vel quinta ſeu tertio paroxyſmo; pulſus aliis frequens, aliis rarus, tardiſſimus, in multis durus, et intermittens, ſopor eſt ore hiante, ſine ſtertore, initio, aegri immobiles, poſt paroxyſmum ſoporis, tantum ſtupidi, manent, delirantes, motibus anxiis iactati, et fere latere dextro hemiplegici, aſſidue micturientes; altero paroxyſmo ſopor profundior, et ſaepe letalis corripit. De febri illa ſoporoſa *Morton* in Pyretologia hiſt. 25. 26. *Ramazzinus de tertianis malignis Mutinenſibus cum aphonia et ſopore* pag. 228. *Syluius de febre epidemica Lugdunenſi* egerunt; Vide hiſtoriam, ſigna et curam exactam apud *Werlhof* et *Torti* in libris ſpeciatim de hac febre conſcriptis; cura vero potiſſimum a kinkina repetenda eſt. *Riuerius* obſ. 26 centur. 2. obſeruauit hunc morbum, quem hyſtericum ſuſpicatus

eſt, et laudano ſanauit, ſeu praeuertit paroxyſmum. Laudanum praeuertendis intermittentium acceſſibus eſt optimum; in hoc vero caſu pertimeſcendum. Vide *Carum febrilem.*

8. *Tritaeophya lactea; febris lactea Ettmüller.* Colleg. caſ. 25. pag. 612. A. P.

Die, a partu nono, mulier corripitur media nocte aeſtu intenſo cum ſiti, cephalalgia et anxietate; mammae in immenſum turgent, tument, dolent, indurantur; apparente aurora, ſymptomata per leuem ſudorem evaneſcunt, ſuperſtite mammarum tumore, impotentia et debilitate. Die ſequ. pomeridie, nec non diebus inſequ. ipſa meridie rigor et aeſtus reliquaque ſymptomata redeunt cum eodem feruore; mammis, quae lac in interuallo fuderant, iterum intumefactis, et toties paroxyſmus horas duodecim perſeuerabat. Cum adeſſet in interuallis virium proſtratio notabilis, veroſimile eſt hanc febrem non fuiſſe intermittentem, ſed remittentem, adeoque tritaeophyam. Curatio fuſe et diſtincte tradita videatur loco citato.

9. *Tritaeophya leipyria Galeni*, *Goraei* Defin. *Lipyrias Aetii* lib. 5. cap. 89; *Febris leipyria Foreſti* Lib. 2. Obſ. 36; *fiévre lipyrienne;* A. P.

Eſt varietas tritaeophyae ardentis, in qua extrema frigent, dum calor interiora occupat. Summus hic calor internus ex aegri relatu, ex ſiti horrenda, linguae quandoque ſiccitate, anxietatibus, cognoſcitur; non extrema ſolum frigent, ſed tota cutis exſanguis, frigida, cadaueroſa videtur, exceptis axillis, et praecordiis, quae calent; adde per accidens dolores pleuriticos, et ventris, vt in caſu *Foreſti.* De cetero excretiones omnes deficiunt, pulſus eſt exilis, et fere deficiens, et aeger intra triduum quandoque perimitur.

Lipyria *Auicennae* lib. 2. cap. 51, *taburos* Arabibus dicta, videtur hemitritaeus ſpurius, diuerſa omnino a leipyria Graecorum.

Inter malignas, ratione vehementiſſimae inflammationis ventriculi, memoratur leipyria febris. In illa lingua arida eſt, ingens ſitis, pulſus celer, inaequalis, et paruus, ac vix perceptibilis; homines ſunt amarulenti, moeſti, faſtidio et contumacia inſolentiſſimi, anxietudine miſerabiles, omnis figurae et loci impatientiſſimi, ſomni expertes, cum voce in faucibus eliſa; nonnumquam labrum inferius cietur, vnaque manibus contremiſcunt.

Incuſatur bilis acerrima in hepate retenta, eryſipelas ventriculi. *Hippocrates* et *Hollerius* cenſent eam non ſolui, niſi per diarrhoeam biliofam, ſed vix poſſibile eſt propter ſummam viſcerum inflammationem, hanc diarrhoeam catharticis excitare.

Bagliuius ſuadet, vt loco purgantis curatio inchoetur a clyſmatibus emollientibus quotidie iniiciendis, fomentis emollientibus, bis in die ventri adhibitis, et ſero lactis tamarindato, ſingulo mane vſurpando; per diem vero gelatinam cornu cerui cum aqua violarum et cardui, et poſt ſeptimum diem tantummodo ad cathartica lenia deueniendum. *

10. *Tritaeophya deceptiua, ſubcontinua malignans*, *Torti* p. 200 ad 259. *Sydenham* de morb. epidemic. pag. 24, et epiſt. 1. pag. 191. A. P.

Eſt intermittens tertiana duplex vel ſimplex, quae ante auctumnum, ſeu aeſtate, adoriens ſub remittentis facie aliquamdiu ludit et decipit. „Illae, ait *Sydenham*, non ſtatim genuinum typum „induunt, ſed continuas febres ita per omnia imitantur, vt niſi „caſtigatiſſimo vtraſque examine trutinaueris, ab inuicem diſcri„minari non poſſint; ac retuſo conſtitutionis impetu, et frenata „vi, iam in typum regularem migrant, atque exeunte auctumno, „larua abiecta, intermittentes ſe eſſe, quales ab initio reapſe „fuerunt, palam fatentur, ſiue tertianae, ſiue quartanae; quod „ſi diligenter non animaduertimus, cum magno aegrorum noſtro„rum malo medicantes hallucinamur, dum intermittentes pro „continuis veris et genuinis habemus.“

* Vidi ego ſaepius et hemitritaeos inflammatorios *Spigelii*, et cephalalgicos, nec non tritaeophyas dyſentericas, pleuriticas, verminoſas cet.; verum tanta eſt Auctorum obſcuritas et confuſio, vt ad ſpecies, cognitas eas amandare non valeam, vel non auſim Medicorum vulgo omnia ea ſusdeque habenti contradicere. Interea me felicem exiſtimarem, ſi cuiusuis ſpeciei morbi, qui mihi tractandus occurrit, alicubi fidam hiſtoriam reperire daretur, et omnes Medici in hoc certe mecum conſentiunt, diſſentientes tamen in eo, quod omnes morbos indiuiduos eſſe diſſimiles omnino contendant, et quod ab vnius hiſtoria ad cognitionem alterius nulla detur conſequentia. Fateor equidem, non tot eſſe ſpecies, quot ſunt ſymptomata inconſtantia, diuerſaque, quibus quandoque ſtipantur, ob errorem aegri, vel Medici ſuperuenientia, verum plures morbos indiuiduos ratione ordinis, typi, exitus et ſymptomatum conſtantium ſibi ſimiles eſſe in quouis genere non dubito, adeoque eorum ſpecies deſcribi inter magna artis medicae deſiderata repono. *Bagl.*

In hac ſpecie ad kinkinam confugiendum eſt, modo continuus lecti calor et cardiacorum vſus huic anſam non dederint, in quo caſu inutilis eſt kinkinae vſus. Vinum autem cum kinkina datum minime nocet. *Torti* hac de re obſeruationes legi merentur pag. 243 et alibi. Cognoſcitur haec ſpecies 1° ex eo, quod in frigore paroxyſmi aeger reapſe caleat ad tactum Medici; 2° quod paroxyſmus ſecundae diei eſt mitior paroxyſmo primae; 3° quod vel ſubito, vel gradatim, intermiſſio obſcuretur, ſeu apyrexia dubia euadat inter paroxyſmos, quo tempore ſupereſt calor mordax, ſitis, linguae ſiccitas; 4° vrina parca et rubra vel crocea; 5° angina aphthoſa; 6° graue quodcumque ſymptoma ſuperueniens, excepto leui delirio.

11. *Tritaeophya typhodes* Mangeti; *fièvre nerveuſe remittente*; *fever of ſpirits Quincy* eſſay. 2. of fevers, p. 370. A. P.

Haec ſpecies differt a typho per exacerbationes, ab aliis tritaeophyis ex eo, quod ſit chronica cum pulſu vix frequenti, imo quandoque tardo; aeger a prima inuaſione pallidus, debilis, ſomnolentus eſt, pulſus paruus, breuis, calor natiuo minor, exigua, aut nulla ſitis. Remittunt, imo initio intermittunt haec ſymptomata per aliquot horas; atque vigere aut reuiuiſcere videtur aeger, verum denuo cum rigore aliquo, aut ſpaſmo cutaneo, intermittentem febrim fere mentiente revertuntur; et poſt aliquot ſimiles luſus aeger lecto affigitur, ſtupidus euadit, periculum ſuum non curat, nec circumſtantia ſentit, manibus obuia ſine ratione palpat, contrectat; lingua balbutit, vel obmuteſcit; ſemiuiuus videtur, exceptis quibusdam intercurrentibus ſpaſmis potiſſimum ſtomachi, tuſſis inſultibus, et ſi his malis reſiſtat, non conualeſcens, ſed exhumatus videtur. Verſus finem papulae quandoque efflореſcunt, vel floridae, quod melius, vel liuidae, quod peius, diarrhoea accedit, feces ſunt nigrae, foetidae, vrinae ſimiles. Senſus obſcurantur, viſus vix luce afficitur, auditus obtuſiſſimus eſt, quod vltimum ſymptoma ſalutare eſt ac praecedit fluxum ex auribus criticum; interea ſunt, qui ſine criſi ſenſim reſtituuntur poſt menſes duos vel tres, ſed raro vim mentis et ſenſuum aciem recuperant, niſi poſt longum tempus.

Occaſiones huius morbi ſunt, morbi potiſſimum euacuatorii praegreſſi, victus parcior, vita laborioſior, veneris abuſus, ſollicitudines, debilitas ſenilis; epidemica conſtitutio, humida, iners ſeu inelectrica.

Curatio eadem, ac typhi neruoſi *Huxhamii*; ſcilicet phlebotomia, et cathartica omnino fugienda ſunt, cum virium reſtaurationi potiſſimum inuigilandum ſit; hoc praeſtat vinum, cardiaca volatilia, ambara griſea; et potiſſimum vt pulſui vigor redeat, ſtupor diſcutiatur, humiditas ſuperflua eliminetur, nihil eſt praeſtantius emplaſtris veſicatoriis; diaeta vero mediocris eſto, neque enim ſolis iuſculis ſaltem ſenes ſuſtentare ſufficit.

12. *Tritaeophya Americana. Deſperieres* Journal de Med. Oct. 1762; *Fiévre de S. Domingue.* A.

Ea eſt ardens febris, quae Europaeos, nuper in Americam aduenientes, corripere conſueuit, et horum dimidiam partem ſaepius eripit; huius duae ſunt varietates, vna *peracuta*, altera *acuta*.

a) *Peracuta* ante ſeptimum diem definit; incipit paucis ab aduentu diebus, poſt anorexiam, dyſpnoeam, ſuſpirioſam, ab aſthenia, cephalalgia, laſſitudine, lumbagine; pyrexia accedit cum polydipſia, ephidroſi, ardore; creſcit aegritudo; accedit nauſea, vomitio biliosa, porracea, lingua aſpera, brunnea; extrema ſaepe frigent; peruigilium, paraphroſyne, furor, mors ſaepe tertia die; ſudores copioſi, haemorrhagia narium, ſed copioſa, quinto die, non citius, ſuperueniens vtilis; diarrhoea bilioſa eſt criſis omnium optima.

Praeuertitur morbus vt plurimum ſi Europaeus ante, quam proficiſcatur, ſibi venam tundi ſatagat et purgetur; ſi durante itinere os oxycrato colluat, parce ſe nutriat, vtatur acidis, vt cremore tartari, limonibus, aceto; ſi aëre libero et moderato, exercitio, vtatur; Americam appellens venerem, potus ſpirituoſos, inſolationem fugiat, balneis frigidis vtatur. Curatur febris vna, aut altera, phlebotomia, nec obſtare debet ſudor, aut vomitus; abſtineat tamen, ſi diarrhoea bilioſa acceſſerit; caueat ab emeticis, catharticis, narcoticis, ſudoriferis; utatur cremoribus, aqua nitrata, limonada, clyſmatibus emollientibus, ſomentis, et leni ſub finem cathartico.

b) Tritaeophya Americana *acuta*, ſaepius nona, rarius vltra decimam quintam diem terminatur; a quarta ad ſeptimam mors ſaepius accidit: incipit a cephalalgia, lumbagine, quandoque horrore; laſſitudo magna, dyſpnoea, ſitis, pyrexia ardens, tertia die exacerbans, meteoriſmus, gaſtrodynia ad xiphoideam cartilaginem, nauſea, vomitio bilioſa; ſtatus morbi intra 24^or ho-

ras: oculi rubri, lacrimoſi, vrinae pellucidae, paraphroſyne obſcura, anxietas continua, lingua ſicca, rubra, raro nigra, quod peius; pulſus antea fortis, plenus, quarta die minuitur, tenſus, ſpaſmodicus euadit; ſi carus tunc accedat, aeger quinta vel ſexta die moritur; ſi vero pulſus vigeat, nec carus accedat, criſis quarta die expectanda per ſudorem, haemorrhagiam narium copioſam, et tutius per diarrhoeam bilioſam, quae numquam ſalubris, ſi ante quintam diem accidat.

Curatur phlebotomia, e brachio repetita, potu acidulato, diluente, et catharticis opportune praeſcriptis; phlebotomia intra primos duos dies quinquies ſexiesue repetatur, neglecto ſudore et vomitu; cauendum ab emeticis et ſudorificis; aeger pro cibo vtatur aqua pulli emulſionata, cum nitri gran. IV, camphorae gran. ij, quae quater in die potui addantur, dein exſpectetur criſis. Pyrexia vero recedente aeger leniter purgetur ex ſale Epſamenſi (in decocto kinkinae:) ſi carus accedat, quod pulſus conuulſiuus praeſagit, duo ampla veſicatoria ſuris applicentur, ſed mature, ſecus ad cardiaca deueniendum.

[13. *Tritaeophya dyſenterica. Stoll.* rat. med. T. 2. p. 51.

14. *Tritaeophya catarrhalis bilioſa. Stoll* l. m. c.

15. *Tritaeophya ſcorbutica. Eugalen.* de ſcorb. n. 10. *Lind.* p. 177.

16. *Tritaeophya ſyphilitica. Plenck.* de m. ven. p. 127 ſq]

VIII. TETARTOPHYA; *quarte continuë.*

Genus eſt febris remittentis, cuius paroxyſmi ſimiles ſibi mutuo quarta quauis die reſpondent, ſeu quartanae typum imitantur.

Rariſſimum eſt febris genus, quae producitur a cauſſis ſynochi, et quartanae coniunctis atque vtplurimum letalis eſt.

1. *Tetartophya ſimplex* Franc. *Joel.* Opér. med. Tom. 3. C. P..

Ea eſt, quae nullius viſceris, ſpeciatim affecti, ſigna praebet. Huic calor obtuſus, ſed acer, pulſus paruus et tardus initio paroxyſmi, dein plenior, velocior quam in quartana, exſpuitio frequens, temperamentum melancholicum; extenditur ad ſex ſeptimanas, niſi aeſtiua ſit. Paroxyſmi ſunt typici citra frigus et ſudorem; curatur aperientibus, incidentibus, antiſcorbuticis, praemiſſis generalibus.

2. *Tetartophya ſplenalgica;* vide Plantii vitam Fernelii. *Febris Ferneliana* Raim. *Fortis*, quod ea mortuus eſt Fernelius. C. P.

Differt a praecedenti quod lienis obſtructione ſtipetur.

3. *Tetartophya hepatalgica* Carol. Piſonis. C. P.

Pendet ab ſcirrho, aut ſuppuratione, hepatis.

4. *Tetartophya carotica*, *Werlhof.* obſeru. de febrib. pag. 17. A. P.

Foreſt. lib. 3. obſ. 39. *Bianchi* hiſt. hepat. pag. 751, tetartophyam comatoſam obſeruarunt, et ego anno 1727 in noſocomio Aleſienſi catalepticam in ſene milite. *Schelhammer* de natura pag. 275. *Stahlius* ſomnolentiam in quartanae paroxyſmis innoxiam neque cohibendam eſſe, notat in problemate de febrium theoria. Vide *Carum febrilem.*

5. *Tetartophya ſemitertiana; Hemitritaeus maior Schenckii* obſ. 18. lib. 5. ſchol. p. 140. A. P.

Illa eſt ſpecies quartanae continuae, quae tertianam interpoſitam habet, ſymptomata ſaeuiſſima inducit, rarius euenit et fere ſemper letalis eſt. *Scheuckius* et praeceptor eius *Benedictus.*

6. *Tetartophya maligna. Quartana maligna Marcelli Donati* lib. 3. cap. 14, lib. 7. cap. 6; *Horſtii* lib. 1. obſeru. 12. A. P.

Comatoſam obſeruauit *Carol. Piſo* de morbis a colluuie ſeroſa, obſeruat. 166. Ea hepatalgiam duxit et intra quartum menſem aegrum confecit. Pulſus initio paroxyſmi paruus et admodum rarus, vt quandoque pluſculas horas penitus lateret; aderat coma graue, niſi quando deliriis interturbaretur; paroxyſmus ad horas quindecim extendebatur. Vide etiam eius obſeruat. 169, 170, 171: legatur *Torti* de febre lethargica a pag. 207 ad 219.

ORDO TERTIVS.

Febres Intermittentes,

Graecis *pyreta dialeira;* Gall. *accès de fiévre;* Anglis *The agues.*

Pyrexia, Latinis *febricitatio*, dicitur tempus huius aegritudinis, quo febris viget, id eſt, in quo alienatus eſt ratione celeritatis pulſus, et notabilis virium proſtratio, in hoc ordine *acceſſio*, in priori *paroxyſmus* dicitur, ſed propria pyrexia calorem aeſtumue febrilem ſignificat.

Apyrexia, Latinis *quies*, *infebricitatio*, *interuallum lucidum*, eſt tempus, quo febris omnino deficit, et inter vtrumque acceſſum vocatur *intermiſſio:* differt a *remiſſione* ex totali et plena febris abſentia, cum in remiſſione ſit tantum febris imminutio, non interlocatio.

Typus eſt ordo acceſſionum aut paroxyſmorum: vt typus quotidianus, tertianus, quartanus, cum ſe quotidie, tertia quauis die, cet. conſequuntur acceſſus, vel paroxyſmi. Typus in quartana eſt maxime regularis, ſeu facile determinabilis, minus in tertianis, aſt non ita in remittentibus, quae multo minus *typicae* ſunt.

Ex typo repetuntur characteres generici intermittentium et remittentium, ita tamen, vt data ſpecies referatur ad genus, cuius typum illa proximius imitatur.

Febres intermittentes ſunt illae, quae per interualla ſemimenſe minora pluries accedunt et recedunt, plena inter vtrumque acceſſum apyrexia, [vt tamen aliquando vno acceſſu febris terminetur, vt infra vid.]

Saepius remittentes cum intermittentibus confunduntur, quando malignae ſunt; [quum permanent virium proſtratio cum abnormitate pulſus cet. Sunt etiam intermittentes, in quarum] interuallis paroxyſmorum pulſus modo ſano ſimilis eſt, modo rarior, vt in hemitritaeis, tritaeophyis, epialis, aliisque; verum non ex ſola pulſus frequentia debet aeſtimari febris, cum in typho, vtcumque grauiſſimo morbo, pulſus ſit vel ſano ſimilis, vel rarior, vtcumque magna febris ſit.

Pyrexia, ſeu acceſſus, duplici ſaepiſſime tempore abſoluitur, ſcilicet tempore *frigoris* ſeu horroris, et tempore *aeſtus* ſeu caloris, atque vtplurimum *ſudore* terminatur; *intermiſſio* eſt tempus, quod inter ſudorem vltimi acceſſus, et horrorem proxime ſequentis intercedit. [Memineris autem eſſe febres intermittentes, quarum tempora ſunt commutata, vt a ſudore incipiant, ſequatur calor, quem excipit frigus: vbi contraria omnia.]

Nullas admittimus intermittentes malignas, quia quae intermittentes videntur et malignae ſunt, nullum lucidum interuallum habent, in quo vis pulſus reſpectu ad vires artuum ſit vt in ſanitate, ſeu in quo, ſi pulſus ſano ſimilis ſit quoad frequentiam, non ſit artuum proſtratio, ſeu debilitas, multo maior, quam in vere intermittentium interuallis. Malignas itaque intermittentium facie ludentes ad amphimerinas, tritaeophyas, vel tetartophyas amandamus. [Quam ſententiam non integre adimpleuit auctor.]

Malignitas in morbis eſt ſumma nocendi facultas a principiis phyſicis, minime vero mechanicis, pendens; ſumitur etiam pro materie maligna, deleteria, venenata, ſeu quae ſub exigua mole magnas et noxias mutationes inducere valet in oeconomia animali per vires ſuas phyſicas, ſaepius obſcuriſſimas.

Forte illa miaſmata vim electricam fluidi neruei deſtruunt, vt eam a mephiticis halitibus, anthracis et carbonum fumo, extingui notum eſt, vnde virium lapſus ſubitaneus; ſorte etiam illa miaſmata vi arſenicali nerueas fibras irritant, et erethiſmos funeſtos excitant. Quis aconiti, cantharidum, ouorum lucii vim deleteriam ex principiis mechanicis explicauit? quis opii vim narcoticam?

In febribus duo ſunt principia, quae morbi vehementiam conſtituunt, vis ſcilicet naturae, quae, quo maior eſt, eo maiorem aeſtum febrilem concitat, [reactio *Culleni*,] ex pulſus frequentia et magnitudine aeſtimandam; et vis malignitatis materiae morbificae, quae ex artuum et pulſus debilitate, conatuum anomalia, turba, et praecipiti ac inconſtanti ſerie indicatur; ſcilicet ex cardialgiis, ſyncope, deliriis, conuulſionibus, ſopore, cet.

Ex eo, quod malignitatem admittamus, minime concludendum eſt, materiem deleteriam cardiacis, alexiteriis, bezoardicis eſſe ſemper, et ſine ſummis cautelis eiiciendam, quae certe conſequentia, vt aduertit *Sydenham*, plus nocuit humano generi, quam

pulueris inuentio; ſed ſequitur, vt ea ſit vel corrigenda, vel eliminanda, prout alterutrum permiſerint rei adiuncta, et ſuaſerit rerum magiſtra, experientia.

In plurimis morbis eſt materies morbifica, adeoque noxia; non ideo omnes maligni dicendi ſunt, ſed ii tantum, in quibus ſymptomata venenatae materiei, et triumphatae, aut turbatae naturae tribuenda praedominium tenent, vt in typho, pluribusque remittentibus. Intermittentes, ait *Hippocrates*, periculo carent; id eſt, ſi comparentur cum remittentibus et multis continuis, multum abeſt, quin adeo perículoſae ſint; cum enim natura ab omni molimine ceſſet in interuallis, nec oppreſſa ſit, ſed omnino libera, vt patet ex animae et corporis functionibus reſtitutis, nullum interea graue damnum imminere conſequens eſt, ſeu minus eſt timendum damnum ab huius materiei noxa, quam quod ex continuo naturae conatu exſurgeret.

Natura in regimine actionum omnium vitalium, et a libertate non pendentium, alternam labori quietem ſectatur, et periodice labores ſuos exſequitur; patet ex pulſu cordis, qui ſingulis ſecundis, ex motu exſpirationis qui vigeſies in minuto, ex fecum expulſione, ex ſomno, qui ſemel in nycthemero, ex mictione, quae bis vel ter, ex ſeminis eiectione, ex catameniorum expulſione, cet. quae periodica naturae molimina euidenter oſtendunt. Quid itaque mirum ſi, vbi materies morbifica latet in vaſis ſanguiferis, morulis interpoſitis, vires ſuas reficiat natura medicatrix.

Omnes theoretici hoc ſibi muneris imponunt, vt mechanice explicent diuerſos periodicos morborum inſultus; aſt prius inquirant, cur omnes pacatae artificum omnium actiones fiant periodice; cur ſutores, lapicidae, fabri ferrarii, aratores, remiges, cum nullo periculo turbantur, ſuos manuum, pedum, trunci motus alternos, periodis breuioribus, vel longioribus abſoluant, datis interuallis cibum, ſomnum capeſſant, et eodem modo quo harum actionum periodos explicuerint, naturales fieri intelligent; nam eodem modo agimus, ſiue inſcii, ſiue conſcii, cum potentia motrix a facultate percipiente diuerſa ſit.

Curatio intermittentium alia eſt *palliatiua*, quae naturae conatus tollit, ſuſpendit; alia vero *radicalis*, quae materiem morbificam, qua illi determinantur conatus febriles, aufert, vel corri-

git; iſta tutior eſt, altera vero ſola raro eſt adhibenda, niſi radicalis praeceſſerit. Interea tamen, ſi urgeat neceſſitas, palliatiua cura adhibenda eſt prior, quod praeſtant narcotica kinkinae mixta.

Curatio radicalis diuerſa eſt, prout diuerſa eſt materies morbifica, et principium intermittentis procatarcticum, ac proëgumenum; ab animi pathemate, vt vehementi cupiditate, terrore, cet. ſine vllo alio in corpore vitio, quandoque excitari intermittentes, docet obſeruatio; in illis vel quies animi ſomno, tempore, conciliandа ſufficit, vel alterum pathema excitare ſaepe ſatis eſt; vt apud ruſticos ſobrios ſuccedere videmus, et vt in ſingultu, haemorrhagia leui; ſaepe ſufficit. Verum ſi frigore concitatus fuerit acceſſus, quoniam aeſtus febrilis ſubſequens reſoluit ſanguinem, a frigore inſpiſſatum, et perſpirabile retentum ſudor expellit, natura ſola huic morbo medetur.

Cum vero ſunt materies morbificae peregrinae in corpore, illae vel primas vias ſolum notabiliter, vel etiam ſecundas, tertiasque, infeſtant, atque in hoc caſu ars medica naturae ſuppetias ferre debet. [Tum ſatisfaciendum eſt indicationibus ſpecierum et differentiarum, quas vide ſuo loco.]

Intermittentes vero chronicae ſoueri videntur a materie morbifica, non ita facile putreſcibili, viſcidiore, et ſimul vix acri, quae in vltimis arteriarum, venarumque reticulis nidulatur, vbi valde eſt retardata ſanguinis circulatio, et ex paulo maiori retardatione non, niſi poſt longum tempus, imminet aliquale vitae periculum.

Simile quidem vitium in omnibus etiam acutis intermittentibus agnoſco, ſed vel multo leuius, vel grauioribus vitiis combinatum, vt in remittentibus. Ex his autem ferme patet, cur a ſpaſmodica membranarum et cutis potiſſimum ſtrictura febrilis conatus ordiatur; cum enim in illis vltimis membranarum et viſcerum vaſculis, vis truſiua exigua ſit, nec poſſit multum intendi, quin praeceſſerit huius reſolutio, et attritus, neceſſe videtur, vt hac ſpaſmodica conſtrictione materies morbifica atteratur, prematur, et in venas continuas exprimatur, adeoque prelo cordis et arteriarum oblata maiori energia ſubigi, et liquefieri poſſit: non poteſt autem illa ſtrictura excitari ſine ſummo virium impendio, fluido ſcilicet nerueo vbertim in omnes membranas, muſculosque cutaneos immiſſo, vires cordis hoc defraudati minuantur, neceſſe eſt; hinc pulſus exilis, quandoque turbatus, in frigore febrili, dum

conuulſiue conquaſſantur partes externae, et ſanguis a peripheria corporis ad venas, et inde ad cor exprimitur; ab ſpaſmodica membranarum conſtrictione frigus oriri quoad ſenſum aegri, multis experimentis confirmatur; calculi biliaris per canalem choledochum tranſitus, catheteris in veſicam immiſſio, vltima vrinae, vrethram in dyſuria vellicantis, guttula, ſaepe frigus intenſum excitant, licet partes, quas aeger frigidas percipit, adſtantibus natiuum calorem ſeruaſſe videantur, quod in epialae paroxyſmis vidi.

Veroſimile autem eſt, longa mora ſanguinis ſeroſi, vappidi, effoeti in his vaſis vltimis, potiſſimum apud cachecticos, oppilatas virgines, obſtructos, aquis lutulentis vtentes, cet. elaterem horumce minimorum vaſorum imminui. Hinc ſequitur, principium proëgumenum febribus illis ſuppeditari, quod naturae viribus et conatibus febrilibus non poteſt eradicari, atque in hoc caſu Medicus duplici potiſſimum modo has intermittentes debellat.

Primo etenim praemiſſis generalibus tonum hiſce vaſis reddere conatur per martialia, amara, ſtomachica, adſtringenti vi praedita, quod praeſtant kinkina, caſcarilla, nuces gallarum, gentiana, centaurium minus, aquae thermales, ferrugineae, cet. Secundo vero vitium quoddam fluidis illis ſtagnantibus inhaerens corrigunt iisdem medicaminibus, ſiue illud vitium ſit ſimplex, vt viſciditas, craſſities, quod bene multi cogitant; ſiue ſit combinatum ex quadam tendentia ad putredinem eaque remota, vnde forte fit, quod optima antiſeptica, vt chamaemelum, kinkina, ſint febrifuga, vtut cum febrifugis, alia antiſeptica ſalina, velut cremor tartari, ſal ammoniacus, addantur.

[Recte vtique *Stollius* in rat. med. T. 4. p. 30. Febres intermittentes *per ſe* nec venaeſectionem, nec euacuationem aluinam admittunt, nec congruae cortex peruv. cum purgantibus miſcetur.]

Phlebotomia in aeſtu febrili potiſſimum, et cathartica immediate poſt acceſſum, tutius collocantur, [emeticorum vſus ante paroxyſmum, et remediorum nauſeorum, quae egregii hic vſus ſunt, v. g. puluerum ex $\frac{1}{6}$ aut $\frac{1}{8}$ grani rad. ipecac. doſi combinata cum ſale medio, ante paroxyſmum exhibeantur.] Vſus vero kinkinae in intermiſſionis ſpatio locum habet. Diaeta eo ſeuerior ſit, quo acceſſus longiores et frequentiores ſimul, quoque recens magis morbus, viresque aegri vegetiores: quotidiana et tertiana duplex diaetam febrium acutarum expoſtulant, ſaltem primis die-

bus. Tertiana ſimplex et a fortiori quartana diaetam mediocrem exigunt, et poſt aliquot ab inuaſione dies ciborum ſolidorum, vinique vſum non reſpuunt, aſt acceſſus tempore vacuus debet eſſe ſtomachus, ne natura digeſtionis et febris ſimul opere defatigetur. [Febri fugata oportet, *Sydenhamo* praeeunte, ſi vel indicata videantur, a catharticis diutius abſtinere, ne recidiua inducatur.]

Semina paſtinacae ad dragmam; teſtae ouorum calcinatae et pulueratae ad ſemi-dragmam, bis, vel ter in die, vt expertus ſum, febres fugant?

Recipe: ſalis polychreſti, ſcrupul. duos; ſalis ammoniaci, ſcrupul. j. m: ſumat bis, vel ter in die, ſuperbibendo infuſum vel chamaemeli florum, vel centaurii minoris, vel trifolii fibrini, vel ſume conſeruae naſturtii aquatici, aut alterius antiſcorbuticae plantae vnc. quatuor.

Haec ſunt febrifuga, Vindobonae vſitata. [Mallem poſt febrium intermittentium curationem auctor etiam nominaſſet, quae febrim talem inducere poſſint. Notum eſt, ſaepe dici intermittentes remedio eſſe, v. g. *Hippocrate* auctore, febris apoplexiam ſoluit, intermittentes remittentes, maxime hecticam ſoluunt, illisque aegritudinibus facilius tolluntur. At ſolent medici adhucdum febrium cauſſas, vt aegritudinum omnium, pro malo phyſico, remouendo ſemper, habere. Supplerem deſiderata, niſi experientia promta hic nobis deficeret. Poſſunt interim attentius aeſtimari, quae ſponte ſe inter cauſſas offerunt.]

IX. QVOTIDIANA, Graecis *Cathemerinos pyretos*; *Fiévre quotidienne.* Nomen adiectiuum quotidianae ineptum eſt, multo rectius *Catemerina* vocari deberet haec febris, vt tertiana *Tritaeus.*

Eſt genus intermittentis febris, cuius acceſſus ſimiles ſingulis diebus reuertuntur.

Differt a tertiana duplici, in qua pariter quotis diebus ſit acceſſio febris, ex eo, quod tertianae acceſſus alternis, non vero ſingulis diebus ſibi mutuo reſpondent. [Quin, etiamſi reſpondeant, ſubeſſe vere duplicem tertianam, probaui in Syſt. aegr. T. I.]

Quotidiana rara eſt; et multo frequentior eſt duplex tertiana.

Quotidiana ſubintrans, ſeu cuius acceſſus ad viginti quatuor horas ferme extenduntur, iam pro intermittenti haberi non poteſt, et amphimerina cenſenda eſt; quae vero duplicata eſt, ita vt ſingulis diebus duo acceſſus dentur, fere ad remittentes pertinet. cum non ſenſibilis inter acceſſus detur apyrexia; a fortiori triplex, quam *Primeroſius* recenſet, et quas quartanis, tertianisue complicari contendit. Galenici, a pituita hoc genus pendere arbitrati, huius hiſtoriam ex ſua hypotheſi concinnabant.

1. *Quotidiana ſimplex; Quotidiana legitima* Brendelii, *Sennerti*, cap. 18. de febrib. P.

Ea pueris, debilibusque ſubiectis familiaris eſt, verno potiſſimum tempore. Primae acceſſiones, vt plurimum horis matutinis, quibus aeger ientare aſſueuerat, reuertuntur; horror et calor mediocres ſunt; duratio acceſſus octodecim horas non excedit; duratio morbi ante kinkinae inuentum ad menſes plures extendebatur.

Differt ab amphimerina catarrhali per integram apyrexiam, et ex eo, quod mane, non veſpere, vt in catarrhali, acceſſus aggrediantur, quodque coryzae et tuſſis immunis ſit. Veras et plures initio veris anni 1750 obſeruauit in pueris *Brendelius*. Vidi et ego quaſdam.

2. *Quotidiana deceptiua; Febris ſubcontinua Torti* p. 199. *Febris ſubintrans* Auctorum.

Eſt vera amphimerina putrida, quae aliquamdiu aegrum et Medicum deludit ſub quotidianae larua, vt monuit *Sydenham*, et ſaepius obſeruatur. Illa nec horas matutinas ſeruat, et laſſitudine, nec non linguae ſorditie ſeſe prodit; dum aeger ſe frigere aſſerit, is non raro ſolito calidior a Medico deprehenditur; intermiſſio et typus obſcuratur; maximi momenti eſt ab illa non decipi, ſed eam per eadem medicamina impugnare, quibus ſynochus et amphimerinae impugnantur, et a kinkina diu abſtinere, ſed phlebotomiis et catharticis iteratis potiſſimum vti. Vide *Tertianam ſpuriam Sydenhami.*

3. *Quotidiana hyſterica* B. *Scharfii* Miſcell. Nat. Cur. P.

Vidi ipſe pluries hanc ſpeciem in hyſtericis mulieribus, quae quotidie horis veſpertinis, non nocturnis, leni refrigeratione cum oſcedine et pandiculatione aggrediebantur, ſubſequente leni calore, nulloque, aut vix notabili, ſudore. Pulſus in hac ſtrictus, vrinae copioſae, limpidae.

4. *Quotidiana epileptica*, Eſſais d'Edinbourg, Tom. VI. art. 49. pag. 138. P.

Ea eſt, quae quolibet acceſſu paroxyſmum epilepſiae arceſſit. I. R. a ſex menſibus intermittenti laborans, poſt graue inſomnium incidit ſingulis diebus in paroxyſmum epilepſiae, eadem hora accedentem, qua febris antea cum inuadere ſolita erat; quilibet epilepſiae acceſſus incipit a pedum conuulſione, quae ad ſolum pedibus percutiendum cogit. His conuulſionibus ſenſim ad caput delatis illico loquelae uſu orbatur aeger; ſed vlulatus horrendos edit, ventre et pectore alternatim mirum in modum dilatatis et conſtrictis. Durante hoc acceſſu pulſus elatior et frequentior, facies inflammata, oculi exorbitantes; finito paroxyſmo dolor in interaneis, lingua humida, vrinae ſuppreſſae. Curationem et ſanationem, vide *loco citato.*

5. *Quotidiana iſchiadica*, Eſſais d'Edinbourg, Tom. VI. p. 143. P.

Puerpera dolores in iſchio experiebatur, intermittentibus dudum obnoxia, paludoſae regionis incola, ſingulis diebus paroxyſmum huius doloris circa vaſtum externum muſculum eadem hora patiebatur, cum magno aeſtu febrili, in ſudorem terminando, quo peracto bene ſe habebat ad omnes functiones expedita. *Curatio.* Sumto emetico et catharticis kinkinam adhibuit, addito elixirio vitrioli cum antiſpaſmodicis; demum admoto parti affectae amplo veſicatorio conualuit.

6. *Quotidiana cephalalgica M. Donati* lib. 5. P.

Differt a cephalalgia febrili per ſigna febris conſpicua, vt rigorem et calorem quotidie renertentes, eodem tamen modo curanda. Vide *Mortonum de febri*, *hemicraniam ſimulante*, cap. 9.

7. *Quotidiana nephralgica Morton.* Pyretol. cap. 9. hiſtor. 28. A. P.

Ea eſt, quae quotidie paroxyſmum nephralgiae inducit, cuius curam vide apud *Auctorem citatum.*

8. *Quotidiana ſoporoſa Mocha*, conſil. 48. fol. 71. an *Morton* Pyretol. cap. 9, hiſtor. 26? an Tertiana carotica duplex? *Car. Piſo* obſ. 174. de morbis a colluuie ſeroſa. A. P.

Bis obſeruauit *Piſo*; ſingulis diebus a meridie acceſſus inuadebat cum graui veterno, vrina vtrique aegro vitrum fuſum referebat.

9. *Quotidiana catarrhalis Trincauellii* lib. 3. conſ. 18, 21. *Zecchii* conſ. 22.

Incipit quolibet veſpere a refrigeratione; aſt inquirendum, num ſit mane integritas, ſeu apyrexia?

10. *Quotidiana partialis Cnoffelii*, Collect. Academic. tom. 3. p. 166. Act. Acad. Nat. Cur. ann. 1673. obſ. 205. P.

Ea eſt quae vnam tantum corporis partem afficit.

M. G. ſingulis diebus per ſeptem ſeptimanas frigebat toto brachio, hora ſeptima veſpertina, hora octaua huic frigori addebatur tremor manus et digitorum, poſt trihorium calor ſuccedebat, et brachium calore vrenti flagrabat, reſiduo corpore bene ſe habente, excepto quod praeludebant vomitio et dolores ad hypochondrium, et mammam eiusdem lateris. Haec febris ſanata eſt ſolitis remediis.

11. *Quotidiana ſtranguriosa* Hug. Gouraigne D. M. M. P.

Is obſeruauit febrem, in qua quilibet acceſſus quotidianus afferebat vrinae ſuppreſſionem cum inani fere meiendi conatu; elapſo acceſſu, vrina libere profluebat; laxantia emollientia praemiſſis generalibus profuere.

[12. *Quotidiana choleſeptica.* Finke de morb. bil. an. p. 123.

13. *Quotidiana catarrhalis bilioſa. Wagler* de m. muc. p. 44. ſq. Nocturna.]

X. TERTIANA, Graecis *Tritaïos; Bilioſa* Galenicis; *Intermittens*; *Fièvre tierce*; Ægri *Tertianarii.*

Eſt illud genus intermittentis febris, cuius acceſſus ſimiles alternis diebus ſibi mutuo reſpondent, vel eſt ſeries acceſſuum, quorum qui ſimiles ſunt, illi tertia quaque die circiter repetunt.

Diſtinguitur tertiana duplex a quotidiana, quod tertianae acceſſus non ſingulis, ſed alternis, diebus quoad horam, modumque inuaſionis ſibi reſpondeant; a quartana triplici, quod in quartana acceſſus diei Lunae ſimilis ſit acceſſui diei Jouis, diei Dominicae, et ſic deinceps; praeterea tertiana multo frequentius occurrit, quam quotidiana.

Vrinae lateritiae ſunt optimum intermittentium latentium ſignum.

1. *Tertiana legitima Sennert.* de febrib. cap. 17. lib. 2. *Neuter.* tabul. 153. P.

Ea dicitur, cuius acceſſus vltra duodecim horas non extenditur, inuadit inter horam matutinam nonam et undecimam, quotidiana vero circa ſeptimam: hemitritaeus a *Celſo* vocatur. Æſtiua et verna tempeſtate frequentior eſt, ſpuria vero auctumnali. Frigus eſt in tertiana intenſum cum tremore et triſmo, ſtrepituque dentium, quod ſequitur calor multus acer et mordax, vnde frequens reſpiratio, frigidi potus ſitis, vigilia, cephalalgia, et quandoque delirium: vrinae ſunt ſubrufae, et poſt acceſſum intenſius citrinae; hae febres ſubiectis iuuenibus, biliosi temperamenti, exercitatis frequentius accidunt; ſeptem circuitibus ex *Hippocrate* terminantur, ſi naturae commiſſae fuerint. *Sydenham* vero exiſtimat, ſummam omnium acceſſuum quatuordecim dies adaequare, ſi auctumnales fuerint; ſaepe horror ſemi-horam transgreditur, et vomitione ſtipatur, acceſſus a 6 horis ad 12 extendi ſolet: declinatio acceſſus ſudorem acceſſit, declinatio vero morbi ſaepe diarrhoeam.

Curatio. Aeger per aliquot dies ſolis iuſculis et aqua panata veſcatur; phlebotomia, niſi aeger ſit ſenex, infans, vel conualeſcens, inſtituatur, imo pro neceſſitate repetatur in acceſſu; ſequenti die poſt acceſſum purgatio communis vſurpetur, quae interpoſito altero acceſſu repetatur: cum vero febris per naturae conatus et diaetam paululum attrita, ſeu contemperata fuerit, tunc ad corticem peruuianum quarta quauis hora extra acceſſum ad dragmam vnam in ſubſtantia ſumat aeger, et in hoc perſeueret noctu et interdiu, vſquequo febris deſierit, tunc per ſeptem dies bis tantum in die, aliis vero ſequentibus diebus ſeptem, ſemel, vel alternis diebus, vſurpetur kinkina.

Varietates huius febris, a *Ballonio* et *Ramazzino* obſeruatae ſunt; quotidiana *gaſtrica*, et quotidiana *venoſa*. *Gaſtricas* vocat *Ballonius* lib. 2. Epidem. ann. 1575, quae a ſaburra primarum viarum fouentur, quod ex linguae ſorditie, foetore oris, aliisque ſignis cognoſces, et illae repetitis catharticis curari debent, non phlebotomiis. *Venoſae* ſunt iuxta illum, quae generis venoſi phlogoſin ſequuntur, quod ex ſignis plethorae commotae diſtinguitur; illas phlebotomia ſanat.

2. *Tertiana ſpuria Sennert.* lib 2. cap. 17; *Nenteri,* Tab.

153. cap. 26; *Tertiana ſubcontinua Juncker.* Tab. 79. *Tertiana extenſa* quibusdam; P.

Vitioſa ſpeciei denominatio, et vere illegitima, quam aegre retinemus; ea autem ſic vocatur, quae breui, leuique frigore adoriens, calore dein intenſo et longiſſimo ſtipatur, ita vt 12ᵘᵐ imo 20ⁱ horas perſeueret cum ſiccitate linguae, capitis dolore, nullis, vel paucis, nec leuantibus, ſudoribus, in hac etiam acceſſus typum facile mutent. Duratio morbi vltra ſeptem acceſſus extenditur, et menſe Julio ſaepius accedit, atque poſt quatuor, vel quinque, acceſſus omnino remittens, ſeu tritaeophya euadit, quod praeſagimus, ſi apyrexia ſit breuis, imperfecta, ſi poſt acceſſum nullus ſudor, vel nullum leuamen adſit, ita vt aeger lecto ſuo delectetur.

Haec ſpecies tribuenda eſt, vel ſaburrae primarum viarum copioſiori, quae ideo catharticis eſt expugnanda; vel aſſiduo calori lectuli, et calidiori regimini, vt ſudorificis: in priori caſu poſt ſufficientem catharticorum vſum ad kinkinam deueniendum eſt: in poſteriori kinkina nullius vſus eſt. Vide *tritaeophyam deceptiuam.*

3. *Tertiana petechialis* Marcelli Donati; *an Tertiana ſcorbutica* Wedelii?

Videtur varietas ſpuriae, in qua ob nimium ſanguinis ardorem, regimine et medicamentis calefacientibus excitatum, ſuperueniunt petechiae, vt obſeruat *Junckerus*; iudicent vero autoptae, num ad tritaeophyam potius attineat. In noſtris regionibus raro haec obſeruatur, apud Germanos frequentius.

Dolores nocturni, maculae liuidae, gingiuarum foetor ſcorbuticam deſignant, in qua ſuccus naſturtii aquatici cum kinkina praebetur.

4. *Tertiana pleuritica Valeſii* in Epidem. lib. 1. ſect. 3. pag. 30. *Pleuritis intermittens. Stoll.* R. M. T. W. pag. 498. vide etiam *pleuritidem.* A. P.

Quin etiam mihi contigit videre pleuritidem, veriſſimam quidem, et omnia pathognomonica ſigna habentem, intermittentem tamen, ita vt homo alternis diebus pleuritide, aut pleuroperipneumonia, alternis nullo morbo, teneri videretur. Hodie regnat Monſpelii Maio menſe 1760 tertiana, quae poſt tertium acceſſum pleuritidem imitatur, dolore lateris et dyſpnoea accedentibus, ac febris ex intermittente euadit remittens; ſanguis pleu-

riticus eſt in patella; et phlebotomiis iteratis cum interpoſitis eccoproticis ſanatur morbus.

5. *Tertiana arthritica.* Raim. Fortis. P.

Hanc ſpeciem haemorrhois ſuppreſſa excitabat. Rheumatiſmalem tertianam deſcripſit *Mertonus* Pyretol. cap. 9. hiſt. 22.

6. *Tertiana aſthmatica Bonet.* Polyalth. P.

Illa eſt, cuius ſinguli acceſſus difficultate magna reſpirandi ſtipantur, et aſthmaticos inuadunt; febris nec eſt acuta, nec continua, vt in peripneumonia; cura exigit febrifuga, bechicis et diureticis iuncta.

7. *Tertiana emetica. Vid. Williſ.* obſeru. de febre Tertiana, cap. 4. *Synechos vomitum ſimulans, Morton.* cet. P.

Iuuenis quidam nobilis, bilioſo temperamento praeditus, febri tertiana corripiebatur; ingruente paroxyſmo plurimum bilis flauae et viridis euomebat; dein cum inſigni cardialgia, calore et ſiti intenſiſſimis per plures horas grauiter decumbebat. Haec ſpecies in quouis paroxyſmo atrocem vomitum excitat, vel bilioſum, vt in hoc caſu *Williſii*, vel pituitoſum, vt in aliis, quos vidi.

Williſius praeſcripſit victum ex hordeatis, phlebotomias duas in acceſſu, quauis nocte conſeruam roſarum cum ſcrupulo diaſcordii, mane ſal abſinthii cum ſucco aurantii, et, cum aeger ille a vomitoriis laederetur, ad cathartica ex infuſo ſennae, rhei, ſantali citrini cum ſale abſinthii confugit, nec non epithema febrifugum carpis admouit; vbi vero vomitus pituitoſus, viſcoſus, tertia quaque die cum febri recurrit, poſt adhibita omnigena medicamina, ad aquas Bellilucanas confugiendum eſt, die intermiſſionis epotandas.

Falſum eſt, in tertiana emeticum neceſſarium eſſe; emetica et cathartica, cautelae gratia adſumpta, non raro tertianam excitarunt, obſeruante *Williſio*: illis etiam inſiſtere non tutum eſt, cum videntur indicata.

Tertianam, emeſi et ſudore ſtipatam, epidemicam anno 1657 memorat *Mangetus* in bibliotheca practica. Tertianam iliacam, ſeu vomitu pertinaci, colica et alui conſtipatione notatam, refert *Foreſtus* in obſeruat. Tertiana cholerica, ſeu choleram quouis acceſſu excitans, eiusdem eſt ſpeciei, *Morton* pyret. cap. 4. pag. 33. Succus limonum ſaccharatus aqua dilutus, ſeu limonata vulgaris, cocta, bis ſumpta in acceſſu laudatur a *Guill. Pi-*

ſone in his tertianis; ea enim vomitum compeſcit, acceſſum minuit, et ſudores mouet.

8. *Tertiana hyſterica Wedelii* Ephemer. Nat. Cur. ann. 2. eiusdem *tertiana hypochondriaca. Selle* med. clin. p. 38. P.

Ea eſt, quae tertio quoque die paxoxyſmum hyſteriae arceſſit, potiſſimum frigus, oſcitationes, cardialgiam, nauſeam, terrorem et animi deiectionem.

Curatur aperientibus lenibus et anthyſtericis, kinkinae mixtis.

[β. *duplicata.* Hiſt. de l'ac. des Sc. 1757. p. 31.

Salus a laudano, ante horrorem exhibito.]

9. *Tertiana ſcorbutica Ettmüller* de febrib. pag. 194. B. *Timaei* caſ. 15. lib. 8; *Tertiana Danica* Bartholini; *Erratica* Auctorum. *Eugalen.* n. g. 8. *Lind.* p. 177. P.

Cognoſcitur 1° ex anomalia; periodi eius mire variant, nunc anticipando, nunc retardando: 2° Contumaciſſima eſt, et, niſi fuerit ſublatus fomes ſcorbuticus, vel ſepties recidiuat; 3° Dolores lancinantes, aut in frigore aut in calore, iisque vagi, adſunt; 4° Arenulae rubrae, ſed friabiles parietibus matulae adhaerent; 5° vel haeret in vrinis craſſum, copioſum, quaſi ſurfuraceum ſedimentum, ſubrubicundo ſanguineo colore non nihil tinctum.

Curatur itaque antiſcorbuticis remediis, vt iuſculis amaris, dein ad kinkinam deueniendum, praemiſſis lenibus catharticis. In hoc caſu laudantur abſinthium, marrubium, carduus benedictus, centaurium minus, tormentilla, tertianaria, vlmaria, taraxacum, fumaria, naſturtium aquaticum, ſedum minus, cet. Vide *Ettmüllerum* p. 198.

10. *Tertiana Carotica Werlhof.* obſeru. de febrib. *Ramazzini* Conſt. Epid. p. 228; *Apoplectica Mortoni* cap. 9. hiſt. 25; *Febris lethargica Torti* l. 3. P.

Eſt ea ſpecies, de qua integrum et eximium tractatum ſcripſit *Werlhofius*, quae quinta die, id eſt tertio acceſſu, aegrum in carum vel apoplexiam ſaepius letalem coniicit; cuius ſigna dedimus in tritaeophya apoplectica, curam vero trademus, dum de *Caro febrili* agemus. Vide *Morton* pyretol. pag. 99. *de Tertiana apoplectica*, quam, vt *Werlhofius*, kinkina impugnat.

Tertiana carotica duplex viſa eſt a *Riuerio*, obſ. 2. pag. 79. Diuerſae ſpeciei videtur, ac prior. Vide obſ. *Carol. Piſonis* de febrib. pag. 468. Difficillimum eſt quandoque, tritaeophyam

duplicem ſoporoſam cum tertiana duplici ſoporoſa non confundere.

11. *Tertiana a ſcabie Juncker.* tab. 79. p. 249. Fr. *Hoffmanni* II. 12. de *Hauteſierck* obſ. T. 2. p. 300. Comm. Lipſ. XIX. 297. E. N. O. dec. I. a. 4. *Welſch* obſ. 15. P.

Ea eſt, quae ſcabiem repulſam ſequitur, quaeque reſumpta ſcabie ſanatur. Datur etiam quartana ab eodem principio. *Nenter. de quartana.*

12. *Tertiana accidentalis.* Vide *Sydenham* cap. 5. pag. 53. P.

Ea eſt, quae a leui aliqua offenſa in ſex praeſidiorum ſanitatis vſu oritur, vt a cibo, potu, aëre, cet. Illae febres ſtatum quemdam, ſeu fixum habitum, non nanciſcuntur, et illis correpti ſaepe ſubito conualeſcunt.

Tertianae duplices diſtinguuntur a quotidiana et a quartana triplici, ex eo, quod acceſſus ſibi mutuo quoad horam, modum, durationem, exitum, ſymptomata propria non ſingulis, ſed alternis diebus reſpondeant, ita vt primus tertio, ſecundus quarto, cet. ſimilis ſit. Differunt a tritaeophya et amphimerina per plenariam intermiſſionem et apyrexiam, quae non ſolum ex pulſu ſano ſimili, ſed potiſſimum ex eo, quod aeger e lecto ſurgat, ſuasque vires reſtitutas ferme ſentiat, quod in remittentibus non accidit: ſi tamen breuis aut obſcura ſit apyrexia, curantur vt remittentes. Triplices et quadruplices tertianae *Primeroſii*, ſi dentur, a remittentibus non differunt, excepta triplici tertiana *Brendelii.*

13. *Tertiana duplex* Sennerti, *Riuer.* Cent. III. Obſ. 10. 11. Cent. IV. Obſ. 77. A. P.

Ea eſt, quae omnium familiariſſima eſt, quaeque a multis pro quotidiana habetur, verum paroxyſmis alternis aequalibus agnoſcitur. Differt a complicatis ſequentibus, quod nullum graue, vel conſtans, ſymptoma ſecum afferat, praeter horrorem cum nauſea, tremore, cephalalgia, ſiti, quem ſequitur calor, deinde ſudor, vt omnibus febribus ſolemne eſt.

14. *Tertiana duplicata* Piens, *Riuerii* Cent. IV. obſ. 16; *Amat. Luſitan.* cent. 1. p. 6. A. P.

Illa acceſſus binos habet alternis diebus, vt prima et tertia, nullum vero die ſecunda, quarta cet.

15. *Tertiana triplex* Brendelii, m. ſ. Illa eſt, quae prima,

tertiaque die duos, ſecunda et quarta vnicum acceſſum inducit, cet. *Schenckius* lib. 5. obſ. 12.

16. *Tertiana epileptica Bonet.* in Sepulchreto, tom. 3. pag. 161. A. P.

Ex *Caldera* ea quouis acceſſu conuulſiones cum ſenſuum feriatione inducit, vnde differt a ſpaſmodica, in qua ſenſus non obſcurantur. Puella decennis quauis die hora decima patiebatur acceſſum febris, ſimulque epilepſiae, a quibus liberata fuit per remedia generalia, vt videre eſt loco citato.

17. *Tertiana ſyphilitica* D. *Deidier* obſ. 4. de morb. venereis; Cardani cet. P.

Ea eſt, quae ita a viru ſyphilitico fouetur, vt hydrargyroſi, aut aquila alba, ſimilibusue medicaminibus tantum ſanetur, vti quartana ſyphilitica, *D. Monro* Eſſais d'Edinbourg.

D. Deidier litu mercuriali vtebatur, et tertio litu ſanabatur febris. *Monro* aquila alba ſingulis diebus repetita ad grana ſex ptyaliſmi gratia hanc aggrediebatur.

18. *Tertiana verminoſa Stiſſeri* in Act. Helmſtad. A. P.

Ea ſpecies ſymptomatis lumbricos in primis viis latentes deſignantibus ſtipatur, vt lumbricorum reiectione, acidis vomitionibus, cet. verum quas vidi remittentes, fuere ſpecies non intermittentes.

19. *Tertiana ſubcontinua Torti* de febrib. pag. 131: *ſubcontinua malignans* eiusd. Hiſtor. pag. 199. ad *tritaeophyam* recto pertinet. A. P.

Ea incipit vt tertiana, ſcilicet habet initio acceſſiones diſtinctas, ſed eſt ex pernicioſarum numero, atque ab aliis diſtinguitur ex ſucceſſiua periodorum obſcuratione, et paulatim adquiſita continuitate; illi non raro adiunguntur quaedam ex ſymptomatis, quae pernicioſas deſignant, vt cardialgia, cholera, ſyncope cet. ſed in multo remiſſiori gradu; ea cum pauco, vel nullo, rigore ſolet inuadere, ſed potius cum ſenſu caloris; cum tertiana duplex eſt, ea primum acceſſum habet leuiorem, ſecundum grauiorem, et ſic progrediendo motum ſeruat grauiorem per dies pares; quod ſi ex duplici in ſimplicem ſtatim mutetur, non deſinit eſſe ſuſpecta, cum acceſſionem validam praecedit altera debilis. Praenoſcitur etiam illa tertianae in continuam mutatio, ſi intermiſſionis die mordax ad tactum calor percipiatur cum aliquali pulſus perturbatione, ſiti, linguae ſiccitate, quae omnia incendium vniuerſale iamiam

diſponi praemonſtrant: vrina quoque pauca ſimul et rubra vel crocea periculum continuitatis portendit. Signum etiam eſt gutturis quaedam inflammatio vlceroſa vel aphthoſa initio morbi cum dyſphagia apparens, nec non quoduis pernicioſum ſymptoma prioribus acceſſibus ſuperueniens, excepto tamen delirio, quod acceſſum in calore comitatur, quodque facile euaneſcit; ſecus ſi in febricula mitiori contingat, et ea declinante perſeueret.

Iam febris facta remittens pernicioſa facile cognoſcitur ex defectu apyrexiae; et quamuis ab origine intermittens fuerit non caret periculo, nam trahit ſecum quoddam ſaeuum ſymptoma, vt ceterae malignae ab initio remittentes vel continuae, potiſſimum vero parotides, delirium perpetuum, conuulſiones, anorexias, hydrophobias, ſeu cuiusuis potus auerſationes, et ſimilia.

Ea vero tertiana ſubcontinua, ſeu hemitritaeus, tam frequens eſt, vt *Mercatus* in plures ſpecies eam ſubdiuiſerit. Videri meretur hic auctor *de tertiana pernicioſa* tom. 2. p. 395.

20. *Tertiana hemiplegica Werlhof.* de febrib. A. P.

Monialis hac correpta alternis diebus patiebatur acceſſum; horum duo primi ſopore erant ſtipati cum reſolutione artuum vnius lateris, balbutie, oris in oppoſitum latus diſtorſione; ſumſit purgans in decocto kinkinae, paſſa eſt in tertio acceſſu tantum artuum formicationem, ſtuporem; finito quolibet acceſſu intra ſex, vel ſeptem horas, ea ſana omnino videbatur obſeruante. *D. Chaptal.*

21. *Tertiana miliaris.* Vide *miliarem* 9^am *Allion* de mil. §. 211. 106. per totum decurſum, aut initio et ad finem, in medio continua.

22. *Tertiana vrticata* D. *Planchon* Journ. de Med. Juill. 1765. p. 75. A. P.

In acceſſu erumpebant phlyctaenae vrticarum puncturis ſimiles, pruriginoſae; praemiſſis phlebotomiis, emetico et cathartico, kinkina morbum ſuſtulit.

23. *Tertiana lipyria* D. Comitis P. *de Valcarengho* Medic. Prof. Ticinenſis inclytiſſ. A.

Conſtat ex illius diſſertatione ad nos data anno 1765. vigere in Cremonenſi et Mantuano tractu endemicam tertianam, nunc ſimplicem, nunc duplicem, ceteris regionibus et Auctoribus vix cognitam, quae, licet initio vere intermittens ſit, ci ca tertiam quartamue acceſſionem remittens euadit, acceſſibus ſubintrantibus, et ſimul pernicioſiſſimae lipyriae formam induit, cui obuiam

eundum eſt ope kinkinae cum vino datae, etiam cum lipyriae ſymptomata ſe produnt, niſi mature funeſtam illam mutationem praeuerterit Medicus; quantum vero differat haec tertiana lipyria a tritaeophya lipyria docet vtriusque character genericus: in vtraque calor interiora vrit dum exteriora algent, aſt in tritaeophya febris eſt remittens ab initio ad finem, in tertiana vero aliquot primis diebus omnino intermittens, quod quidem in primis eius morbi deſcriptionibus, olim a Celebri Profeſſore editis, non ita clarum erat. Gratias itaque ipſi rependo, quod hanc ſpeciem tertianae cognoſcendam et curandam mihi humaniſſime praebuerit.

[24. *Tertiana cardialgica.* *Torti* L. 3. cap. 1.

25. *Tertiana cholerica.* *Torti* l. m. c.

26. *Tertiana dyſenterica.* *Torti* l. c. v. dyſenteriam 17.

27. *Tertiana diaphoretica.* *Torti* l. c.

28. *Tertiana bilioſa.* *Werlhof* de febr. p. 27. §. 8. *Grainger* pag. 10. 95. *Selle* p. 308. *Stoll.* R. M. T. 2. p. 51.

Saepe remittentes ſimulant, typum intermittentium adſumunt emetocatharſi, reſoluent cet.

Attendendum maxime, an legitima *Sauuag.* huc pertineat; aut, ſi mauis, vtrum in praxi clinica occurrens ſpecies ſimplex *Sauuageſii* ſit, an vere bilioſa: quod ſic interpreteris, vt admodum interſit, diſtinguas, vtrum ſaburra bilioſa emetocatharticis ſubducenda ſubſit, tamquam fons febris tertianae, an aliunde, ſpaſmis maxime, ad ſyſtema cholop. ſaburra congeſta, ſorteue abuſu ipſo emeticorum, aut draſticorum, enata, reſoluentibus, eccoproticis, obediens.

29. *Tertiana ſeptica.* Rec. period. T. 6. pag. 80.

β. Tertiana ſeptica duplicata. Rec. period. l. m. c.

30. *Tertiana choleſeptica.* *Selle* l. c. p. 311. ſq.

Auctumno accidens ſymptomatibus neruoſis periculoſis ſtipatur. Expulſis ſordibus ſalus a corticis largo cum alumine crudo vſu.

31. *Tertiana putrida verminoſa.* (ſ. ſepticothelmintica) Rec. period. Tom. 6. p. 64.

Nocuit mercurii vſus, indicati a ſaburra vermin.

32. *Tertiana plethorica*. *Pechlin*. II. obſ. 12. *Riuerii* C. I. obſ. 20. *Werlhoff* de febr. S. 3. §. 2. *Huxham* T. I. p. 33. *Senac* l. 3. c. 3. §. 2. *Madai* §. 103. *Tiſſot* §. 261. *Trnka* de int. p. 333. *Grant*. p. 133. ſq. *Selle* p. 308. *Stoll*. T. 3. p. 68.

33. *purulenta*.

a. *varioloſa*, *ſecundaria*.

b. a carie, v. g. dentis. *Petit* tr. des mal. chir. Tom. I. pag. 124.

34. *ſeroſa*.

a. *catarrheumatica*. Act. Suec. vol. XVI. p. 277. Comm. Lipſ. vol. VI. p. 220.
Paroxyſmi algore extremorum, artuum doloribus potiſſ. ſtipantur: initio tritaeophya.

b. *pituitoſa*. *Selle* med. clin. p. 313. *Sauv*. ſp. 7.
Conſtitutio melancholica: frigus mite diuque durans, aut vehemens, conuulſiuum: emeſis pituitoſa, viſcoſa, ineunte frigore.

[α. *aſthmatica*. *Boneti* merc. compit. p.
Acceſſus orthopnoea ſtipatur in aſthmaticis.

35. *exanthematica*, quam quum plerique continuam putent, maxima attentione digna, et ideo, quod horror, aliaque intermittentis nocitura adſint, maiorem attentionem mereri poteſt, quam continua.

a. *varioloſa*, potiſſ. ſecundaria. v. ſp. 33. *Roederer* de morb. var. ſat. *Morb. Vratiſl*. a. 1702. p. 6. *Huxham* T. 3. p. 29. de *Haën* T. 2. c. 4. p. 90. ſq. *Tiſſot* ep. ad *Haller*. p. 122. *Schroeder* d. de variol. inſit. h. II. p. 8. *maligna Sarcone*. m. epid. T. I. §. 243.

b. *peſtilens*. P. *Salius* Diuerſus de febri peſt.

c. *petechialis*. M. *Donat*. L. 3. c. 14. *Lautter* hiſt. med. c. 2. cap. 10. *Strack* de m. c. pet. c. 8. pag. 104. ſq. pag. 247.

d. *miliaris* vid. ſp. 21.

e. *ſcarlatinoſa*. *Morton* pyretol. pag. 33. 97. ſq.

f. *urticata*. Journ. de med. Juill. 1765. p. 75. *Cleghorn* morb. min. p. 157.]

XI. QVARTANA, Graecis *Tetartaïos*; *febris quartana* Auctorum; *fiévre quarte*, ou *quartaine*. Aegri *Quartanarii*. Tertiana *vulgi*.

Genus eſt febris intermittentis, cuius acceſſus ſimiles quarta quauis die reuertuntur, vel ſeries acceſſuum febrilium, quarta quauis die ſimilium.

1. *Quartana legitima* Sydenhami, febr. intermittent. pag. 50. L. P.

Ea eſt, quae auctumni ſuboles eſt, quae ſimplex, ſeu ſecundam et tertiam diem liberam ab acceſſu relinquit, quae contumax, niſi prius aeger eam diu expertus fuerit, cum enim ſecunda vice aggreditur, vtplurimum poſt aliquot acceſſus ſponte ſua ſoluitur, ſi fides *Sydenhamo*.

Hora inuaſionis eſt circiter quarta pomeridiana, frigus non ita vehemens, ac in tertiana, ſed magis diuturnum, ad horas duas extenſum, ſine vomitione ac deiectione alui; calor horas 5 vel 6 attingit cum grauitate capitis, et terminatur ſine euacuatione ſenſibili.

Huic obnoxii ſunt raro infantes ac pueri, ſaepius annoſi, melancholici. In omni quartanario flexis eius genubus explorandum eſt abdomen et videndum, num lien tumeat, quod alteram ſpeciem conſtituit non infrequentem. Quo aegri ſunt magis famelici et fami ſatisfaciunt, quo magis ad frigidam tempeſtatem accedit morbus, eo ſanatu difficilior eſt.

Curatio exigit phlebotomiam in acceſſu, niſi plures iam febris acceſſus expertus aeger ſit debilis, aut ſenex. Cathartica die ſequenti praeſcribenda, et, ſi nihil obſtat, emeticum admiſcendum eſt; poſt alterum acceſſum iterum purgandum eſt, atque diebus vacuis iuſculum vel apozema amarum exhibendum, vt fluiditas ſanguini concilietur: his apozematis aperientia martialia etiam addantur, maxime ſi febris pluries recidivas paſſa ſit: ſuperatis tribus vel quatuor acceſſibus, ope kinkinae, chamaemeli, caſcarillae, quarta quaque hora ſumptarum, acceſſus ſupprimendi ſunt; et cum ſummum frigus adeſt in inuaſione, aeger ſenex eſt, vel pituitoſus, kinkinae addantur guttae aliquot elixirii proprietatis vel grana pauca ſalis ammoniaci, vel theriacae recentis: ſuppreſſis acceſſibus non, niſi per gradus, intra quindecim dies eſt dimittendus kinkinae et aperientium vſus.

Si morbus pertinax fuerit, capite doleat aeger, vena pedis initio tundenda; ſi viſcoſa ſaburra ſit in ventriculo, aquae Bellilucanae per tres dies a febri vacuas ſunt ad libras ſex epotandae quauis die intra trihorium; ſic expurgatis primis viis ad aperientia amara et febriſuga recurrendum eſt.

Aeger die acceſſus vtatur iuſculis, et potu calido, diebus vero a febre vacuis, exceptis primis morbi diebus, offis, pane et vino; frigus caute vitet.

2. *Quartana ſplenetica Sennert.* de febrib. C. P.

Ea eſt, quae a lienis ſaepiſſime, aliorumue viſcerum abdominis, obſtructione, aut ſcirrho, fouetur, omnium contumaciſſima, facile recidiua, maxime ſi auctumno incipiat; ea enim hieme vix ſanatur, et ad veris acceſſum perſeuerat, ſaepe ſupreſſa maturius, antequam per aperientia martialia obſtructiones reſeratae ſint, phlegmaſiam inducit, inde aſcitem; facies eſt lurida; moeror, macies, accedunt.

Ea itaque cautela adhibenda eſt, vt probe expurgentur primae viae per cathartica, aut aquas Bellilucanas; dein ſingulis diebus apozemata amara, ſtomachica, aperientia, adhibeantur, quae fiunt ex foliis cichorii, abſinthii, ſummitatibus centaurii minoris, radicibus enulae, rhei contuſi, additis limaturae ferri dragmis duabus, caſcarillae ſcrupulo, ſyrupo de quinque radicibus, aut ipſis radicibus bruſci, aſparagi, quod praeſtat. Quibus apozematis aut iuſculis finitis, iterum purgatio repetatur, aut kinkina purgans cum rheo, ſenna, agarico adhibeatur, vel kinkina tantum ad dragmam vnam quarta quauis hora conſtanter extra acceſſum repetatur, nec omnino per ſemimenſem dimittatur ex quo ſuppreſſa fuerit quartana, imo deinde opiatae martiales cum rheo et caſcarilla diu vſurpentur. Semel vero inceptus kinkinae vſus, nec per cathartica, nec per diluentia multa, interturbetur, inde enim febris recurrere conſueuit, nec, niſi elapſo menſe, ad catharſin deueniendum eſt, quod de tertianis etiam dictum ſit.

3. *Quartana duplex Sennerti.* P.

Ea eſt, in qua datur acceſſus prima, ſecunda, quarta et quinta die, nullus tertia, acceſſus vero primus tertio, ſecundus quarto reſpondet.

4. *Quartana duplicata Boneti* Polyath. de febrib. P.

Eſt ea, quae quarto quoque die duos acceſſus importat, nullos vero ſecunda et tertia; ſi vero altera ex his ſeriebus anti-

cipet, vel retardet, tunc in prima periodo tertia die recurret acceſſus ſolitarius, alter quarta, ſiunt combinationes mere curioſae a *Primeroſio* enarratae, quas Auctores vocant quartanam tertianae aut quartanam quotidianae complicatam; et quoniam defectu attentionis non praeſagiri poſſunt, aut reapſe turbantur illi typi, has ſpecies erraticis accenſent plures Auctores: nulla vero intermittens typum certiorem ſequitur, quam ipſa quartana. Curantur vero illae ſpecies eodem modo, quo tertianae.

5. *Quartana triplex Bonet.* Sepulchret. *Schenck.* lib. 5. obſeruat. 11. A. P.

Eſt ea, quae quotidianae inſtar ſingulis diebus acceſſum ducit, aſt primus quarto, ſecundus quinto, tertiusque ſexto reſpondent. Eodem modo curatur, quo tertiana duplex et quotidiana. Quarta vero ſextuplex *Capiuaccii* ab amphimerina duplici non eſt diſtinguenda, cum interualla nulla dentur lucida et laſſitudo ſumma inter vtrumque acceſſum ſuperſtes euincat, non veram eſſe apyrexiam. Quartanae vero duplices et triplices hypochondriaſi ſtipari conſueuerunt. Vide *Schenckium*, qui ex tribus quartanis duas facile ſuſtulit; tertia ad ver ſubſequens permanſit.

6. *Quartana ſyphilitica Alex Monro*, Eſſ. d'Edinbourg, tom. VI. artic. 47. obſ. 9. *Ballon.* Epid. l. 2. p. 131. *Fabre* in *Richteri* Bibl. T. V. p. 327. *Deidier* obſ. 4. P.

Eſt ea ſpecies, quae a viru ſyphilitico fouetur, nec ſanari poteſt, niſi mercurialibus, aut aliis ſyphilidis antidotis. Iſtam, ope mercurii dulcis quotidie repetiti ad ptyaliſmum vſque, ſanauit *Monro*, ſimul et ſyphilidem doloribus nocturnis, et vlcere faucium ſtipatam. Doſis mercurii dulcis grana quinque.

7. *Quartana cataleptica Boneti* Polyath. P.

Anno 1727 dum noſocomii Aleſienſis aegros curabam, obſeruaui ſenem militem, quartana laborantem, qui diebus a febri vacuis ſtupidus et amens erat; die vero febrilis acceſſus catalepticus erat, ſed imperfecte; iacebat quidem immobilis, et omni ſenſu, motuque orbatus, excepto pulſu, et reſpiratione, tardis et obſcuris, ſed non omnes artus poſituram inditam retinebant, quod ſolum in brachiis obſeruabam; imo ſuſpenſum brachium ſenſim tandem delabebatur. Emetici ope a duobus primis acceſſibus euaſit: aſt tertio noctu accedente obiit. Catalepſin quartanae combinatam narrant *Bonetus*, *Montaltus* cet.

8. *Quartana epileptica Moroni* director. *Scholtzii* Conſil. 380 et 379. P.

9. *Quartana Nephralgica Lemeri* Journ. des Sav.

Apparebat ſub ſpecie vomitus vrinoſi et nephrálgiae, quarta quauis die recurrentium.

10. *Quartana hyſterica Morton.* Pyretolog. cap. 9. hiſtor. 10. p. 82. P.

Eſt ea ſpecies quartanae, quae male curata abit in continuam cum ſyncope, aegritudine, ſudore colliquatiuo, ſputatione, iactatione, inquietudine, inappetentia, ſuffocatione hyſterica, cet. Fruſtra tentatis anthyſtericis, narcoticis, cordialibus, neceſſe fuit, repetitis leuibus purgantibus quartanam reuocare, quo facto ope kinkinae tota aegritudo ſublata eſt, quod non ſine recidiua acceſſuum euenit.

11. *Quartana arthritica Musgraue* de arthritide regul. cap. 9. hiſtor. 4ª, et 5ª. C. P.

Eſt ſpecies, quae in arthritidem mutata eſt, vt probant duae hiſtoriae, a *Mortono* enarratae. Vide *Eberhard Diſſert. Halae* 1761: haec periculi plena eſt.

12. *Quartana amens Sydenham.* de febrib. intermittent. p. 60.

Eſt peculiaris mania, ait *Sydenham*, intermittentes diuturniores, potiſſimum quartanam, excipiens, quae communem medicationem aſpernatur, et poſt euacuationes fortiores adhibitas in miſeram ſtultitiam degenerans, non, niſi cum aegrorum vita terminatur, miratusque ſaepe ſum nullam huius rei mentionem ab Auctoribus factum fuiſſe, cum non raro accidiſſe viderim; cum reliquae ſpecies amentiae copioſis euacuationibus et venae ſectione et catharſi vtplurimum perſanentur, haec neutram poteſt ferre, imo ab ipſis vires adquirit. De huius curatione, vide *Amentiam febrilem.*

13. *Quartana infantum Sydenhami* pag. 50. de febribus intermittent. P. L.

Saepe non ſine ſtupore ſum intuitus, ait *Sydenham*, infantes tenellos cum quartana per totos menſes ſex commiſſos, nec oppreſſos tamen, ſed de eo, Herculis inſtar pueri, in cunis triumphantes, cum annoſi et adulti aliquando ex ea moriantur, aut in morbos letales, vt aſcitem, deducantur.

14. *Quartana ſcorbutica* C. Piſonis, *Balth. Timaei* caſ. 18. Bartholini de medic. Danorum. P.

Commendatur potio ex ſeminibus heliotropii et hyperici in aqua cardui benedicti, vel ſambuci.

15. *Quartana comatoſa Carol. Piſon.* obſ. 163, 164, 165, de morbis a colluuie ſeroſa, pag. 447, in quibus tamen obſeruationibus non ita liquet, an agatur de tetartophya, an de quartana? et in obſeru. 164, quartana erat typhomaniaca, ſeu comate vigili ſtipata in quouis acceſſu; chronicus eſt morbus et ſaepe letalis.

16. *Quartana triplicata.* P.

Eſt ſpecies, quae prima die tres acceſſus, totidem quarta, totidem ſeptima, decima, cet., nullum intermediis diebus adducit, acceſſibus inuicem diſſimilibus, ita, vt acceſſus primus primae diei acceſſui primo dierum ſequentium, ſecundus ſecundo cet., reſpondeat.

D. Feou D. M. M. hanc ſpeciem per ſex menſes paſſus ſanatus eſt ſumpta opiata ſequenti in ſex bolos diuiſa.

Recipe: Kinkinae pulueratae, dragmas duodecim, ſalis abſinthii, ammoniaci, et tamariſci, ana dragmas duas, cum ſ. q. ſyrupi de capillis veneris: ſumat bolum mane, alterum veſpere.

Curatio quartanae ex Hecqueto. Adulto quartanario initio ſanguis mittatur ſemel vel bis; ſequenti die ſumat vini emetici et ſyrupi de althaea ana vnciam vnam in aquae cyatho.

Reiecto emetico, ſequenti hora ſumat ſalis Epſonienſis dragmas ſex vel octo, et ſyrupi de pomis compoſiti vnc. vnam; quolibet veſpere, diebus a febre vacuis, et iſto, ſumat aeger theriacae ſcrupulum; poſt 2um vel 3um acceſſum ſumat quater in die kinae pulueratae dragmam ſemiſſem ex pauxillo de roſis ſiccis, deuorata prius offa, vel hauſto aquae ſaccharatae cyatho; repetantur ea per ſeptem vel octo dies, quibus elapſis lenis catharſis inſtituatur, ſumat v. g. ſalis Epſonienſis dragmas ſex, mannae vnciam in infuſo dragmae vnius kinae, et vnius ſennae mundatae. Si opus ſit ob calorem, iterabitur phlebotomia ſub vſu kinae; ſi noctes inſomnes ſint, pilularum de cynogloſſo grana IV cum kina veſpere exhibeantur. Pergat aeger in vſu kinae 12 vel 15 dies, et ſopita febre iterum ſumat kinam per dies quindecim. Si reuertatur acceſſus, iterata phlebotomia iteretur vſus kinae addita

theriacae ſemidragma bolo matutino et veſpertino. Pro pueris infunde kinae ſemiunciam per diem in vini albi libra I, adde ſyrupi de tunica vnc. I, aquae cinnamoni hordeati dragmas tres, ſumat cochlear vnum, aut duo, omni bihorio.

17. *Quartana metaſtatica.* P.

Adoleſcens a duobus annis in inſula Minorca, dein Monſpelii, erat quartanae obnoxius, quae accedente ophthalmia euaneſcebat, hac euaneſcente redibat, quod toties iteratum eſt, vt de metaſtaſi nil ſupereſſet dubii.

[18. *Quartana putrida.* Rec. period. T. 6. p. 80.

19. *Quartana plethorica. Foreſt.* l. 3. obſ. 32. ſchol. *P. Alpin.* l. 7. c. 2. l. 6. c. 13. §. 3. *Riuerii* c. 4. *de Haën* XI. §. 6. *Madai* §. 203. *Morgagni* de ſed. XXI. 43. *Truka* de int. vol. I. p. 529. 329. Epiſtaxis, catamenia, abortus, haemorrhoides, critica; methodus antiphlogiſtica ſalubris.

„Quartanus, inquit *Stoll.* rat. med. T. 4. p. 63. non oportet vrgere nimium, ne in remittentes, mortem, conuertantur.

20. *Quartana ſcabioſa. Nenter* de quart. *Coliny* §. 91. *Th. Bartholin.* c. 4. h. 35.]

XII. ERRATICA; *Fièvre Erratique.*

Genus eſt febris, quae acceſſus ſimiles, ab inuicem magis diſtantes, obtinet, quam quartana, nec proinde ad priora genera reuocari poteſt.

Si erraticas vocarem, quae typum obſcurum habent, aut nullum ordinem ſequuntur, nullum genus eſſet, quod ad erraticam ſaepius non pertineret, excepta quartana; ſed vt quintanas, ſextanas, aliasque vno genere comprehendam, eas tamquam erraticae ſpecies habeo. Genus autem ita rarum eſt, vt nullas eius ſpecies *Galenus* obſeruauerit.

1. *Erratica quintana* Tulpii; *Auicennae* canon. l. 4. fen. I. L. P.

Tulpius ſimplicem, *Chriſtophor. Ebelius* duplicem quintanam memorat. *Hippocrates* peiorem eam cenſet, quam ſeptanam, octanam cet. ac cum tabe coniunctam vidit *Foreſtus* obſeru. 43 lib. 3. Scholio.

2. *Erratica ſeptana* Ettmülleri; *Hebdomadaria Schenckii* p. 826. L. P.

Eam longam, ſed non letalem dicit *Hippocrates.* Sextanam memorant Auctores; neminem tamen, qui eam obſeruauerit, inuenio.

3. *Erratica octana Amati Luſitani* pag. 765. *Salii* c. 12. *Octomana F. Falleſii* Controu. lib. 5. P.

Hanc in Judaeo per totam hiemem durantem obſeruauit *Amatus* et ſanauit; horror horam vnam, calor quindecim perſeuerat; quouis mane ſabbati adoriebatur ante lucem. Sponte ſanatam vidit *Zacutus.*

4. *Erratica nonana Zacuti Luſitani* obſ. 34. lib. 3. P.

Nouit quinquagenarium, qui biennio nonana febri laborans vſu ſtibii et apertis, hirudinum ope, mariſcis conualuit.

5. *Erratica decimana Zacuti,* prax. obſ. 34. lib. 3. P.

Decimanam notauit in ſexagenario qui duobus annis hoc typo vexatus, vacuata ſaepius pituita et vaſis aperientium ope reſeratis, conualuit.

6. *Erratica vaga* Ettmülleri, *Riuer.* obſeru. 32. centur. 3. P.

Febris intermittens ſine typo cum hypochondriaſi; illa nunc poſt decem, alias poſt duodecim, aut quindecim, dies recurrebat. Incipiebat a leui horrore, calor ingens ſequebatur, cum atrocibus crurum doloribus; acceſſus 15^im^, 20^i^, 24^or^ horas perdurabat, et copioſo vrinae vel ſudoris effluxu ſedabatur; per triennium morbus perſeuerabat. Huius curam vide apud *Riuerium* loco citato.

7. *Erratica verminoſa. Beireis* d. de febri verm. §. 14.

Therapeia Febrium Cluttoniana. J. Cluttonus Medicus Anglus anno 1751 nouam, tutamque, vt ait, methodum ad curandas febres tum continuas, tum remittentes edidit, quae in vſu ſequentis iulapii conſiſtit, quem *febrifugum* vocat.

Recipe olei, ſeu ſpiritus, concentrati ſulphuris, vitrioli et ſalis, ana partes aequales; ſpiritus vini rectificati triplum horum omnium, digere per menſem ad ſiccitatem, deſtilla: huius ſpiritus libris duabus adde radicum angelicae, ſerpentariae virginianae, ſeminum cardomomi, ana dragmas ſex; fiat tinctura.

Huius tincturae tantum aquae purae inſtilletur, quantum ad gratam aciditatem conciliandam requiritur, iulepusque reſul-

tans ſaccharo ad guſtum aegri edulcoretur, illique ſitienti quantum deſiderat (circiter ſex librae intra 24 horas) ad bibendum exhibeatur; his adſumptis aeger vtplurimum in ſudorem incidit, vrinae excretionis indicia dat, et febris plane ceſſat vel remittit. Si vero intra diem non penitus ſublata ſit, per alteram diem eodem remedio, ſed minori doſi, vtendum eſt, qua methodo millenos ſe ſanaſſe profitetur Auctor.

Si quinque morbi dies effluxerint, bezoarticum minerale ſexta quauis hora huic iulepo ad grana viginti addendum eſt, quo ſecretiones omnes promouentur: ſi vero pulſus plenus ſit, huius loco tartari vitriolati ſcrupulus quater in die eſt ſubſtituendus, vt aeſtus magis temperetur. Si Medicus nono tantum die morbi ſit arceſſitus, aut ſi initio nauſea adfuerit, ab emetico antimoniali ordiendum eſt; cum vero iulepus febrifugus inflammationi generali tantum medeatur, huic varia remedia addenda ſunt pro diuerſis ſymptomatibus.

Si diarrhoea, ſudor, haemorrhagia vexent aegrum, flores roſarum, radix tormentillae, decoctum cornu cerui vſti, iulepo ſunt addenda; ſi haec non ſufficiant, ex balſami Locatelli dragma ſemiſſe, corallorum gr. XII. opii gr. I. diacodii quantum ſatis fiat bolus.

Si pulmo inflammatus ſit, cum iulepo nitrum et pectoralia coniungenda; ſi febris ad intermiſſionem inclinet, quod vrina lateritia, frequens nauſea indicat, dragma dimidia ſalis abſinthii, in vncia vna ſucci citri detur.

Si lingua nigra, ſicca, tremores, ſubſultus tendinum, ſtupor, animi deiectio, ſuſpiria, pulſus celer, debilis, tremulus, inaequalis, vrina pallida, cruda, nulla, aut parua, ſitis, tunc febris eſt putrida, aut maligna. *Cluttonus* omnia emollientia et fibras laxantia, nec non ſalia neutra, cane peius et angue fugit et cardiacis inſiſtit.

Ad ſaburram in his febribus quater aut quinquies, purgantia adhibet; aſt in ipſis acutis inflammatoriis phlebotomiam inutilem cenſet.

Therapeia Febrium Lobbiana. Theophil. Lobb. Med. Anglus an. 1732 in libro, cui titulus, *tractatus practicus de cura Febrium*, docet, ſe ſanaſſe febres cuiusuis generis, ſine phlebotomia, catharticis, emeticis, et ſine kinkina. Sine phlebotomia ipſos

morbos inflammatorios, vt pleuritidem; ſine catharticis ipſas ſynochos putridas; ſine kinkina ipſas tum remittentes, tum intermittentes.

Omnes febres ab acrimonia ſingulari in quoque genere diuerſa foueri putat, hanc vero acrimoniam a quibusdam ſalibus ſpecifice corrigi. Calefacientia, refrigerantibus maritata, debitam temperaturam ſanguinis in febribus ſeruant; in ardentibus maior doſis refrigerantium eſt addenda calefacientibus: ſi vires pulſus langueant, calefacientia puriora, vel maiori doſi conueniunt; acida et nitroſa refrigerant, diluunt, calorem temperant, ſanguini fluxilitatem conciliant, corrigunt acrimoniam alkalinam diſſoluentem, quae ſynochos et typhos excitat. Alkalina, vt ſal tartari, abſinthii, ſal cornu cerui, corrigunt acrimoniam acidam, cui infantes ſunt obnoxii.

Neutra, ex acidis et alkalinis mixtis, vt antiemeticum Riuerii, corrigunt acrimoniam ſpecialem quae vomitum et febres intermittentes creat.

Febres a ſpiſſitudine productae ſunt intermittentes, remittentes, morbi inflammatorii, exanthematici.

Febres a diſſolutione ortae ſunt typhi, ſynochi, hectica. Febres vero mixtae, quartana, quotidiana, pleuritis putrida.

Is vero Auctor ab anno 1711 ad annum 1732 ſe cum magno ſucceſſu praxin Londini exercuiſſe teſtatur.

Therapeia Febrium Syluiana. Jac. Syluius cum ſchola *Bontekoei* omnium febrium eſſentiam in ſanguinis coagulatione reperiit, vnde phlebotomiam et refrigerantia omnia proſcripſit; et cum exiſtimaret pulſum celerem eſſe ſignum tarditatis circulationis, is ſtabiliuit attenuantia, diſſoluentiaque eſſe ſola, quae in omnibus febribus quouis tempore indicantur remedia. Calidum itaque regimen in ipſis ardentibus et inflammatoriis, remediaque ſudorifica cardiaca ad venenum quoddam coagulans expellendum praeſcribenda cenſuit.

Talem theoriam et therapeiam ſecuti ſunt *Helmontius*, *Screta*, Carteſianique Medici, quam *Sydenham*, *Harris*, *Hoffmannus* maxime damnarunt.

Therapeia Febrium Sydenhamia et vulgaris. Hippocrates Anglus, *Thom. Sydenham* exiſtimat, febres eſſe conatus naturae ad expurgandas materies noxias, quibus ſanguis inficitur; ipſum

calorem, ſi moderatus ſit, ad materiae morbificae coctionem, et correctionem prodeſſe; pulſus veloces, frequentes, ad illius maturationem et deinde coctae excretionem, facere; adeoque Medici munus eſſe, vt febris vehementiam, ſi excedat, per phlebotomias, diaetam diluentem, refrigerantem, aurae liberioris vſum temperet; vt materiae morbificae partem e primis viis per emetica et cathartica eliminet; deinde vero euacuationem criticam exſpectet, conatus naturae, ſi moderati ſint, non temere turbet; ſi vero debiliores ſint et languidi, quod iuuenibus rarum eſt, per calidius regimen, et cardiaca refocillet; atque his ſcopis attingendis remedia diaetetica, vegetabilia et ſimpliciſſima chemicis, mineralibusque anteponat.

In intermittentibus chronicis, praemiſſis generalibus, ipſum corticem Peruuianum adhibemus, acida cum *Syluio* non horreſcimus, nec cum *Lobbio* ſalia pro omnibus morbis curandis adhibemus.

Pro intermittentibus et remittentibus praemiſſis praemittendis,

Recipe kinkinae partes octo, florum chamaemeli partes tres, extracti centaurii minoris et iuniperi, ana, partem vnam, nitri, partem vnam et ſemiſſem, ſyrupi de limonibus, q. ſ. fiat opiata, doſis dragma vna vel duae.

Si maligna ſit febris, adde contrayeruae partem vnam et ſemiſſem, camphorae grana aliquot; creſcente calore, delirio, auge doſin nitri; creſcente peruigilio, adde diaſcordium.

Therapeia Hecquetiana. Ex innocua quartana quandoque periculoſus naſcitur hemitritaeus, quia ipſa ſolida excandeſcunt, tunc inutile eſt kina, confugiendum ad phlebotomias iteratas, diluentia aquea affatim propinanda, vt decoctum ex radicibus nymphaeae, fragariae, hordei, glycyrrhizae pro potu: idemtidem ſumat aeger paruas doſes pulueris facti ex duabus oculorum cancrorum et vna nitri partibus, ſuperaffuſo ſucco citrorum. Veſpere quouis ex ſeminibus frigidis et aqua hordei fiant emulſiones, quibus addatur ſyrupus de nymphaea et papauere ad ſemiunciam pro duabus doſibus.

Deferueſcente febri, dentur apozemata ex foliis cichorii ſylueſtris, et kinae pauxillo; hauriat cyathum ſexies in die, additis ſyrupi de diacodio duabus vel tribus dragmis, ſi doleat aeger, et noctes anxias ducat.

Quo acceſſus frequentiores ſunt, vt in duplici tertiana, tripliciue quartana, eo feruor maior eſt, eo magis eſt temperandus ante kinae vſum. Hoc praeſtant phlebotomiae, apozemata ex cichorio, nitro, abſorbentia terrea, quae kinae actionem moderantur.

Cum ad kinam deuentum eſt, ſi catharſi opus ſit, utendum eſt vncia vna vel vncia et ſemiſſe ſalis Epſonienſis, et vncia ſyrupi de pomis compoſiti in pinta decocti kinae pro quinque vel ſex doſibus. Veſpere huius catharſis, aeger ſumet vel diacodii vnciam vnam, vel opii granum vnum: alias vero expedit pintae decocti kinae addere ſyrupi de karabe ſemiunciam.

Opiata febrifuga fit ex vncia pulueris kinae, vncia ſyrupi papaueris rhoeados et ſufficienti quantitate conſeruae roſarum: doſis dragmae vnius vel duarum tertia, vel quarta, quauis hora. Caſcarilla etiam optime praeſtat a gr. VI ad X pro quauis doſi.

Quamdiu obſcurae ſunt remiſſiones, aut dubiae intermiſſiones in febre, ſingulis diebus reuertente, vel typi ambigui, aegritudo illa mali moris cenſetur et hemitritaeus eſt, in qua initio phlebotomia, deinde diluentia, cardiaca, diaphoretica leuiter ſedantia, potus calidus copioſus conueniunt, cauendo ab irritantibus, catharticis, emeticisue, aut ſudorificis nimis volatilibus. Vtatur potu ex decocto ſcorzonerae, cardui benedicti, ſcabioſae, papaueris rhoeados, cornu cerui ſine igne parati, antimonii diaphoretici, nitro, ſyrupo de tunica, de limonibus, diacodio, vſquequo febris typum ſuum induerit. *Hecquet. Medic. pauperum.*

Cura febrium ope laudani liquidi in infuſo centaurii minoris a *D. Berryat* laudata, conuenit tantum, vbi adeſt dolor hyſtericus, vel hypochondriacum quoddam ſymptoma, ſecus ſtuporem inducit, monente *D. Storck.*

Cura *Chriſt. Jacobi* mediante arſenico, multa aqua et ſpiritu vini edulcorato, ardorem in ſterno, tuſſim ſiccam, anorexiam, alopeciam, polydipſiam, et hecticam inducit, quae febri multo peiora ſunt.

Febricoſos morbos appello cum *Werlhofio*, illos, qui a viru febris intermittentis, vel remittentis, vel coniunctae, vel laten-

tis, fouentur, vt carus febricoſus, pleuritis febricoſa, typhomania febricoſa; morbi illi diriſſimi intermittunt, vel remittunt, more febris latentis et ſymptomata ſubito aegrum inuadunt; cedente febri recedunt cum vrinis lateritiis; hos primus cognouit *Ludovicus Mercatus*, fuſe explicauit *Torti*, nec non *Ill. Senac de abſcondita febrium natura;* illos vero tollit kinkina, magna doſi ante tertium acceſſum ingeſta; hoc autem incommodi enatum a tantâ doſi, quod ſcilicet vrinae craſſae, kinkina colore tinctae, difficulter eiiciantur, quodque aurigo etiam ſuperueniat; verum haec ſymptomata facile debellantur cum vita aegri in tuto eſt collocata.

Cetera febrifuga, a Neotericis laudata, ſunt primo puluis ex nitri gr. VIII. camphorae gr. III, qui ante acceſſum quarta quauis hora ſumendus, imminuenda doſis cum febris ſopita eſt. *Huxham* veronicam teucrii folio in tertianis etiam kinkinae loco adhibet; ſyrupi diacodii ſemi-vncia, aquae florum papaueris rhoeados vnciae duae, ſpiritus ſulphuris ſemi-dragma; Miſce, ſumat hora ante acceſſum. *Storckius*.

CLASSIS TERTIAE SYNOPSIS.

PHLEGMASIAE.

Syndromes pyrexiae cum inflammatione (interna), vel typhi, aut remittentis febris, cum exanthematibus.

ORDO I. [Phymata *ſolitarii tumores inflammatorii, quae auctor, adiunctis nonnullis aliis in cl. I. ord. III. recenſuit, ego autem in T. I. omiſi, ob rationes, ibidem d. Iam praepono phlegmaſiis, reliquis, quoniam bubones, parotides cet. peſti cet. iure praecedunt. cf. T. I. p. 136. ſq.*

I. Phlegmone. vide T. I. p. 136.
II. Bvbo.
III. Parotis.
IV. Fvrvncvlvs.
V. Anthrax.
VI. Paronychia.
VII. Phimosis.]

ORDO II. Exanthematicae. *Eruptio puſtuloſa, maculoſa, phlyctaenoſa, vel papuloſa cum pyrexia ſaepius maligna.*

VIII. Pestis, *Peſte*, eruptio bubonum, anthracum, pyrexia typhodes.

IX. Variola, *Petite-verole*, eruptio puſtularum phlegmonodearum.

X. Pemphigvs, *Fièvre véſiculaire*, eruptio phlyctaenarum auellanis ſimilium, aut maiorum in artubus.

XI. Rvbeola, *Rougeole*, eruptio papularum, praeludium catarrhoſum.

XII. Miliaris, *Miliaire*, eruptio phlyctaenarum, milii ſemine non maiorum.

XIII. Pvrpvra, *Pourpre*, eruptio maculoſa, atra, indolens cum typho, vel remittente febri.

XIV. Erysipelas, *Fièvre éryſipelateuſe*, eruptio erythematis cum ſynocha febre.

XV. Scarlatina, *Fiévre ſcarlatine*, eruptio maculoſa, rubra, pruriens, papuloſa.

XVI. Essera, *Porcelaine*, eruptio apyreta, ſuberyſipelatoſa, ſubito accedens per vices et recedens.

XVII. Aphtha, *Aphthe*, eruptio puſtuloſa, phlyctaenodes, et vlceroſa in ore, aut pudendis.

ORDO III. Membranaceae. *Pyrexia magna typo ſynochae, vel ſynochi cum dolore, calore.*

XVIII. Phrenitis, *Phrénéſie*, dolor capitis, delirium (audax,) vis artuum, pulſusque maior, pyrexia acuta.

XIX. Paraphrenesis, *Paraphrénéſie*, ſymptomata phrenitidis et peripneumoniae.

XX. Plevritis, *Pleuréſie*, dolor lateris, reſpiratio et pulſus frequens, tuſſis.

XXI. Gastritis, *Gaſtrite*, dolor epigaſtrii, nauſea, febris typhodes vel remittens maligna.

XXII. Enteritis, *Inflammation d'entrailles*, dolor circa umbilicum vehemens, cum meteoriſmo, pyrexia acuta, ileo, vel dyſenteria.

XXIII. Epiploitis, *Inflammation de l'omentum*, dolor circa hypogaſtrium, et vmbilicum iuxta epiploi extenſionem.

XXIV. Metritis, *Inflammation de matrice*, dolor et tumor in regione et extenſione vteri ac lumbis et inguinibus cum febri.

XXV. Cystitis, *Inflammation de veſſie*, dolor, tumor, tenſio hypogaſtrii cum dyſuria vel iſchuria.

ORDO IV. Parenchymatosae. *In viſceribus farctis, non cauis, non ſacciformibus.*

XXVI. Cephalitis, *Inflammation du cerveau*, febris acuta cum delirio ſomnolento et carphologia.

XXVII. Cynanche, *Eſquinancie*, dolor gutturis cum dyſpnoea ſtrangulante, dyſphagia et pyrexia acuta.

XXVIII. Carditis, dolor ſub-ſterno, pulſus inaequalis, frequens, palpitatio, et cardialgia, cordis anxietas.

XXIX. Peripnevmonia, *Peripneumonie*, pyrexia acuta, dyſpnoea grauis, ſenſus oppreſſionis grauatiuae in ſterno, tuſſis cruenta, pulſus mollis.

XXX. Hepatitis, *Hépatite*, dolor, tenſio, calor in regione hepatis cum pondere, tuſſi ſicca, reſpiratione difficili.

XXXI. Splenitis, *Inflammation de la rate*, dolor, tumor in regione lienis, tactum vix tolerans, cum febri remittente.

XXXII. Nephritis, *Néphrétique*, dolor acutus in regione renum iuxta vreteres, in veſicam directus, cum febri acuta, dyſuria, iſchuriaue, cet.

[Cf. Scriptores potiſſimum ſequentes:

Sauvageſii diſſ. ſur l'inflammation.

I. A. *Pujati* epiſt. ad filium, qua *Sauvag.* theoria de inflamm. cauſſa euertitur. cf. Raccolta d'opuſc. del P. *Colagera.* *

I. *Quarin* methodus medendarum inflammationum. Vind. 1773. 8. ed. 2. ib. 178. 8.

I. *Brambilla* v. d. Phlegmone und ihren Ausgängen. a. d. Italien. Wien 1774. 2 Th. 8. ed. 2. ib. 1788. 8.

Gattenhof d. exh. inflammationum fallacias. Heidelb. 1786. et in I. P. *Franck* delect. opuſc. med. Pauia. vol. 6. 1789.

A. *Ricker* d. pro Boerhaauiae doctrinae de inflammatione prae aliis hodie magis celebratis theoriis firmitate. Prag. 1776. in Coll. oper. min. med. de *Waſſerberg* Faſc. IV. p. 212.

I. A. *Roſenbach* d. de inflammationibus chronicis genuinis. Goett. 1790.

de cruſta pleuritica:

F. I. *Kraus.* d. de natura cruſtae inflammatoriae in ſanguine miſſo adparentis. Prag. 1773. in *Klinkoſch* coll. diſſ. Prag. p. 265.

Hewſon. op.]

* Taceo alios, qui *Sauvag.* theoriam inflamm. in ſcriptis ſuis impugnarunt.

CLASSIS III. THEORIA.

AEGRITVDINES INFLAMMATORIAE
SEV
PHLEGMASIAE GALENI.

1. Phlegmaſiae *Galeni* * *Gallis* Maladies inflammatoires, fiévres inflammatoires. Morbi acuti febriles, *Boerhaave*, ** qui febre ſtipati acuta, tamen ſingularem inflammationem inducunt huic illiue organo; vnde toti morbo imponitur nomen, vt phrenitis, peripneumonia, cet.; minime vero inter febres recenſebantur ab Antiquis, vt teſtatur *Galenus.* *** Inflammationes *L. Heiſteri,* **** vt phrenitis, pleuritis, cet: nec non inflammationes *G. Ludwig,* * qui his addit Hepatitidem, Nephritidem, Gaſtritidem, cet. Febres acutae inflammatoriae *Frid. Hoffmanni,* ** qui hos morbos vocat febres ſtomachicas, febres phreneticas, pneumonicas, hepaticas, nephriticas, et his intermiſcet hecticas. *Junckeri* Tab. 59. *Nenter.* Tab. 36. Dolores *Fel. Plateri,* qui ad hanc claſſem refert pleuritidem, peripneumoniam, hepatitidem, gaſtritidem, cet; et ad mentis alienationes refert phrenitidem, paraphrenitidem. Morbi phlogiſtici *b. Linnaei.*

Phlegmainein apud *Hippocratem* idem eſt, ac vri, incendi, ardere, inflammari, vnde *phlegmainonta noſemata* dicuntur aegritudines inflammatoriae, nec non *phlegmones* ſeu inflammationes, quo nomine Graeci quidam intellexere omnem ardorem circa tumorem, vt docet *Gorraeus in definitionibus.* Alii vero, vt Neoterici, *phlogoſin* eum ardorem nuncupant: quo vocabulo Graeci quidam ardorem, cum dolore et tumore coniunctum, ſignificabant, vt Eraſiſtrataei, cum *Hippocrates* voce compoſita hos affectus appellitaret *dura et dolorifica oedemata,* vt docet *Galenus.* ***

2. Etymologia itaque horum nominum a flammeo calore, ſeu moleſto ardoris ſenſu, deducitur; verum vix vlla in morbo-

* In aphoriſm. Hippocrat. aphor. 7. lib. 1.
** Aphoriſm. 770.
*** Commentario in aphoriſm. 66. lib. 4.
**** Compend. Med. pag. 116. cap. 7.
* Inſtitut. Medic. Clinicae c. 2.
** Med. Rat. Syſt. T. 2. ſect. 2.
*** Comment. in 1 et 2. Prognoſtic.

rum definitionibus habenda eſt etymi ratio, et Graeci ipſimet, licet a feruore *febres*, aut ab igne *pyreta*, denominarent, non ſecus ac morbos *phlegmainontes* ſeu *phlogiſticos*, numquam peripneumoniam, phrenitidem, hepatitidem, inter *febres* annumerarunt, vt docet *Galenus;* ſed febrium nomine morbos, a topica inflammatione immunes, determinauerunt, quibus Neoterici quidam peſtem, variolam, rubeolamque, appendicis inſtar, ſubiunxerunt.

3. Character; *febris acuta*, cum dolore, calore moleſto cuiusdam partis, et ſanguinis, in patellam extracti, cruſta coriacea. [Characterem inflammationum aegre dederis, maxime quum A. ſecuturus febres minus ad aegritudinis eſſentiam ducis, ac decere videtur, adeo, vt forte rectius tranſeas in eorum partes, qui febrium inflammatoriarum nomine phlegmaſias comprehenderunt. Dantur enim phlegmaſiae, doloris et caloris moleſti expertes, vt in peripneumonia anxietas ſit, ſi vel id ob veſaniam aegri ſaepe accidat, et corium pleuriticum et adeſſe, vbi phlegmaſia non ſubeſt, v. g. in grauidis cet. et abeſſe, vbi eſt, v. g. in ſepticis phlegmaſiis, frequens experientia comprobat. Non tantum ad loca continuo adfecta reſpici poſſe, quum ſaepe febres inflammationes vagae comitentur, quis negabit? Igitur mallem *phlegmaſiam* vocare *peracutam telae celluloſae palpitationem, vel nimis adauctam, vel nimis imminutam,* * *cum congeſtionibus ſanguinis tum vniuerſalibus, tum topicis.* Cuius characteris ſi memineris in ſequentibus, obſcura multa, arbitror, tibi explicabis.]

Febris acuta dicitur, quae intra duas circiter ſeptimanas ſua percurrit ſtadia cum mortis periculo.

Dolor inflammatae partis eſt vel pulſatilis, vt in externa phlegmone; vel punctorius, vt in eryſipelate, in membranarum plurium inflammatione; vel grauatiuus, vt in peripneumonia, hepatitide.

Calor eſt ſolito maior; vt adultorum ſanorum gradus caloris, axillarum, oris interni, circiter 28° therm. Reaum. durante vigore, comes, ad 5° circiter ſuperet.

* Telam celluloſam in cadaueribus phlegmaſiis denatorum reperi ampliorem et repletam, et tunicas, ob eamdem tumefactam, a phlegmaſiis manentes tumidas, et duriores, quam ſanae ſunt, eo conſpirare, attendas.

Corium ſanguinis eſt cruſta, cruorem tegens, ſubalba, [aut admixta,] aut commixta, quandoque luteo ſero tincta, cruore ſpecifice leuior, ſed firma, tenax, [certe tenacior lympha, aut chylo, pituita, admixtis et minus pellucida; rel.]

4. Praeter haec ſymptomata, quae in omni fere inflammatione obſeruantur, dantur alia, quae, vbi externas partes tentat inflammatio, poſſunt obſeruari, ſcilicet *tumor* phlegmonodeus, eryſipelatoſus, puſtuloſus, *anthrax*, *bubo*, * cet. *Rubedo* roſea, atra, liuida, in parte tumente, qui color accedente ſuppuratione abit in album. *Tenſio* partis inflammatae cum ſenſibilitate magna, et renixu elaſtico, quae creſcit cum morbo et dein mutatur in *mollitiem*, ſi tumor ſuppuretur; in *ſphaceloſam flacciditatem*, ſi gangraenaſcat; in *cruſtam*, ſi pus exſiccetur, vt in variola; in *ſquamas*, ſi epidermis decidat, vt in eryſipelate, rubeola, cet.

5. Ex ſymptomatibus illis primitiuis plurima alia vel ſubſequuntur tamquam deriuatiua, vt ex febri laſſitudo, ſitis, linguae ſiccitas, anorexia, vrinae color intenſus, ſudor; ex dolore agrypnia, anxietas, querelae; ex calore iterum ſitis, anxietas, venarum et cutis leuis intumeſcentia, glabrities; adde omnia ſymptomata febrium Claſſ. 2, a n° 6 ad 11.

6. In exitu morbi noua oriuntur ſymptomata, prout phlegmone terminatur reſolutione, ſuppuratione, induratione aut ſphacelo rel.; atque tunc temporis morbus alter ſuboritur, niſi ſanitas vel mors, accedant, atque ille morbus ad claſſes alias attinet, vt tabes, phthiſis, cet.

Inflammationum Theoria.

7. Hi morbi diuiduntur in *puros* et *impuros*, ſeu in *ſimplices* et *complicatos*. [In appendice operis, vbi noſologiam ſtricte dictam daturus ſum, fuſius oſtendam, quid de *inflammationibus genuinis* et *ſpuriis* dictis ſtatuendum ſit. Aliqua tamen hic praemoneam, oportet. Scilicet ſi tamquam *morbus* inflammatio conſideranda eſt, ſeu vbi eſſentia morbi inflammatorio ſtatu, plethoricoue continetur, inflammatio *genuina*, *vera* eſt: ſi eſſentia morbi alia diatheſi continetur, v. g. ſaburra, ſepſi, rel.

* Vides igitur Auct. nobis conſentientem, quod anthraces, bubones e prima claſſe ſuſtulerimus iam daturi.

ſpuria cognominatur. Atque, vt prior *ſimplex* etiam cognominatur: ita poſteriores *complicatae* dici poſſunt. *Hae* ſolent *occultarum* etiam nomine, quod ſaepe diſſimulentur, venire, *illae* rarius ſe abſcondunt, niſi quod medicorum et chirurgorum vulgus, qui demum ab inde a 20 annis ſaburram, ſepſin cet. agnoſcunt, has incipiant vbique quaerere, vt ante ſimplices inflammationes, vt has confundant cum ſepſi, ſaburra cet. id quod quotidie animaduertimus. *Illae* ſtipantur cruſta coriacia, *hae* ſaepe reſolutum cruorem oſtendunt, aut ſani non abſimilem, dum ſtagnans immotus permanet coactus ſanguis. *Illae* vtplurimum initio morbi ſe produnt, ſaltem doloribus, vagis aut fixis ſe adnuntiant; *hae* morbi augmento maxime ſuperueniunt, diu ſaltem laruatae.

Phlegmaſiae malignae auct. primo adſpectu videntur eryſipelaceae, parum tumidae, ad tactum frigidae, et veluti durae, ſine vlla elaſticitate et tenſione; anodynia ad ſcalpellum, accedunt puſtulae liuidae, pulſus minuuntur, mors. *Queſnay* has phlegmaſias *mortuas* denominat. *Puri* inflammatorii ſimplicesque dicuntur, qui [abundantia cruoris, phlogiſtici ſanguinis, nati,] praeter vitia a febri et calore oriunda, nulla alia in craſi ſanguinis admittunt, atque in illis cruſta coriacea cruorem vtplurimum tegit. *Impuri* vero ſunt, quos comitatur craſis ſanguinis putrida, maligna, peſtilens, diſſoluta, gangraenoſa, ita vt ſumma cacochylia, aut corruptio humorum ſymptomata ſuperius memorata mutet, nouaque ſuppeditet, vt in variola maligna, peſte, cynanche gangraenoſa, aliisque epidemicis et caſtrenſibus morbis obſeruare eſt.

8. Inflammationis principia ſunt mechanica, pſychologica et phyſica; verum purae magis mechanica ſunt, vt impurae magis phyſica, adeoque ordinis gratia agemus de illis, ſucceſſiue initium ducendo a mechanicis inflammationis principiis.

9. Febris cauſa (ex n° 79, claſſ. 2.) eſt diſtributio virium ad neruos cordis in maiori ratione, quam ad neruos artuum: ergo in morbis inflammatoriis puris cum ſit febris, vires cordi contrahendo impenſae maiores ſunt, quam ex proportione ad vires muſculares artuum ſolent impendi.

10. Febris acuta inflammatoria velocitatem ſanguinis quandoque duplo maiorem ſecum inducit; velocitas enim ſanguinis, ex ſola frequentia dupla duplo maior eſt (claſſ. 2, n° 74), cum

itaque doceat obſeruatio, pulſum eſſe in febri acuta duplo frequentiorem ſolito, quod pluries ipſe obſeruaui, et in valido curſu notauit B. *Robinſon*, minime dubium eſt, quin in febri inflammatoria quandoque velocitas ſanguinis duplo maior euadat.

11. Velocitas ſanguinis, ſub eadem pulſus frequentia, eſt magnitudini pulſus proportionalis quam proxime; etenim cum orificium arterioſum cordis [num polypi, oſſific. id admittunt] ſit ſemper idem, non poteſt conſtanter duplo maior euadere arteriarum pulſatio, niſi a duplo maiori ſanguinis in eas immiſſi quantitate; verum vt duplo maior, intra idem tempus, immittatur ſanguinis quantitas, e ventriculo cordis in aortam, neceſſe eſt ſub eodem pulſationum numero, vt fluidum tranſeat, duplo velocius, per idem orificium cordis; nam quantitas effluxus per idem orificium eſt, vt eius velocitas (docente hydraulica), ergo neceſſe eſt, vt in hoc caſu velocitas ſanguinis, e corde emiſſi, duplo maior euadat, ſeu ſit pulſus magnitudini proportionalis.

12. Firmitas cruoris in febribus inflammatoriis eſt quadruplo maior, quam in ſtatu ſano (claſſ. 2, n. 86.), ſed vt fluidum viſcoſum, ſeu firmius ſolito promoueatur eadem velocitate, ac minus reſiſtens, requiritur vis huicce reſiſtentiae proportionalis (ex Phyſicis); etenim viſcidum dicitur fluidum, cuius guttulae ſuae ſeparationi, et moles ſuae diuiſioni reſiſtunt; verum ſanguis viſcidus, qui, vt ſubeat vaſcula minora, in columellas exiles diuidendus eſt, ſi ſuae diuiſioni duplo, triplo, magis reſiſtat, non, niſi vi duplo, triploue maiori, ſolitam velocitatem adipiſcetur; ergo in morbis inflammatoriis vt conſueta velocitas concilietur ſanguini, vis eius fluidi velocitati proportioralis eſt adhibenda.

13. Vires requiſitae ad fluidum velocius mouendum intra tubos ſunt vt quadrata velocitatum, quae ipſis imprimuntur (ex hydraulicis); cum itaque fluidum duplo, triploue velocius ſolito mouendum eſt, vires quadruplo, noncuplo maiores adhibendae ſunt.

14. Verum ſi diuerſa ſit viſcoſitas fluidi, eique impertienda ſit diuerſa velocitas, vis requiſita eſt in ratione ſimpla viſcoſitatis et duplicata velocitatis coniunctim: ergo ſi ſanguis quadruplo viſcidior duplo velocius ſolito mouendus ſit, vires cordis requiruntur ſexdecies maiores, quam antea.

15. Ex dictis ſequitur, vt magna virium vitalium quantitas impendatur in labore febrili, qui morbos inflammatorios comitatur, etiamſi nulla hactenus habita ſit ratio obſtructionum, quae his morbis frequentiſſime occaſionem praebent, in quo caſu virium impenſa abſolute neceſſaria multo maior eſt.

16. Cum ſumma foraminum effectiuorum, per quae ſanguis ex arteriis in venas traiicitur, ſit 20ª pars orificii aortae (*Haemaſt.* exp. 9.), obſtructa dimidia parte horum vaſorum, ſanguis ab eadem vi propulſus non, niſi dimidiam ſolitae velocitatis partem ſeruabit in truncis arterioſis (vt norunt aquileges), et vt conſuetam velocitatem adquirat, neceſſe eſt, vt per orificia illa vltima libera duplo velocius moueatur; ergo (13) vt quadruplo maiori vi vrgeatur. Si itaque obſtruantur quoad dimidiam partem vaſa ſanguifera a ſanguine quadruplo viſcoſiori, et tamen neceſſum ſit, vt ſanguis duplo velocius circuletur, quam in ſtatu ſano, debent vires impendi, 64 vicibus maiores.

17. Vires, quae cordi mouendo impendi ſolent in ſanitate, ſunt ad totas vires corporis humani circiter vt 1 ad 40, ſic aeſtimante *Dan. Bernoulli;* verum cum robur hominis ſit limitatum, non poteſt maiori copia conſtanter impendi magna pars virium in corde mouendo, quin pari paſſu deficiat vis libera artuum, ita vt, ſi ex ſumma 40 virium, detrahantur 16 pro corde mouendo, iam ratio virium vitalium cordis ſit ad vires liberas artuum vt 16 ad 24, fere vt 2 ad 3, adeoque vt vires liberae artuum proportionaliter imminuantur, neceſſe eſt. Vnde patet ratio, cur in morbis inflammatoriis aegri iaceant, a ſolitis liberis actionibus abſtinentes, et in dies debiliores euadant, vt diximus de febribus (Claſſ. II. 65 - 68.).

18. Vires requiſitae ad eamdem fluidi copiam in diuerſas altitudines proiiciendam ſunt vt illae altitudines. Altitudo vltimorum vaſorum capitis, dum ſtamus, eſt triplo circiter altior ſupra cor, quam cum iacemus, adeoque eadem vis maiorem ſanguinis copiam impellit in caput, cum iacent aegri, quam cum ſtabant ſani, ſeu quod eodem recidit, ſanguis in iacentibus maiori impetu caput impetit, quam in ſtantibus; vnde vaſorum capitis diſtenſio, oppletio, diſpoſitio ad ſomnum, ad capitis grauitatem, dolorem, quae omnia in hiſce morbis obſeruantur.

19. Delirium non raro accidit ex fibrarum medullarium cerebri commotione, cum quaedam partes huius organi prae aliis

impetuntur, aut eius vaſa infarciuntur; verum ex aucto ſanguinis impetu in cerebrum tum ratione poſiturae horizontalis, tum ratione vis cordis adauctae et directionis carotidum cum aortae trunco communis, ſanguinis impetus in caput maior eſt, adeoque poſita diſpoſitione inaequali partium cerebri, facile eſt intellectu, cur plures in morbo acuto inflammatorio, cephalalgia, calore frontis, ſomnolentia, et demum delirio afficiantur.

20. Ex noua theoria affrictuum in vaſis exiliſſimis, praelongis et a mediocri vi fluidum propulſum accipientibus, quam mecum communicauit *Dan. Bernoulli*, quantitates fluidorum, quae effluunt ex tubulis capillaribus intra idem tempus, ſunt ut cubi diametrorum horum tubulorum, reciproce, vt eorum longitudines, et directe, vt vires fluidum propellentes; licet in tubis amplioribus, non habita affrictuum ratione, illae quantitates ſint in ratione compoſita, ex ſubduplicata virium et duplicata diametrorum.

21. Ex hac vero theoria, quam multis experimentis confirmaui, ſequitur, vt, ſi arteria exigua, v. g. bronchialis, cuius diameter eſt diametri aortae pars 20^{a}, quaeque proinde non, niſi 400^{am} ſanguinis partem accipit, duplo maiorem adipiſcatur diametrum, ea non quadruplo ſolum maiorem prioris, ſed etiam octuplo maiorem acceptura ſit quam proxime ſanguinis copiam.

22. Quae cum ita ſint, non mirum erit, quod mutata quarumdam arteriarum diametro, ita vt altera amplior, ceterae paululum anguſtiores euadant, eadem vi cordis remanente, ſanguis in vnum viſcus maiori ruat impetu, quam antea, et minori in cetera vaſa eiusdem, quae prius, capacitatis: aut quod impetus in determinatum viſcus creſcat in maiori ratione, quam in alia viſcera. Notum autem eſt, fibras circulares arteriarum muſculari motu quandoque gaudere et habenis nerueis a b. *Hallero* accuratius notatis circumdari, quarum interuentu fibrae illae contrahi, aut laxari, valeant, adeoque harum arteriarum capacitas aliquantulum minui, vel augeri, vnde facile explicari poteſt, cur abſque eo, quod cordis actio fortior euadat, tamen ſanguis maiori impetu ruat in certas partes prae aliis, vt in corpora cauernoſa penis in libidinoſo pathemate, in genas dum verecundia afficimur, et ſic de aliis partibus.

23. Tam diuerſae in Medicorum Lycaeis circumferuntur inflammationis theoriae, vt, vtram in partem ſe vertant, Philiatri plures ambigant, nullamque amplectantur ii, qui minus auctoritati ſeruiunt, ſuamque iudicandi facultatem aliquo habent in numero; nec mirum: cum enim inde veteres Medicinae patres ſanguinis raptum et fluxionem, hinc vero antiſtites percelebres ſanguinis ſtaſin et congeſtionem incuſent, vix ſinit debita antiquis reuerentia, vt contrariam prorſus opinionem ſectemur, nec nouitatis amor, vt antiquatas et exoletas ſententias admittamus; *anne his opinionibus anteponenda eſt*, *quae inflammationem a putrefactione deducit*? [non abſimili theoria *Hewſonus* explicari voluit; eoque ipſe propenſum me profiteor cum Auctore; modo ſententia rite concipiatur.] verum pari iure fermentationi eam tribuendam reclamant Chemici; quantum itaque motus a quiete, raptus ab haerentia, Humoriſtae a Chemicis, et illi a Mechanicis diſcrepant, tantum inter ſe diſſentiunt inflammationis aetiologiae.

Aſt nec ſibi cohaerent etiam nuperorum hypotheſes, quae ſtagnationi et haerentiae ſanguinis inflammatorium tumultum adſcribunt; alii enim ex ſola ſtaſi et legibus, quas mechanicas vocant, totum opus expediunt; alii vero motum in viciniis inflammatae partis adaugent; ſtatim atque magicas et praepotentes *ſtimuli* ac *ſympathiae* voces profuderunt, nullus eſt, qui motum maiorem ſanguinis a motrice quadam potentia deriuare dignetur, cum Mechanicum, vt putant, dedeceat, non omnia phaenomena a mera partium diſpoſitione deducere. [Recentioribus temporibus ſchola *Boerhaauia* docuit, phlegmaſias oriri, vel ab obſtructionibus vaſorum minorum, quum *aut* diameter vaſorum imminueretur, *aut* globuli, maiores reſpectu vaſorum, quae adierint, vel vere, vel reſpectiue, adaucti, ſibi reſiſtentiam tranſitus pararent; cui adiunxit *errorem loci*, qui, vel per ſe phlegmaſias induceret, vel dicta ratione. Non multum Fr. *Hoffmannus* ab hac theoria receſſit, vt tamen ad vaſorum ſpaſmum in ſpecie reſpiceret, humoribus minus tribuens. Hos celebres viros ſchola ipſorum ſecuta eſt. b. *Nietzki* tamen videtur definitione ſua phlegmaſiae, qua ſit perquam vehemens vaſorum ſanguiferorum vibratio, ad irritabilitatem alienatam magis reſpexiſſe. Cui adiungas *Whyttium*, (qui Phyſiol. eſſ. d. I. p. 35. *Works*. p. 223.) *motui oſcillatorio* vaſorum, vim cordis in ſanitate ſubleuanti,

tribuit phlegmaſias, hinc ad ſtimulos iniectos reſpexit. Cl. *Macbride* adiungit congeſtiones in ſpecie, quae oriantur ex labeſactata vi vaſorum, cordis vi reſiſtendi, qua, vt in ſcarificatione, humores inuitentur ad loca debiliora. Adſentit re his viris Cl. P. I. *Gruber* in d. de exceſſu vis vitalis vaſorum, variisque in mach. anim. pendent. phaenom. Prag. 1772. in *Klinkoſch* coll. diſſ. Prag. p. 257. cet.]

24. Inde profluxerunt ſtupendae et inauditae prius motuum cauſae, aut, vt ipſi vocant, mechanicae et hydraulicae leges, quarum potiſſimae duae ſunt ad omnes fere morbos explicandos ipſis perneceſſariae; prima ſcilicet, *membranas elaſticas, ſemel inflexas, eo velocius ad priſtinum ſtatum reſtitui, quo magis inflexae fuerunt; etiam ſi vis premens et inflectens eadem perſeueret;* altera vero *eſt fluidorum, ex emiſſariis diuerſae amplitudinis fluentium, velocitates abſolutas, quaecumque ſit motrix potentia, eſſe orificiis reciprocas; ſeu eo maiores eſſe, quo anguſtiora euadunt emiſſaria; et minores, quo maiora.* Atque ſic ſuppoſita minimorum vaſorum anguſtia, aut obſtructione, aduocata in opem ſympathia, vel prolatis hiſce nouis legibus ſanguis coërcitus maiori impetu vaſa atterit, diſtendit, rubefacit, atque inflammationem producit.

25. Cum ſuo hac in re genio indulgere, et a receptis opinionibus, noſtrorum antiſtitum exemplo, recedere licitum ſit, viginti enim abhinc annis tantum fermentationem a ſolio deiecit ille mechaniſmus, neminem aegre laturum puto, ſi alteram in medium proferam opinionem.

Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam? Mechaniſmum merum crepant Neoterici; mechanicas itaque leges a Pariſina, Londinenſique, Scientiarum Academia probatas, experimentis Newtoniis, Bernoulliis, confirmatas ſequi liceat: in his percelebres huius Academiae patres iter nobis praemonſtrant: vnum compello *Ill. Chiracium,* qui non Matheſeos ſolum dogmata medicis rebus applicuit (*libello de motu cordis*), verum et Medico-Chirurgos, quos inſtituerat, geometricis diſciplinis prius imbui iuſſit, quam Medicinae darent operam, et opus mathematicum, *de animalium motu ab A. Borello* conſcriptum, publice in his ſcholis doceri voluit: is enim ſummus Archiater, longa edoctus experientia, et acri, quo pollebat, iudicio, perſuaſus erat, non feliciori methodo promoueri poſſe artem medi-

cam, quam ea, quae mechanicam, hydraulicam, aſtronomiam, ad ſummum veritatis et ſimplicitatis faſtigium euexit.

Inflammationis Theoria.

26. Quaecumque hominis pars calore intenſo, moleſto et dolorifico afficiatur, maxime ſi tenſio, rubor et tumor, ſimul adſint, ea *inflammata* dicitur, eiusque ſtatus Graecis *phlogoſis* a *phlego*, vro, *inflammatio* Latinis a ſenſu flammei caloris nuncupatur.

27. Si in eadem parte concurrant calor, rubor, tenſio, dolor, ſitque tumor ſphaeroideus, ac dolor pulſatilis; haec ſymptomatum ſyndrome *phlegmone* (a *phlegmainein*, incendi) vocatur. Huc phlyctaena, epinyctis, furunculus, cet.

28. Quodſi calor, rubor, tenſio, dolor et tumor, abſint, aſt rubedo ſit diluta et roſea, a preſſione euaneſcens, mox reditura, dolor pungitiuus, acer, deurens, et tumor, ſuperne planus, vix vnam aut alteram lineam altus, haec ſymptomatum ſyndrome *Eryſipelas* (ab *rythros* ruber) denominatur: huc herpes, ambuſtio, intertrigo, cet.

29. Horum ſymptomatum nullum eſt, ſi *calorem intenſum* excipias, quod in omni inflmmatorio morbo, etiam in ſtatu et vigore, poſſit vel ab aegro, vel a Medico, obſeruari. Si enim phlegmone ſit in theca cranii, clauſtris pectoris, oſſium medullis, nullum (excepto calore et febri comite, et, modo delirium non adſit aut ſopor, dolore) poteſt ſenſu percipi. Quorſum ergo haec ſyndrome definiretur per tumorem, cum a potiori et conſtantiori ſymptomate peti debeat definitio.

30. Inflammatio, quae nec intenſitate, nec extenſione, nec numero, notabilis eſt, inter affectus et *vitia* tantum numeratur, vt furunculus, varus, terminthus, phlyctaena. Aſt ſi eorum ſymptomatum ſyndrome ſit intenſitate, extenſione, numero, aut aliorum effectuum comitatu, notabilis, haec *inflammatio* vocatur.

31. Quae afficit [ſeu ad partes, mox dicendas, *congrue refertur*,] internas partes, vel externas; ſi internae partes affectae ſint membranaceae, oriuntur in meningibus *Phrenitis*; in pleura, pericardio, mediaſtino, *Pleuritis*; in ventriculo *Gaſtritis*, et ſic deinceps; ſi vero afficiantur viſcera, Graecis parenchymata dicta,

oriuntur *Cynanche*, *Peripneumonia*, *Hepatitis*, *Nephritis*, cet.

32. Si demum externae partes affectae fuerint, dantur *Peſtis*, *Variola*, *Rubeola*, aliaeque ſimiles aegritudines.

33. Quanti itaque momenti ſit, inflammationis theoriam veram noſſe et perſpectam habere, docent horum morborum numerus, *acuties*, grauitas, frequentia. Non itaque in tam ſerio et graui negotio hypotheſibus et ludicris figmentis indulgendum, quibus otioſus nimis delectatur animus; aſt anatomia, experimento et matheſi facem praeferentibus, in abditas horum morborum cauſſas, difficile quidem, ſed tutum iter quouis labore tentandum eſt.

34. Lemma. Si per ſectiones transuerſas ductus vel aluei cuiuscumque, ſiue flexibilis, ſiue inflexibilis, ſiue anguſti, ſiue ampli, ſimilis intra datum tempus fluat liquidi copia, velocitates huius fluidi erunt vtique in ſectionibus aluei reciprocae: *Newton.* Princ. l. 2. prop. 36.

35. Arterioſum alueum iuxta cor eſſe anguſtiorem, quam in primis aortae ramis, et anguſtiorem in illis, quam in ſecundis, et in ſecundis, quam in tertiis, et ſic deinceps, probant menſurae Anatomicae. De venoſo alueo idem dictum eſto: Vide Tab. XI. Figur. 1.

36. Eamdem ſenſibiliter fluidi quantitatem quouis pulſu cordis tranſire per omnes aluei arterioſi et venoſi ſectiones B, CC, DD, EEE, cet, in ſtatu permanenti circulationis vel velocioris, vel tardioris, nemo negat, qui circulationem admittit.

37. Corollarivm. Velocitas ſanguinis, quo nomine et cruorem et lympham intelligimus, eſt in diuerſis aluei arterioſi et venoſi ſectionibus eo minor, quo maior eſt alueus, ſeu amplitudinum vaſorum ſumma; eo maior, quo ſumma minor eſt.

38. Docet experientia, quod ſi ſint duo tubuli inaequalibus orificiis praediti, idem fluidum eadem vi propulſum transmiſſuri, minor ab vtroque transmittatur copia propter attritum, ſeu adhaeſionem fluidi cum parietibus, quam quae ex orificio et velocitate deberet exſpectari, ſi nulla attritus haberetur ratio. Mem. de l'Acad. des Sc. 1705. M. Carré, p. 275.

39. Verum attritus quantitas ceteris paribus eſt ſuperficiebus attritis proportionalis, adeoque effluxus diminutio maior eſt, vbi maior ſuperficies.

40. Superficies vaſorum cylindricorum eiusdem longitudinis eſt in ratione compoſita diametrorum ſimul et numeri vaſorum; docent Geometrae.

41. Coroll. Diminutio transfluxus ſanguinis per truncum eſt minor diminutione transfluxus per ramos, in ratione compoſita numeri truncorum ad ramorum numeros, et peripheriae vel diametri truncorum ad peripheriam vel diametrum ſummatim ſumtam omnium ramorum.

42. Coroll. Diminutio transfluxus in trunco eſt minor reſpectu diminutionis in ramis tertii ordinis, quam in ramis ſecundi, et in ramis ſecundi, quam in ramis primi ordinis; quia, vt docet Anatomia, creſcit numerus ramorum, qua proportione arteria prolongatur, in maiori ratione, quam creſcit eorum capacitas. Sic meſentericae ſuperioris rami primi ſunt 21, rami quarti, qui inteſtina iam amplexantur, ſunt 1200 ſeu 57 vicibus numeroſiores, et tamen eorum alueus primorum ſectione transuerſa non eſt quadruplo maior, vt obſeruarunt *Keill* et *Hales*.

43. Eadem tranat per truncum ac ramos ſanguinis quantitas, (36) verum in ramis multo maior eſt attritus, quam in truncis (41), et ratione attritus decreſcit transfluxus quantitas (39); ergo neceſſe eſt, vt transfluxus in truncis retundatur a reſiſtentia, in ramis oborta, magis, quam a propria truncorum reſiſtentia; adeoque ſi ſanguis per truncos tantum apertos exſiliret, is multo velocius efflueret, quam de facto fluit in ipſis non vulneratis.

44. Neceſſe eſt pariter, e trunco, transuerſim ſecto, maiorem dato tempore ſanguinis copiam effluere, quam quae ex ramis eius omnibus ſimul apertis transflueret, licet ante ſectionem aequalis tranet vtrobique copia.

45. Experimentum. Sint duo canes, quantum fieri poteſt, robore et aetate aequales, ſcindatur ſecundum longitudinem alteri inteſtinalis tuba, ligata prius, vel preſſa, meſenterica inferiori, et accipiatur ſanguis intra minutum ex arteriolis omnibus ſectis effluens; alteri vero ſecetur transuerſim arteria meſenterica ſuperior, et excipiatur ſanguis eodem temporis ſpatio emiſſus; vigecuplo maior erit priori iſta ſanguinis quantitas.

46. Experim. Canis viui aortae inferiori aptetur tubus aqua tepida continuo plenus, ope ampliſſimi infundibuli, videbis

intra breue tempus ita elui ſanguine omnia vaſa arterioſa et venoſa, vt meſenterium niueum candorem adquirat; iam ſcindantur inteſtina tenuia, et ex pendulo ac menſura, quaenam transfluat aquae copia, perſpicito; dein ſecto trunco, vel prius ſectis ramis eius primi vel ſecundi ordinis, habebis quantitatem eodem tempore transfluentem, et inuenies, eo minorem eſſe transfluxum ex arteriarum ramis ſimul omnibus, quam ex trunco, triplo minorem, ſi primi; ſexdecies minorem, ſi rami e limbo meſenterii inteſtinis contiguo ſecentur; et vigeſies, ſi vltimi, et minimi, qui in auerſa inteſtinorum parte reptant, fuerint aperti.

47. Similibus experimentis euincitur, nullam etiam eſſe arteriam in animalibus, [ſi pulmonariam excipias, de qua non ſufficientia capta ſunt experimenta,] quam ſanguis, aut ſaltem aqua tepida cruenta, facilius tranet meſentericâ. Nil enim arterias, v. g. renales, perparum muſculares, parum carotides tranat in experimentis inſtitutis.

48. Velocitas cuiuscumque fluidi poteſt concipi velut acquiſita ex lapſu fluidi a quadam altitudine. Idem enim eſt quoad velocitatem, vel ea debeatur emboli prementis viribus, vel lapſui ex altitudine debita, vnde omnes hydraulici velocitatem aeſtimant ex altitudine, ad quam, motu ſurſum verſo, aqua eadem poſſet aſſurgere, et ea altitudo eadem prorſus eſt ac *altitudo genitrix velocitatis; Mem. de l'Acad. paſſim.*

49. Conſtat autem, velocitates eiusdem fluidi, diuerſis altitudinibus delapſi, aut diuerſis viribus propulſi, eſſe vt radices harum altitudinum, vel virium. *Mem. de l'Acad.* 1735. *M. Pitot, Mem. des Pompes.*

50. Quidquid corpora mouet, vocatur vis, et corpora nulla mouentur niſi a viribus obices ſuperantibus, neque velocius eadem corpora mouentur, niſi a maioribus viribus; fluidorum itaque velocitates omnes debentur viribus, et maiores maioribus viribus. Errant itaque illi, qui, non adaucta vi pellente, velocitates fluidorum intendi putant in emiſſario, eo tantum imminuto, id eſt, auctis etiam obicibus, quo errore non eſt in theoria medica craſſior.

51. Corollarivm I. Obſtructa aluei ſanguiferi parte quacumque in extremis arteriis cuiusuis ordinis, eadem prorſus remanebit in ſuperſtite orificio, quae prius erat, velocitas, niſi

mutetur cordis vis; a corde autem totam, ſaltem in ſtatu permanente, ſanguinis velocitatem pendere demonſtrauit *D. Michelotti Praenot. 2. de ſeparatione fluidorum.*

52. Coroll. II. Imminuto ſanguinis alueo, vel aucto ex arteriis in venas emiſſario, minuitur ratio ſectionis emiſſarii ad ſectionem aluei in trunco, aut ramis anterioribus; ergo (ex 34) debet imminui ratio velocitatis in truncis ad velocitatem in emiſſariis, ſeu tanto minor euadet velocitas in trunco, quam in emiſſariis, quo ſectio, ſeu apertura emiſſariorum minor eſt apertura trunci.

53. Coroll. III. Obſtructis v. g. ex 1200 ramuſculis arteriae meſentericae, 600 ſeu dimidia parte obturata, docet experientia, etiam in viuis animalibus facta, et euincit ratio, quod dimidio minor eſt ſolito transfluxus quantitas, adeoque eadem, quae prius in his emiſſariis remanet velocitas; aſt totus, qui in ramis et truncis ſuperioribus eſt, ſanguis per haec tantum emiſſaria poteſt effluere, adeoque (ex 51) duplo tardius transfluere debet. Negligimus hic augmentum velocitatis, de quo agemus infra.

54. Coroll. IV. Quantitas ſanguinis per meſentericam arteriam in ſtatu ſano tranantis ſit decima ſexta pars eius, quae eodem tempore e corde in aortam transmittitur; hoc poſito truncus meſentericae poteſt haberi pro decima ſexta parte emiſſarii aortae; obturata itaque arteria meſenterica, vel eius ramis omnibus, ratio trunci aortae ad eius emiſſaria adaugetur, ſiue maior eſt vna decima ſexta parte ratio ſectionis aortae ad ſectionem ramorum eius; ergo (ex lemm. 34.) velocitas ſanguinis in aorta reſpectu velocitatis in ramis liberis eſt decima ſexta parte minor.

55. Nulla eſt arteria, cuius vltimi rami omnes, ſimul ſumti, propter attritus, poſſint transmittere plus, quam vigeſimam partem ſanguinis, quem transmittere poſſet truncus, ſi et rami et trunci ſeorſim aperti fuerint. (Experim. 45.)

56. Coroll. Orificia, vel *emiſſaria effectiua*, aeſtimantur maiora, vel minora, pro quantitate fluidi ea tranantis intra datum tempus, modo vis fluidum premens eadem ſit. Nulla etiam alia ratione variare poteſt effluxus quantitas; cum ergo idem tempus, eademque vis premens adhibetur, quantitas fluens eſt vt emiſſarium.

57. Coroll. Ergo res eodem recideret, quoad quantitatem ſanguinis vaſa tranantem, ſiue rami ſimul ſumti ampliores ſint truncis, ſed attritui obnoxii, ſiue rami vltimi paterent in venas orificio ſeu emiſſario, quod truncorum amplitudine vigeſies minus foret, et attritus expers.

58. *Embolus* eſt corpus, quod in vaſa fluido vehendo deſtinata eiusdem prorſus figurae ac diametri interioris, propulſum, fluidum in vaſis contentum vlterius pellit, et promouet, cum ſufficienti vi ipſe promouetur.

59. Sit (Tab. XL Fig. I.) A, B, C, D, arteria ramoſa fluido plena, intra quam ex A in B immittatur embolus E: 1° Euidens eſt, maſſam fluidi cylindro A B, vel ſpatio ab embolo occupato aequalem neceſſario tranaturum eſſe, ſiue embolus ille ſit durus, ſiue columna ipſiuſmet fluidi emboli vices gerat. 2° Patet etiam, quod columna fluidi, prius in A B poſita, eadem prorſus praecedat velocitate, qua baſis emboli ſubſequitur. 3° Liquet etiam, columnam fluidi, e trunco expulſi, eo minorem in ramis eius B C longitudinem occupaturam fore, quo rami illi bini ſimul ſumti trunco ſuo capaciores fuerint. 4° Quod idem obtinet in ramis ſecundi ordinis C D, reſpectu trunci ſui B C, et ſic deinceps. 5° Quod eadem prorſus ex emiſſariis E E omnibus ſimul efflueret fluidi copia, quae ab embolo A B fuit propulſa, quaeque volumine aequalis eſt volumini ipſius emboli. 6° Si pari paſſu creſcit emboli volumen et baſis, qua dilatatur vas, non mutantur prius aſſignata phaenomena, quandoquidem diametrum vaſorum indeterminatam aſſumpſimus, et illas maiores, vt in diaſtole, vel minores, vt in ſyſtole, ſupponere potuiſſemus. Vnde vanum eſt perfugium eorum, qui diametros vaſorum, vtpote varias, computo ſe ſubducere clamant.

60. His poſitis euidens eſt, quod ſanguinis columna, in quolibet vaſe contenta, (velut in C D) ſit embolus reſpectu fluidi in ramos eius (D E) transmittendi, quod eatenus procedit, et truncum ſubit, quatenus locum ipſi facit fluidum, ramulos patulos ingrediens: ſi itaque ramulorum alteruter ſit obturatus, vel ſit nullus, tunc impoſſibile eſt, hunc embolum progredi, niſi totus liquor, in eo contentus, per reſiduum tubum (D E) traiiciatur, et in hoc caſu velocitas fluidi traiecti erit ad velocitatem emboli ſequentis, vt baſis emboli ad baſim columnae fluidi, ſeu

orificii emiſſarii; vt autem vas ſenſibiliter dilatetur, requiritur vis fluidi adaucta.

61. *Obex* dicitur corpus, quod velocitatem in ſe recipit, vel partim, vel ex toto, deſtruit; vnde euidens eſt, quod columna ſanguinis, in vaſis praeexiſtens, obex eſt ſanguini, denuo immiſſo. Aſt ſi columna ſanguinis, in vaſe praeexiſtens, ita vaſis parietibus adhaereat, vt nequeat vlterius promoueri, quin vas ſecum trahat, tunc temporis non obex ſolum eſt, vt moles huius columnae et vaſis, ſed ut moles requiſita ad ſoluendum et trahendum vas. Sit v. g. pondus, quod requiritur ad lacerandam arteriolam aequale viginti libris, grumus ſanguinis, huic vaſi adhaerens, vt hoc poſſit auelli, quin laceretur vas, aeque reſiſtit, ac moles viginti libris aequalis. Si itaque vis ſanguinis, datum vas ſubeuntis, maior non ſit hoc pondere, datur obex, huic vi inſuperabilis; res eodem recidit, ſi arteria ſit ligata, vel quoquo modo conſtricta.

62. Cum omnis obex in quiete conſtitutus ſit, veluti moles mouenda, et reſiſtat tantum vi ſuae inertiae, ſi columella ſanguinis quouis pulſu cordis eum impetat vi viua, vtut exigua, debet moles reſiſtens eam velocitatem concipere, quae ſit quotus quantitatis motus, in columella contenti, per maſſarum ſummam diuiſae: ſit v. g. velocitas columellae ſanguinis vnius pollicis intra ſecundum, lamella eius prima aequalis vni grano, moles vero mouenda aequalis quoad reſiſtentiam decem libris, velocitas, poſt impulſum a corde factum, erit in obice aequalis $\frac{1}{52161}$ parti pollicis intra ſecundum, ex legibus motus. Et quoniam vis cordis intermittit in vaſorum ſyſtole, tunc temporis elaſtica vis vaſis diſtracti, et aliquatenus elongati, reſurget, et obicem 7680[a] parte lineae remotum priſtino loco reſtituet.

63. Ex hoc itu et reditu vaſis, cordis ictibus diſtracti, et elatere reſtituti, fit attritus vaſis et ſanguinis contenti, qui eo maiorem calorem excitat, ceteris paribus, quo denſius et ſpiſſius eſt fluidum inibi contentum; nam calor ex attritu corporum diuerſae denſitatis eſt, vt eorum denſitas, docente *Hermanni Phoron.*

64. Velocitas contractionum cordis eſt in ratione compoſita ex ſubduplicata virium illud mouentium, et ſimpla amplitudinis emiſſariorum, ſanguinem ex arteriis in venas transmittentium.

1° Vires corporum inter ſe ſunt vt effectus, ab illis praeſtiti, ſeu vt moles, quae mouentur, et velocitates ſimul; adeoque vis cordis aeſtimari poteſt ex ſanguinis eiecti mole, ac velocitate; verum fluidi, datum orificium tranantis, moles creſcit et decreſcit in eadem ratione, ac velocitas; vis ergo, qua cor contrahitur, et expellit ſanguinem, eſt in ratione duplicata velocitatis ſanguinis, adeoque velocitas ſanguinis, e corde eiecti, eſt in ratione ſubduplicata virium cordis. Verum creſcit aut decreſcit haec velocitas, qua proportione ſolidi cordis parietes locum, a ſanguine occupatum, ſubeunt; et quo velocius ſubeunt, ſeu contrahuntur, eo velocius ſanguis loco cedit, et in arterias proiicitur; ergo velocitas etiam contractionum cordis, cum ſit in eadem ratione, qua velocitas ſanguinis, e corde eiecti, eſt etiam in ratione ſubduplicata virium, cor contrahentium.

2°. Velocitas columnarum ſanguinis pro diuerſis arteriarum orificiis, ſeu emiſſariis, diuerſa eſt; nam velocitas embolorum eſt emiſſariis reciproca, quoties orificia effectiua emiſſariorum minora ſunt, quam baſes embolorum. Si dubitas, conſule aquileges, vel tenta experimentum ſequens.

65. Sit ſyrinx cum embolo ſuo, qui ope elateris, vel proprii ponderis, aquam, aut fluidum quoduis ex tota ſyringis cauitate intra datum tempus expellat per orificium cognitum; iam vero fiat orificium duplo minus, attendendo ad attritus, ratione quorum orificia maiora magis transmittunt, quam in ratione amplitudinis, et videbis, quod eadem vis adhibita non, niſi intra duplum tempus, eamdem ſyringem fluido exhaurire valeat.

66. His poſitis, quanto minora fuerint minorum vaſorum emiſſaria ſimul ſumta, tanto minor erit in truncis ſanguinis velocitas; verum velocitas contractionum cordis, ſi iisdem vrgeatur viribus, eſt vt velocitas ſanguinis in truncis praeexiſtentis; ergo quo minora ſunt ſanguiferorum emiſſaria effectiua, eo minor, et quo maiora, eo maior eſt contractionum cordis velocitas: quod erat probandum.

67. Coroll. Si eadem ſit vis contractiua cordis, et diuerſa ſit emiſſariorum ſumma in aluei ſanguiferi parte anguſtiori quaerenda, erit velocitas cordis ſolito minor, vel ſolito maior, prout minor, vel maior, erit haec emiſſariorum ſumma; adeoque obſtructa dimidia ramorum aortae parte, dimidio tardior erit cordis contractio, vel dimidio minor intra idem tempus erit eiecti in

aortam ſanguinis quantitas. Quod qui negant, illi in hydraulicis coecutire amant.

68. Errant itaque illi, qui contendunt, vires cordis et arteriarum datis obſtructionibus, non vigere ſolum, quin etiam ex reſiſtentia in arteriolis ſanguineis, lymphaticis, obſtructis, plurimumque tenſis ſuborta, intendi.

69. Coroll. II. Si laxantibus, diluentibusque fluxilior, ſeu minus viſcoſus euadat ſanguis, nec tamen ab his decreſcat vis cordis contractiua, tunc minor erit attritus vbique; ſed res eodem recidet, vel orificia effectiua omnium vaſorum ac praeſertim minimorum paulo magis accedant ad truncorum amplitudinem, vel natiuae ſoluantur obſtructiones; vnde creſcet ſanguinis in truncis, et cordis ipſius velocitas.

70. Corollarivm III. Si imminutis quauis de cauſſa arteriarum emiſſariis, velocitas contractionum cordis et ſanguinis in truncis eadem remaneat, atque ante obſtructiones, neceſſe eſt, vt vires cordis adauctae fuerint, et vires cordis adaugeri tunc debent in ratione duplicata inuerſa emiſſariorum: obſtructa dimidia orificiorum parte, dimidio minor erit ex arteriis in venas transfluxus quantitas, ac proinde velocitas emboli cuiusuis (59. n. 5.); iam vero, niſi duplo maior euadat velocitas in emiſſariis, non poterit eadem ſanguinis quantitas venas tranare, ac prius eodem tranabat tempore, nec poteſt duplo maior eſſe in emiſſariis velocitas, niſi vis quadrupla pellat embolum. (Vide demonſtrationem in *Mem. de l'Acad.* 1735. *Mem. ſur les Pompes.*) Et ſi velocitas in emiſſario duplo maior ſit, duplo maior eodem tempore tranabit fluidi quantitas; ſed velocitas in embolis eſt vt quantitas ex emiſſariis fluens, adeoque ſi duplo maior euadat quantitas fluens ex emiſſariis, (ſeu aequalis euadat quantitati per omnia ſimul vaſa libera fluenti,) duplo maior euadet ſanguinis in truncis velocitas, quod ſine vi quadrupla fieri non poteſt; interea tamen eadem erit, quae in ſtatu ſano pulſuum velocitas.

71. Coroll. Ratum itaque et fixum hoc maneat, quod poſitis obſtructionibus, et eadem ſanguinis denſitate ac conſiſtentia, impoſſibile ſit, quin imminuatur cordis et pulſuum velocitas; et ſi tunc temporis eadem perſtet cordis et pulſuum velocitas, fieri non potuit, quin vires cordis adauctae fuerint in ratione dupli-

cata directa obſtructionis, ſeu inuerſa duplicata emiſſarii ſuperſtitis.

72. Velocitas cordis ab obſtructione minuitur magis, vel minus, prout maior, vel minor, retinetur ſanguinis transfluxuri quantitas. Sic ſi decima ſexta pars ſanguinis, a corde eiecti, in quauis ſyſtole tranet arteriam meſentericam ſuperiorem, cum, eius obſtructo trunco vna decima ſexta parte, minuatur ſanguinis in corde, in carotidibus, ſubclauiis, aortaque deſcendenti, velocitas, tantumdem decreſcit cordis velocitas. Aſt eadem ſanguinis quantitas tranare debet vltimos ramos, ſiue rubros, ſiue lymphaticos et ſeroſos ſimul ſumtos, vt docet Anatomia; ergo obturatis omnibus ſimul arteriae ramis, idem accidit, ac obturato trunco.

73. Corollarivm. Si arteria meſenterica det viginti ramos primi ordinis, et quilibet ramus viginti ramulos, ac demum quilibet ramulus viginti vaſcula lymphatica, obſtructis viginti hiſce lymphaticis, non magis obſtruitur arteriae alueus, quam ſi vnicus ramus tertii ordinis obſtrueretur, qui in hypotheſi eſt $\frac{1}{8000}$ pars totius trunci; adeoque ſi ſint glandulae ex lymphaticis potiſſimum conflatae, fieri poteſt obſtructio molis notabilis, quae tamen non ſenſibilem velocitatis partem cordi et pulſui adimat, vtpote quae non centeſimam ſanguinis per alueum arterioſum transfluxuri partem ſiſtat.

74. Cum notabilis datur aluei ſanguiferi obſtructio, non raro numerus pulſuum intra datum tempus adaugetur, docente tantum experientia.

75. Vbi datur pulſuum intra datum tempus maior ſolito numerus, ibi datur *frequentia pulſus*, quae eadem eſt in corde ac arteriis, quaeque ſupponit repetitas cordis contractiones: raro autem accidit in febribus acutiſſimis, vt numerus pulſuum duplo maior euadat, quam in ſtatu ſano.

76. Si orificia cordis arterioſa immutabilia ſint, velocitas ſanguinis, in aortam eiecti, intra minutum eſt in ratione compoſita ex ratione velocitatis et frequentiae pulſus; nam velocitas ſanguinis, a corde eiecti, eſt proportionalis velocitati, qua parietes cordis ad ſe inuicem accedunt ita, vt, quo altius contrahuntur, et quo minus tempus ad hanc ſingulam contractionem adhibent, eo citius euacuentur ventriculi, eo velocius ſanguis in arterias eiiciatur: verum ſub pari contractionis cuiusuis altitudine, et du-

ratione, ſeu velocitate, ſi intra minutum temporis fiant duplo plures ſimiles contractiones cordis, vt ſi pulſet cor 140 vicibus, quod prius 70 pulſabat, euidens eſt, duplo maiorem fore ſanguinis, aortam ſubeuntis, velocitatem.

77. Coroll. Velocitates ſanguinis in aorta erunt quadruplo, noncuplo maiores ſolito, ſi frequentia ſimul et velocitas duplo, vel triplo, maior euadat: aſt erunt ſextuplo maiores, ſi alterutra duplo, et altera triplo, maior euadat: et erunt conſuetis aequales, ſi tantumdem decreſcat velocitas pulſus, ſeu eius altitudo, quantum creſcit frequentia; ac demum velocitas ſanguinis erit in arteriis ſolito minor, ſi creſcat frequentia pulſuum cordis in minori ratione, quam decreſcit eius pulſuum altitudo; ergo ex pulſus frequentia ſola, non habita ratione altitudinis, non poteſt aeſtimari velocitas ſanguinis in arteriis.

78. Coroll. Vis cordis eſt vt ſanguinis eiecti duplicata velocitas, adeoque in ratione compoſita ex duplicata frequentiae et velocitatis pulſuum.

79. *Labor* potentiae motricis aeſtimatur ex viribus, quas exſerit, et ex duratione operationis: *Hydrodyn.* ſect. 9.

80. Coroll. Labor potentiae mouentis eſt in ratione compoſita ex duplicata velocitatis, duplicata frequentiae pulſuum, et ex laboris duratione.

81. Non debet conferri impenſa virium potentiae, cor mouentis, inter durationem morbi, et durationem vitae ſanae, quia in vita ſana, non autem in morbo, vires, a corde expenſae, quotidie et pluries in die integre reparantur; virium impenſa, quae pluries intra breue tempus reficitur, vocatur *Exercitium*; aſt quae pari paſſu non reparatur, et ex qua proinde actu debilitatur animal, vel potentia motrix, *Labor* vocatur. Hinc intelligimus eum, qui febri afficitur, non metaphorice, ſed proprie, *febri laborare*, vt antiqui Medici recte ſenſerant.

82. Vita in animalibus ſupponit vim motricem ſuperſtitem, et huic proportione reſpondet vigor functionum.

83. In animalibus potentiam motricem, tum actualem, tum habitualem, eſſe certis terminis circumſcriptam, docet laſſitudo, quae ex laboribus quotidianis, paululum intenſis, ſuperuenit, et demonſtrat mors ſenilis, quae vires omnes motrices exhauſtas euincit; iam ſi tantumdem virium accederet corpori, quantum labore tum cordis, tum muſculorum, quotidie abſumitur, poten-

tia motrix eadem ſemper foret et perennis; cum autem et virium gradu et duratione finita ſit, quo maius erit dato tempore eius diſpendium, eo maior debilitas.

84. Quo maior eſt labor tum vitalis, tum voluntarius, eo maius eſt virium diſpendium; labore enim plus abſumitur, quam reparatur, potiſſimum vero a labore vitali, ſeu ab adaucto cordis et vaſorum motu; quia virium vitalium impenſa ſolito maior, cum noctu interdiuque fiat, nec corporis quiete ac ſomno reparentur iacturae, eo multo maior eſt, quam impenſa virium, quae fit a laboribus voluntariis, cibo, potu, quiete, ſomno, intermiſſis.

85. Eatenus viuit animal, quatenus eius potentia motrix ſat eſt vegeta ad diuerſas, quae circulationi opponuntur, reſiſtentias ſuperandas, ſeu vt in medio reſiſtenti circulum ſanguinis ſuſtineat; verum cum illae reſiſtentiae conſtantes ſint, imo viuendo augeantur a fluidorum ſpiſſitudine, et ſolidorum rigeſcentia, requiritur ad vitam ſuſtinendam determinata potentia, et exigua quaecumque non ſufficit. Quo maiores itaque ſunt reſiſtentiae, vt in ſanguiferorum obſtructionibus, eo maius et praeſentius eſt mortis periculum.

86. Quo maior itaque eſt labor vitalis, ſeu vita magis actuoſa, functiones vitales magis viuidae et laborioſae, eo citius decreſcit potentia motrix, et ad illum accedit gradum, qui reſiſtentiis, circulationi oppoſitis, ſuperandis impar eſt, quo facto mors eſt; hinc cauſſam mortis validis et diuturnis febribus ſuperuenientis, nec non leti ſenilis quisque poteſt intelligere.

87. Quo labor eſt maior, eo magis vires deterit; quo labor eſt diuturnior, eo magis vires exſolvit; adeoque febris, quae (vt alibi demonſtratum eſt) labor eſt, periculum vitae portendit in ratione magnitudinis ſuae ac diuturnitatis. Eſt tamen in hoc caſu terminus maximus, quem diuturnitas cum dato vigore transgredi non valet, Geometris determinandus.

88. Hinc intelligitur, quare, quo minori motu donantur erucae in nymphas conuerſae, locis ſcilicet frigidis detentae, eo diutius vitam ſuam protrahunt; quae papilionum laruam indutae, quo viuidiori motu exagitantur, ſeu vitam magis actuoſam viuunt, eo citius fato funguntur. Nymphae enim ad plures annos, aſt papiliones vix ad aliquot dies, vitam protrahunt. Vide *D. de Reaumur de inſectis, D. Ritter de longaeuitate.*

89. Sequitur etiam, vt eo maior ſit, vel minor vita, quo maiores, vel minores, exſeruntur vires motrices, vt in febribus inflammatoriis, aſt tanto maius fieri virium detrimentum, vnde ceteris paribus maius periculum.

90. Adeoque ſi potentia motrix cordis ſit intelligens, et conſeruationi corporis intenta, ea debet tunc tantum vires cordis maiores exſerere, cum huius conatus ope poteſt materiam morbificam circulationi oppoſitam deſtruere, vel debellare: et cum nulla vrget cauſſa morbifica, debent eſſe vires vitales quam minimae, modo ad reſiſtentias conſuetas vaſorum et fluidorum ſuperandas ſatis ſint.

91. In ſtatu ſano potentia motrix minimam ſuarum virium partem expendit, et eſt maxima; in ſtatu vero morboſo maximam, et euadit (in agone) minima. Pulſus enim in ſanis, docente obſeruatione, nec aeque frequens, nec aeque durus, nec aeque magnus eſt, ac in febris augmento et ſtatu, vbi potentia motrix nondum multum eſt imminuta; ſed in ſanis potentia motrix eſt integra, quaeque multo maiores exſerere poſſit vires, quam quas actu in ſanis exſerit; ergo in ſtatu ſano potentia motrix minimam ſuarum virium partem expendit, et eſt maxima.

92. Quo diutius procedit febris, vel morbus acutus inflammatorius, et quo fortior eſt, eo minor euadit potentia motrix, vſquequo in agone, ſeu vltima lucta deficiat; verum ſi conferatur pulſus febrientium cum pulſu ſanorum, prior eſt, pro ſtatu potentiae motricis, multo fortior, plenior ſcilicet, aut frequentior, vel durior, adeoque potentiae motricis ſuperſtitis eſt pars tanto maior, quo potentia minor eſt; ergo in ſtatu morboſo potentia motrix, vtcumque ſolito minor, et demum in agone minima, maiorem ſuarum virium partem, ac dein maximam expendit.

93. Data obſtructione notabili aluei ſanguiferi, notabile imminet periculum, cum neceſſario multum retardatur in omnibus maioribus vaſis circulatio, adeoque languent omnes functiones a circulatione pendentes, vt videre eſt in ſummo ſenio, in animalibus, frigore congelatis.

94. Verum quoniam ſanguis quadrupedum et hominis non poteſt notabiliter retardari in corpore, quin, defectu expurgationis, putrefactio, ad quam pronus eſt, intendatur, et putrefactione nil ſit peius, nil conſeruationi magis contrarium, vt docet ſphacelus: obſtructione aluei ſanguiferi data, imminet ſummum vitae

periculum, quod viperis, ſerpentibus, teſtudinibus, nymphis erucarum non accidit, quia pingui quodam muco condiuntur, et a putredine diutius ſeruantur eorum humores, vt docet experientia.

95. Patet inde, obſtrui poſſe magna vaſorum lymphaticorum, et adipoſorum, glomeramina, ſine notabili periculo, quia 1° quam minima exinde aluei ſanguiferi pars obſtruitur, (ex 54) 2° quia diutiſſime ſine putredine ſeruantur ea fluida, vt patet ex adipe culinario, qui ſine condimento ad annos ſeruatur, et ex tumoribus ſcirrhoſis, ſteatomatoſis, quos vix putreſcere etiam exſtirpatos obſeruaui: Conſulatur *Boerhaaue*, Chem. tom. 2. et *Stahl* diſſert. cet.

De Symptomatibus Inflammationis.

96. Ea ſunt quadruplicis generis; vel in *functionibus animalibus*, vt dolor, agrypnia, anxietas; vel in *functionibus vitalibus*, vt febris, dyſpnoea; vel in *excretis*, vt puris fluxus, ſi adaugeatur inflammatio vulneris, vlceris; vel demum in *qualitatibus* vitiatis, vt calor, rubedo, tumor, tenſio, cet. pauciſſima ex his expendemus.

De Calore. *

97. A particularum ignearum vi et impetu in fibras nerueas calorem pendere, norunt nuperi Phyſici *s'Graueſande*, *Muſchenbroeck*, *Hamberger*: adeoque calor ceteris paribus eſt, vt ignearum particularum quantitas in corpore, et vt earum duplicata velocitas; exhalato vapore calidiſſimo ex mixturis plurimis, licet hae mixturae vehementius agitentur, frigent tamen, vt docent experimenta *Boerhaauia*, *Florentina*, *Hombergii*, *Geoffroi*. **

98. Sanguis humanus particulis igneis ſcatet. Globuli

* Caloris theoriae recentiorum iubet vtique, vt Sauv. theoria ne ſubſcribas: at vide, quo vſque fidendum ſit iis theoriis.

** Si acetum deſtillatum ſali volatili ſanguinis miſceatur, miſcela ebullit inſigniter et refrigeſcit, *Slare Tranſ. Phil.* aceti deſtillati ſeſquipinta affuſa mercurii ſublimati corroſiui, et ſalis ammoniaci librae, mixtura agitata fuit, et tamen ad glaciem vſque friguit. Omnia ſalia alkalina volatilia ex animalibus mixta cum aqua in ſolutionis motu frigus producunt: Omnia olea plantarum eſſentialia idem cum ſpiritu

purpurei exſiccati ad ignem flammam concipiunt, lymphatici non item; homini funibus ſericeis ſuſpenſo et electrica vi imbuto, ſi alterius manus admota fuerit, ſcintillae igneae cum crepitu et dolore vtriusque, e contactus puncto vibrantur in experimentis *D. Gray*, *Dufay*. Affrictu faciei, induſiorum ſuccuſſu, ſcintillae etiam excutiuntur.

99. Quo frigidiora ſunt corpora calidis admota, et quo denſiora, eo maiorem ignearum particularum copiam abripiunt; docet *Hamberger*. in Phyſic. adeoque calor in diuerſas eiusdem corporis partes continuo ex calidioribus diffunditur vſque ad aequilibrium: imo ea ratione ſe diffundit aliquantulum in ambientem aëra; vnde atmoſphaera calida animalium.

100. Calor hominis duplici de cauſſa creſcit, aucta ignearum particularum copia: quod praeſtat ignis focarius, ſolaris, catoptricus admotus, vel corpora actu ignita, calida applicata, vel ingeſta alimenta, medicamenta, venena, igneis particulis ſcatentia, vt ſpiritus ardentes, ſalia alkalina fixa, acida igne retortae expreſſa, olea empyreumatica, aromatica acria, lapides cauſtici: Huc ammochaſia, thermae, caldaria, inſolatio.

101. Altera cauſſa caloris ſpontanei, ſeu intus oriundi, eſt particularum ignearum motus adauctus, qui debetur viribus mechanicis, ſeu ipſius ſanguinis et ſolidorum attritui, maiorem his velocitatem concilianti, adeoque vim caloris intendenti, vt patet ex manuum confricatione; vel etiam caloris augmentum ex eo fit, quod nitantur in contactum vel in ſe mutuo liberius tendant igneae particulae aliis cauſſis extricatae, et expeditius ruant in ſe mutuo vt inter duorum ellychniorum flammas fieri vident Phyſici. Creſcit enim ille impetus eadem lege, qua corporum grauium celeritas.

102. Calor ex ſecunda cauſſa (101) creſcit in ratione velocitatis duplicata, in corporibus diuerſa velocitate attritis, demonſtrante *Hermanno* in *Phoronomia;* nec non ſub diuerſis earum denſitatibus, ſi par ſit ignis copia, creſcit in denſitatum ratione: adeoque in corpore vbi maior celeritas, denſitas, et humorum acrimonia, ibi maximus calor; vbi denſitas et humorum acrimonia ſunt celeritatibus reciprocae, ibi aequalis forte calor.

vini faciunt. Ecce phaenomena, in quibus creſcente inteſtino motu decreſcit calor; ergo cauſſa caloris non eſt motus inteſtinus, ſi deſint igneae particulae.

103. Labore excitari homogeneum, validum et conſtantiorem homini calorem apprime norunt operarii, quia ſanguini maior velocitas, maior ſolidorum attritus conciliatur; aſt vbi maior ſimul compreſſio, et renixus fluidorum et ſolidorum, ibi calor intenſior, vt in natibus equitantium, pedibus viatorum, manibus operariorum; qui calor quandoque inflammatorius euadit; et agitatione quam viuida animi pathemata inferunt, vt ira, gaudio, furore, calor pariter intenditur.

104. Si qua proportione creſcit velocitas, eadem decreſcat partium denſitas et fluidorum cohaeſio, calor creſcet in minori ratione, quam duplicata velocitatis, quod in homine accidit; nam ſolida, fluidaque calore rareſcunt, et ſimul intra certos caloris gradus tunc vaſa ampliantur, tum fluida fluxiora euadunt, quod experimento ſequenti pluries tentato didici:

105. Experim. Orificio receptaculi aqua continuo pleni aptetur inteſtinum vel arteria, quae aquae copiam dato tempore transmittat; ſi aquae ſit temperies ad gradum 4um thermom. Reau'-muriani, id eſt, congelationi proxima, vel ſi ſit ad gradum 80um, id eſt, ebullitioni proxima, minor multo copia tranabit, quam ſi ſit ad gradum circiter 32um vel 33um. Sic eadem copia effundebatur frigidae intra 246, feruidae ac calidae ad 33um gradum intra 186 ſecunda. In vaſis vero ferreis et aeneis quo calidior eſt aqua, eo velocius fluit, et vberius; aſt in corpore humano non ita, propter fibrarum criſpationem, a calore, quadrageſimum gradum ſuperante, factam.

106. Coroll. Moleſtus eſt quidem, qui in morbis inflammatoriis oritur, calor, aſt cum gradum 40um numquam, ni fallor, ſuperet et 28° maior ſit, ſanguinis fluxilitatem, morbificaeque materiae reſolutionem, et vaſorum dilatatione ſimul adaucta, transfluxum iuuat admodum.

107. Determinato gradu caloris incubata germinant tum oua animalium, tum oua plantarum; norunt Phyſici. Aſt alia vel maiori caloris gradu indigent, alia calore diutius applicato, vt gummi, reſinae ſerius, ocyus in illo, vel hoc caloris gradu ſoluantur. Lympha ouuli humani foecundati, velut accepto ſuo menſtruo, liqueſcit applicato per nouem menſes humano calore qui ad 28um vel 30um gradum accedit. Oua gallinae per 21 dies calore gallinae paulo maiori, vel caldarii ad 33um gradum incubantur. Oua erucarum intra ſeptimanam, ſi humano calore

foueantur, aſt ſerius, ſi atmoſphaerae calore ad 18um gradum ſint incubata.

108. Numquid materies phlogiſtica, vaſis impacta, pro diuerſo morbo diuerſam habet indolem, ita, vt varioloſa intra quindecim dies, morbilloſa intra quinque circiter, ſufficientem fluxilitatem adipiſcatur? furunculi vna aut altera die maturantur; bubones peſtiferi citius, quam ſyphilitici, tardiſſime et vix intra pueritiae limites ſcrophuloſi, niſi diſſoluens aptum, vt ſyphiliticis hydrargyrum, apponatur.

109. Ex hactenus dictis liquet caloris gradum ex attritu oriundum creſcere, vt labor, vel vt actio ſanguinis in vaſa; actio vero corporum, aut vt aptius dicam, colliſio creſcit vt velocitatis reſpectiuae quadratum, vt fuſius dicemus, adeoque quo velocius ſanguis impinget, aut fortius nitetur in vaſa, quoque ſimul velocius, vel fortius, vaſa in ſanguinem renitentur, eo calor erit intenſior; nam velocitas reſpectiua, cum corpora in ſe mutuo feruntur, eſt vt ſumma velocitatum vtriusque corporis.

110. Si lympha, ex hominis ſani cruore ſecedens, calori aquae ebullientis vel minimo tempore ſit expoſita, ea cito coagulatur et albeſcit vt albumen oui, inde plurimorum in mentem venit, lympham a pleuriticorum ſanguine ſecedentem, et ſimiliter coagulatam, a ſimili caloris actione ſuam coagulationem accepiſſe; interea tamen hoc eſt diſcriminis, quod certe multum abſit, vt calor pleuritici ad eum gradum deueniat vmquam, qui albumini oui cogendo neceſſarius eſt; numquam enim calor in pleuritici cruore ad 40um pertingit, cum ad ouum coagulandum requiratur gradus 87us vel ſaltem 56us.

111. Lympham hominis ſani diuerſis experimentis ſubieci, et inueni, quod quo diutius calori, 40um gradum ſuperanti, fuit expoſita, eo minori gradu caloris, ſed 50um ſuperante, deinceps ſtatim coagulatur; forte experimenta, licet adhuc rudia, apponere, inutile non erit.

b. Die tertia Martii 1740 lympha hodie extracti ſanguinis ex viro ſeptuagenario, febri et dolore lateris affecto, coagulata eſt affuſa aqua calida pari copia ad gradum 56um. Therm. Reaumur.

c. Aqua calens ad gradum 58um affuſa pari quantitati lymphae ad gradum 6um: mixtura incaluit ad gradum 25um ſine coagulo. Nota, quod debebat mixtura incaleſcere ad gradum

29um iuxta regulas communicationis motus hic congruas; verum pars caloris tum in auras ſub affuſione, tum in vaſis parietes denſiores abiit.

d. Iam eidem mixturae ad gradum 22um calidae affundo aquae bullientis, ſeu ad gradum 87um vnam tertiam partem, mixtura incaleſcit ad gradum 33um ſine coagulo.

Iam ſimili mixturae, ad gradum 32um calidae, affundo parem aquae bullientis copiam, mixtura incaluit ad gradum 49um ſine coagulo.

e. Similem mixturam ad gradum 49um calidam infundo pari copiae aquae bullientis, totum albeſcit et deſcendit ad gradum 70um.

f. Quinque partes mixturae, quarum vna lymphae, altera aquae, ollae immiſſae, igni ſuppoſitae ſunt, per gradus viuidiori, et cum ad gradum 55um peruenit aqua, albeſcebat, cum ad 65um thrombus lymphae coagulatae efformatus eſt.

g. 27 Martii lympha ſani hominis tubo vitreo excepta, aquae ad gradum 64um dein expoſita, concreuit.

Aquae partes triginta et vna ſeri ſanguinis a quatuor diebus educti frigebant ad grad. 10um, et igni expoſitae ad grad. 40um ſpumam albam eiecerunt, ſed non albeſcere coepit mixtura niſi ad 55um.

h. Lympham rubellam in tubum vitreum infudi ad pedis altitudinem, tubus inferne erat hermetice clauſus, qua parte in ollam aqua plenam immiſſus eſt, tunc demum albeſcere coepit cum ad grad. fuit 75um: nullae vero bullae in lymphae ſuperficie eleuatae ſunt, et volumen illius quadrageſima parte creuit. In hoc experimento comperi etiam lympham, igne concretam, rariorem et leuiorem aqua fieri; quae dum liquida, aquae fundum conſtanter petebat.

112. Miror certe, quod in corpore pleuritici lympha ad gradum 30um coaguletur, quae in experimentis numquam infra 55um albeſcere viſa eſt. Suſpicor in morbis quibusdam inflammatoriis quoddam in corpore enatum ſingulare miaſma, vel quid ſimile, cuius ratione, potius, quam caloris gradu, lympha coagulетur. Sic ſpiritu vini frigidi coagulatur illico; ſic in rheumatiſmo, licet calor conſueto vix maior ſit, multo altius eſt ſanguinis coagulum, quam in peripneumonia fortiſſima, mollius tamen: ſic a viperae caudiſonae morſu ſanguinis lympha mire coagulatur,

vt teſtes oculati ſcripſerunt; ſal volatilis parum ſanguinem coagulat; ſal volatilis oleoſus in grumos vertit ſec. *Boerhaave*; cruor coagulatur etiam, teſte *Pitcarnio*, a ſucco cicutae, atropae, ſale fixo roris marini, pulegii, meliloti, cet.

113. Cum ſanguis ad certum putredinis gradum vergit, vt in morbis malignis, in tritaeophya, non raro ſanguis, vtcumque calori intenſo expoſitus per ſeptimanas, non coagulatur, imo qui morte accedente coagulatus eſt, putrefactione, poſt aliquot dies ſuperueniente, liqueſcit; pars enim mucilaginoſa putrefactionis motu nimium fuit diſſoluta.

Verum exiſtimandum non eſt, vllum in pleuritici vaſis grumum ſimilem ei cruſtae coriaceae, quae obuelat ſanguinem, in patella poſitum; certe circulatio cito ſufflaminaretur; viuunt autem et conualeſcunt e pleuritide, rheumatiſmo, plurimi, quorum ſanguis in vaſis ſuperſtes eſt, ad coagulationem denſiſſimam diſpoſitus, et e quibus hunc prauum cruorem, qui vellet exhaurire, aegrum iugularet.

114. Calore expanduntur omnia corpora in ratione ſuae denſitatis reciproca, et in directa gradus caloris ſuſcepti. Maximus gradus caloris, qui ab aqua et ab ipſo ſanguine retineri queat, eſt gradus 87us; interea tamen vix eius volumen vna quadrageſima parte creſcit; adeoque ab alia cauſa, vel ſimul, vel ſeorſim agente tumor inflammatorius, volumen partis multo magis adaugens, repetendus eſt.

115. Calore mutatur craſis lymphae, intima textura, craſſities molecularum eius, vnde color ex pellucido in album, vel ſubflauum abire poteſt, et ſeri exhalatione conſiſtentia poteſt intendi, ac acrimonia putredinoſa creſcere; vnde non mirum, quod inflammationi non raro puris prouentus ſuccedat, cuius quidem geneſin preſſioni ſanguinis et vaſorum mutuae, horumque detrimento mechanico gratis alii tribuunt, laudibus tamen pluribus digniſſimi, quod artem ſalubrem promouere nitantur.

116. *Nota.* Calor corporis humani quieſcentis eſt ad calorem, ſummo exercitio adauctum, vt 284 ad 288: *Derham* Theolog. Phyſ.

Auguſt. 20. 1740 in memetipſo obſeruaui pariter calorem vrinae in ſtatu ſano eſſe ad 28um gradum, vt calor oris, axillae, cet: et in ſtatu febrili cum palmae pedum aduri mihi viderentur, calor earum non vltra 31um grad. adſcendebat, aëris calore ad

19um gradum conſtituto: moleſtia caloris creſcit in maiori ratione, quam caloris intenſitas.

De Rubedine.

117. Colores diuerſos corporum ſenſibilium diuerſis et determinatis molecularum ſuarum craſſitiei, et denſitati reſpondere docet *Newton* Opt. l. 2.

118. Si fluidorum eiusdem cum aqua circiter denſitatis, vt ſanguinis, moleculae primae compoſitionis, habeant craſſitiem aequalem octo millioneſimis pollicis partibus, illae conſtituent corpus rubro-violaceum, qualis ſanguis venae cauae et pulmonaris arteriae; ſi vero 14^{im} huius pollicis millioneſimis partibus pares ſint, ſeu circiter $\frac{1}{67000}$, illae rubrum ſplendidius, ſeu ſcarlatinum colorem praebent, talis eſt color globulorum primi ordinis in aortae et pulmonaris venae ſanguine; qui globuli multo maiores ſunt; ſed moleculas habent, quales globuli ſeptimi ordinis: *D. Martin Eſſais d'Edinbourg. T.* 2.

119. Videtur itaque ſplendidior ſanguinis color ex eius molecularum, vel maiori denſitate, vel maiori craſſitie pendere, contra quam vulgo Phyſici ſentiunt. Hinc patet, quare ſanguis in pulmonibus, aëris frigore, condenſatus, et in patella ſuperficie tenus paululum exſiccatus, rutilantem ruborem adquirat, maxime cum preſſu vaſorum, et vi cordis in morbo inflammatorio, vel ſpiſſior, vel denſior euadit; ſi vero maior aſſignata ſit craſſities, vt coctione, vlteriori exſiccatione, aut aliis de cauſſis accidit, alios colores is poteſt induere.

120. Corporum albidorum, vaſis rubro liquore plenis, intertextorum rubedo eſt eo maior, quo plura ſunt puncta rubra, et pauciora alba; necnon quo vaſorum rubedo intenſior eſt; adeoque ſi in eadem ſuperficie vaſa rubra longiora, latiora, ſublimiora euadant, quod fieri non poteſt, quin minores euadant areolae albae, tota ſuperficies intenſius rubebit in harum dimenſionum ratione compoſita. Et eodem recideret phaenomenon, ſi omnia vaſa rubra tantum in minori inter ſe diſtantia poſita forent, vt corrugatis areolis albis fieret. Longitudo vaſorum rubrorum creſcit, cum cruor in lymphatica truditur, quae inde ſanguifera euadunt; ſublimitate vaſis rubri creſcente, et extra cutim prominente, multiplicatur rubra ſuperficies, et minus alto velamine obtegitur, vnde rubedo intenſior.

121. Duplici de cauſſa poſſunt vaſa ſanguifera in omnem ſenſum creſcere, vel quia vis, ſanguinem in ipſa trudens, abſolute maior eſt, vel quia eorum minor eſt abſoluta reſiſtentia; verum ſi ſecunda cauſſa, ſeu ratione laxitatis et atoniae dilatentur vaſa, vt fit in varicibus, obſcurius rubebit ſanguis, imo nigreſcet, vt in ecchymoſi et apice phlegmones, vel eryſipelatis ad ſphacelum vergentis, decreſcet calor, ſenſus, tenſio. Ergo cum in tumore inflammatorio contrario prorſus modo res ſe habeat, neceſſe eſt vt vaſa diſtendantur a ſanguine per vim maiorem adacto, vnde rubor ſplendidior, tenſio maior, calor acrior, ſenſus acutior, cet.

122. Cutis ſub eryſipelatis reſoluti finem exſiccatur, denſatur non raro, imo deſquammatur, et lutea ſimul euadit; hic color denotat moleculas eius, quae, cum albidae videntur, habent craſſitiem tribus vel quatuor pollicis millioneſimis aequalem, iam 20 aut 21 millioneſimis parem. Nonne in aurigine luteus color, cutim pellucidam afficiens, deſignat bilioſi liquidi viſciditatem et craſſitiem? Cum autem calore et putrefactione incipiente ſolidorum et fluidorum ita exſoluantur moleculae, vt album referant, *pus* dicitur generatum, quod calore loci, aut vlceris longiori deligatione inſpiſſatum flaueſcit, vt ex dictis et tabulis *Newtoni* ſequitur.

123. Ex allatis (121) ſequitur, rubore maiori ſuffundendas eſſe partes, in quas maiori impetu et niſu ſanguis adactus fuerit, vt in vaſa genarum, cum verecundiae motu cruor in eas partes irruit, quod ſenſu flammae, faciem peruolantis, ſtipari ſolet.

124. *Nota.* Lac bouinum coctum, ſuccus lacteus lactucae, ſonchi, tithymali, cataputiae, ex tinctura cinerum clauellatorum intenſe rubent. *Acad. Florent. Exper.*: calore exaltantur, et alkaleſcunt ſales; anne intenderetur inde color ſanguinis ruber?

De Pulſatione.

125. Pulſatio eſt tam velox vaſis dilatatio, vt explorantis manu percipi poſſit. Hanc in arteriis, venis et corde ſequitur alterna vaſis conſtrictio, quae palpo non percipitur. Debetur autem dilatatio vaſis vi fluidi, in illud immiſſi, vt vi contractiuae arteriae, cordis, cet. debetur conſtrictio.

126. Si columna fluidi A M (Tab. XI. fig. 2.) verſus alteram M B feratur, vel iſta verſus primam ex aduerſo tendit, vel

quieſcit, vel in eumdem ſenſum (ex M ad B) mouetur. In priori caſu, *velocitas reſpectiua* eſt ſumma velocitatum vtriuſque columnae; in ſecundo ea eſt, vt velocitas ſolius columnae impetentis (A B); in tertio velocitas reſpectiua eſt, vt exceſſus velocitatis columnae ſubſequentis ſupra velocitatem antecedentis: *s'Graveſande* Phyſ. 327.

127. Si duae columnae (A M, M B) (*fig.* 2.) velocitate prorſus ſimili procedant, qualis eſt velocitas communis diuerſis eiusdem globi aut baculi partibus, euidens eſt, eas in ſemet non agére, ſe mutuo non premere, nec collidere, nam nulla eſt in hoc caſu velocitas reſpectiua.

128. Si vero lamellae fluidi eiusdem diametri eodem incluſae tubo ſe mutuo ſequantur ſine colliſione, aut preſſione mutua, euidens eſt, eius moleculas non diffluxuras eſſe ad latera, nec latera vlterius dilataturas eſſe, cum ſemel ad aequilibrium deuenere vis, ſeu altitudo genitrix velocitatis in fluido, et vis tenacitatis vaſis: nam vtcumque flexibile ſit vas relatiue ad vires maiores, illud eſt velut aeneum et ferreum reſpectu virium quibuscum eius tenacitas aequilibris eſt, obſeruante *Michelotto.*

129. Verum ſi in ſe mutuo impingant columnae fluidi, aut altera alteram collidat, quod ratione velocitatis reſpectiuae tantum fieri poteſt, tunc fluidum inter vtramque compreſſum ad latera dilabetur, et vas diſtendet, quocum prius erat in aequilibrio. Non ſecus ac ſi embolus (A) fluidum in (A B) contentum verſus (B) premeret, cum (B) ſimul vel reſiſteret, vel verſus (A) moueretur; fluidum intermedium tum vaſis parietes premeret ea vi, quae a velocitatis reſpectiuae quadrato aeſtimatur.

130. Si tubus A B (*fig.* 2.) cylindricus a preſſione emboli (A) vel altitudinis receptaculi (H) fluidum accipiat per immiſſarium (A) et per emiſſarium (B) transmittat; docet experientia et ratio, quod, ſi eadem velocitate, qua ſubit immiſſarium, aqua emiſſario eiiciatur, aut quod eodem recidit, ſi orificium effectiuum emiſſarii ſit aequale orificio immiſſarii, nulla in parietes vaſis (A B) preſſio a fluido inferatur.

131. Si enim foramini cuidam (vt M) aptetur tubulus vitreus exiguus vtrinque patulus, aqua in ipſum non adſcendet, imo ſi orificium effectiuum (B) fuerit maius immiſſario, exſugetur fluidum in tubulo laterali, deorſum inflexo, contentum, et contra propriam grauitatem a veloci illo fluento in tubum (A B) abripietur.

132. Aſt ſi emiſſarium effectiuum minus ſit immiſſario, vt in arteriis eſſe vidimus, tunc fluidum transfluens aget in latera canalis, quod ex adſcenſu eius in tubulum lateralem aptatum menſurare licebit; nam ea altitudo fluidi adſcendentis erit preſſionis accurata menſura. *Hydrodyn.* Sect. 12. pag. 258.

133. Sit emiſſarium (B) ad immiſſarium (A) vt 1 ad 20: conſtat ex hydraulicis velocitatem in emiſſario fore ſemper, vt eſt radix altitudinis (H) genitricis, et vis emboli propellentis, quam conſtantem ponimus; eadem eſt pariter velocitas, qua fluidum ex immiſſario (A) effluere conatur, et de facto transfluit, ſi emiſſarium coarctatum non ſit; verum coarctato emiſſario, velocitas fluidi in tractu canalis (A B) eſt ad velocitatem in emiſſario actualem, aut ad velocitatem fluidi per immiſſarium appellere nitentis in ſectionum ratione reciproca, ſeu vt 1 ad 20.

134. Si iam quaeratur preſſio lateribus illata, ea reperietur aequalis quadrato velocitatis reſpectiuae, quae hic eſt differentia velocitatis in emiſſario, et velocitatis in tractu tubi vigeſies ampliori; velocitas in emiſſario eſt radix vis prementis, adeoque huius quadratum eſt ipſa vis premens (H); velocitas in tractu canalis eſt vigeſima huius pars, cuius quadratum eſt $\frac{1H}{400}$: differentia ergo quadratarum velocitatum erit vis propellens fluidum (H), e qua detracta ſit $\frac{1}{400}$ pars ipſius H, $(H - \frac{1H}{400})$; quae eodem recidit ac 399 partibus H, et haec eſt vera et accurata menſura preſſionis laterum canalis. Ita vt ſi tota vis fluidi ſit aequalis 400 partibus, preſſio, quam in ſtatu ſano ipſi arteriarum parietes experiuntur, eſt aequalis 399 huius partibus.

135. Coroll. Obſtructa penitus arteria, preſſio, quam eius parietes experiuntur, eſt aequalis toti vi fluidi in illam immiſſi, ſeu altitudini genetrici velocitatis fluidi in ipſam apertam fluxuri, vel altitudini, ad quam in tubo vitreo huic verticaliter aptato poſſet ſanguis adſcendere. Et ea preſſio quaquauerſum aequalis eſt.

136. Coroll. Verum experimentis haemaſtaticis, ſi tubus aortae canis minoris aptetur, ſanguis ad pedes quinque, et in equo ad pedes nouem aſſurgit, et in homine ad pedes ſeptem, vel circiter, poteſt aſſurgere; adeoque in his animalium arteriis, ex harum columnarum pondere per vaſis internam ſuperficiem multiplicato habemus preſſionem abſolutam vaſis illatam.

137. Coroll. Si in hoc experimento ſecetur arteria cruralis, quae liberum exitum ſanguini transfluenti offerat (16), et ſit facta ratio emiſſariorum ad immiſſarium, ſeu orificium aortae, vt 1 ad 10: altitudo ſanguinis in tubulo verticali ſtatim minor euadet, ſeu erit ad altitudinem (H) vt 99 ad 100: et ſi binis ſectis arteriis cruralibus ratio emiſſarii ad immiſſarium ſit, vt 1 ad 3: tunc altitudo premens erit ad totalem (H) vt 8 ad 9: et talis erit preſſio.

138. Coroll. Aſt e contra ſi emiſſaria reſpectu immiſſarii minora euadant, vt v. g. ſi dimidia arteriolarum pars obſtructa, vel ligata, ſupponatur, aut omnes ſimul ad ſui dimidiam partem coarctatae, tunc emiſſaria erunt, vt 1 ad 40 (ex art. 51): ſi ad tertiam, vel ad quartam, partem ſint anguſtata, tunc erunt vt 1 ad 60, vt 1 ad 80, cet: atque in his caſibus preſſio vaſis illata erit, $\frac{1}{1600}$ $\frac{1}{3600}$ $\frac{1}{6400}$ parte minor preſſione totali, quam data vis cordis in trunco, penitus obſtructo, poteſt exſerere. In ſtatu vero ſano preſſio vaſis illata eſt $\frac{1}{400}$ parte minor preſſione totali cordis.

139. Coroll. Cum autem velocitas in diuerſis arteriarum ordinibus ſit in ratione aluei totius reciproca, preſſio a ſanguine ipſis illata, quae ceteris paribus eſt vt quadrata huius velocitas, erit minor, quam in aortae trunco, in ratione reciproca duplicata ſectionum aluei: adeoque preſſio illata naturaliter ramis primi ordinis arteriae aortae eſt ad preſſionem illatam eius trunco, vt 64 ad 81; nam ſectiones ſunt, vt 9 ad 8 ex noſtris menſuris.

140. Coroll. Inuenit *Jac. Keill* ſectionem vltimam fere ramorum arteriae meſentericae ſuperioris eſſe ad ſectionem eius trunci, vt 37 ad 15: adeoque preſſiones ſunt, vt 225 ad 1369: preſſiones ergo parietibus arteriarum illatae continuo a corde ad extremas arteriolas intenſitate decreſcunt, quod ipſarum pulſus decrementum ſatis indicat.

141. Pulſatio arteriarum eſt effectus colliſionis ſanguinis, (vt patet ex *Theor. pulſus*,) qui cum velocius ſubſequatur, quam alter antecedit, colliſionem patitur, et ad latera diffluit, et ea colliſio eſt in ratione vis emboli prementis, et duplicata velocitatis reſpectiuae.

142. Verum quoniam immiſſaria venarum ſunt emiſſaria arteriarum, et ea comperta ſint vigeſies anguſtiora, quam truncus aortae, ea a fortiori erunt anguſtiora, quam venae cauae vtriuſque emiſſaria. Si itaque ſine vlla reſiſtentia fere in auriculas,

et caua cordis, venae patulo orificio ſuum fluidum continuo infunderent, illae e ramis vicinis veluti exſugerent, et in ſe raperent ſanguinem (ex 131), et experim. *D. Bernoulli Hydrod.* pag. 264.

143. Nam in hoc caſu preſſio in ſuctionem mutatur; non mirum itaque, ſi venae pulſu ſaltem procul a corde deſtituantur, licet aliqualis ſit in auriculis reſiſtentia.

144. Tam pulchra et admiranda eſt haec preſſionum atque pulſationum theoria ad *D. Bernoulli* referenda, vt huius exponendae finem numquam facerem, niſi illis, quibus exoſa eſt Geometria, faſtidium crearem. Sufficiat itaque monuiſſe, quod obſtructa aluei ſanguiferi parte, vel imminuto emiſſario, etiamſi vis cordis eadem remaneat, pulſatio vaſorum paululum maior euaſura ſit; ſed hanc cauſam ne nimium verbis amplificent Medici, qui vires motrices nihili faciunt.

145. Arteriolae inteſtinorum maiores, quas pro exemplo ſumere liceat, non habent pro interna diametro magis, quam lineae partem decimam in ſyſtole, aorta vero habet 10 lineas; ſint earum dilatationes in pulſatione, vt natiuae diametri, et aortae altitudo inter pulſandum creſcat vna linea, iam arteriolae inteſtinalis diameter a pulſatione creſcet vna centeſima lineae parte. His poſitis, obturetur penitus arteriola, preſſio totalis cordis in vaſa penitus obturata eſt ad preſſionem in vaſa, naturaliter patula, vt 400 ad 399 (ex art. 134); ſed pulſatio, id eſt, dilatatio arteriarum, eſt effectus preſſionis lateralis ſanguinis, adeoque illi proportionalis; ergo quantitas abſoluta, qua creſcet, erit $\frac{1}{40000}$ pars lineae, et in arteria carpi, aut aliis lineae vnius diametro, $\frac{1}{4000}$ pars lineae, cet. Tota ſunt vt partes, aiunt Arithmetici; ergo viſcera, glandulae, ſimilibus vaſis conflatae, hac de cauſſa creſcent tantum $\frac{1}{4500}$ ſui parte.

146. COROLL. Verum in quantum iudicare licet ex pulſatione panaritii, aut ſimilis phlegmones, multo eſt maior pulſatio arteriolarum in inflammatorio tumore, quam $\frac{1}{400}$ pars ſuae diametri; ergo non ſolum ex adaucta velocitate reſpectiua, ſed etiam ex viribus emboli (adeoque cordis) adauctis, in hoc caſu pulſus eruendus eſt, ita et tumor. Vide *Theor. tumor.* claſſ. I.

De Tenſione.

147. Sit chorda flexilis et elaſtica B A C [Tab. XI. *fig.* 3.], punctis B et C affixa, quae flectatur pondere nunc minori p, nunc maiori P: inflexiones erunt vt ſagittae, A d, A D; et productiones ſeu quantitates quibus a diuerſis ponderibus elongabitur chorda, erunt inter ſe vt ſagittarum A d, A D quadrata.

148. Productiones d e, D E, vocentur e et E, ſagittae vero A d, A D vocentur f, F: hoc venit demonſtrandum e : E = ff : F F.

Ex puncto C, velut ex centro et interuallo dimidiae fibrae C A, ducatur ſemi-circulus A e E. Si ex puncto D extra circulum ducantur ad ipſum tangens D A et ſecans D C, tangens D A eſt media proportionalis inter ſecantem integram D C et eius partem D E extra circulum, vt oſtendunt Geometrae; adeoque C D : A D = A D : D E. Et ſi radius C A vel C E vocetur R, atque A D, A d ſint F, f; et extenſiones chordae D E, d e, ſint E, e, hinc fiet vt R + E : F = F : E; et R + e : f = f : e; adeoque F F = R + E × E et ff = R + e × e; ſed ſi ſagittae vel inflexiones minimae ſupponantur, productiones e et E velut infinite paruae, poſſunt cum radio A C collatae pro nihilo haberi, et tunc temporis F F : ff = R + E : R + e, et diuidendo per R ac inuertendo E : e = F F : ff. Quod erat oſtendendum.

149. Experimentvm. Si chordae B C rectae et tenſae applicentur vires flectentes, ſeu pondera P, vel p, ſagittae A d, A D erunt inter ſe vt radices ponderum.

150. Coroll. Adeoque ſi pondere vnius librae chorda inflectatur, et a recta linea recedat ſpatio vnius lineae, opus erit quatuor libris, vt inflectatur ad duas lineas; nouem libris, vt ad tres lineas, cet: *Phyſiol. Elem.* n. 55.

151. Coroll. Vidimus inflexiones, ſeu ſagittas eſſe vt radices productionum (art. 148.), verum (ex 149.) illae etiam ſunt vt radices virium flectentium; ergo productiones chordarum factae a diuerſis viribus ſunt, vt vires inflectentes; *s'Graueſande* §. 407.

152. Coroll. In vaſis corporis fibrarum circularium longitudines debentur preſſionibus fluidorum tranantium; nam vi ſanguinis explicantur oui vaſa, et illae longitudines conſtituunt

vaſis circumferentias, quae ſunt inter ſe vt radices ſectionum, ſeu amplitudinum, adeoque vires inflectentes, quae ſunt vt elongationes (147), ſunt vt radices amplitudinum vaſorum.

Tenſiones fibrarum eo maiores aeſtimantur, quo reſiſtunt magis ſuae inflexioni, adeoque quo maioribus viribus preſſae, minus inflectuntur; vnde ſi aequalis ſit vis premens, tenſiones ſunt eo maiores, quo ſagittae minores ſunt. Et ſi ſagittae ſunt eaedem, tenſiones eo ſunt maiores, quo vires inflectentes ſunt maiores, docente experientia.

153. Coroll. Si ſint phlegmonodei tumores diuerſae altitudinis ſupra cutis libellam effloreſcentes, euidens eſt, ſagittas eſſe his altitudinibus aequales; at data eadem partium elaſticitate, vbi tumor eſt duplo altior ceteris paribus, vis ſanguinis eſt quadruplo maior.

154. Coroll. Si eadem vis ſanguinis duas partes vrgeat, et eae ſint inaequaliter tumidae, quae magis eſt tumida minus tenſa fuit ante tumorem, quam altera. Si pars vt perioſteum, tendinea calyptra, aponeuroſis, ſit triplo magis tenſa, quam altera, et ad duplo maiorem altitudinem ſimul intumeſcat a vi ſanguinis, illa vrgetur vi duodecies circiter maiori.

155. Pilis ſimilis craſſitiei, et aequalis longitudinis diuerſa appendi pondera, et 1° inueni (iuxta 147) eorum productiones eſſe ponderibus appenſis proportionales; 2° maximam, quam intra paucos dies patiebantur elongationem, ante rupturam, eſſe vigeſimam quintam priſtinae longitudinis partem; 3° ſucceſſu temporis creſcere aliquantulum elongationem.

156. Coroll. Cum ſucceſſu temporis creſcant productiones fere vt tempora, et quamdiu producitur chorda inſenſibiliter, remouetur ruptionis periculum; ſi ſubito diſtrahatur ad maiorem quam 25^am ſuae longitudinis partem, ea ſoluetur; tutius eſt ergo eam ſenſim magis magisque diſtrahi.

157. Coroll. Calore, trigeſimum quintum gradum non ſuperante, fibras produci vidimus, minore vero, vel maiore, decurtari; docet praeterea experientia, longiores longius diſtrahi poſſe [*s'Graueſande* 408] citra rupturae periculum, breuiores vero minus; ergo tutius eſt, calorem in tumore inflammatorio naturali paulo maiorem eſſe, tum vt minuatur tenſio, tum vt vaſa magis libera euadant, minusque ſit rupturae periculum.

De Dolore.

158. Dolor eſt idea moleſta, raro ex imaginatione, frequentius ex ſenſatione oriunda, periculo ruptionis fibrarum neruearum proportione reſpondens.

159. Quo diuturniori tempore producuntur fibrae, eo (155) magis elongantur, imo nutritionis ope roborantur in animali viuente; ergo eo minus eſt rupturae periculum, minorque dolor, quam ſi breuiori temporis ſpatio tantumdem producantur.

160. Quo magis accedit productio, pari tempore, ad maximam, quae rupturae quam proxima ſit, diſtractionem, eo maius eſt periculum, quod ſequitur in hoc caſu vires producentes, et inflexionum quadrata (148); vnde dolor maior, et vice verſa.

161. Quo fibrae ſunt magis tenſae, eo magis accedunt ad maximam illam, quae rupturae proxima eſt, productionem; adeoque a pari inflexione maius eſt periculum, dolorque maior, et vice verſa.

162. Quo craſſior eſt denſiorque fibra, eo maiores vires adhibendae ſunt ad eam aequaliter producendam in ratione compoſita ex duplicata diametri, et ſimpla denſitatis; ergo tanto minus eſt rupturae ab iisdem cauſſis periculum, et vice verſa.

163. Quo magis eſt meticuloſus, delicatulus, molliter educatus, puſillanimis homo, eo magis ſibi timet a quocumque periculo, eoque magis attendit; aſt ſenſatio et imaginatio eo viuidiores ſunt, quo viuidior eſt attentio, adeoque et dolor.

164. Coroll. Dolor eſt in ratione compoſita ex directa virium diſtrahentium, virium, fibram prius tendentium, attentionis animi, et inuerſa temporis, craſſitiei et denſitatis fibrarum, ac (*s'Graueſande* 409) ex inuerſa natiuae fibrarum longitudinis.

165. Docet experientia, numeros vibrationum fibrarum intra datum tempus eſſe in ratione compoſita ex ſubduplicata virium tendentium directa, et ex inuerſa longitudinum ac diametrorum (*s'Graueſande* cap. 14). Si doloris acumen ſit vt tonus, dolores eo *acutiores erunt*, quo radices virium tendentium maiores, et longitudines fibrarum, ac earum diametri minores, et erunt *grauiores* vice verſa. Verum ad dolorem requiri fibrarum neruearum vibrationes tremulas, eſt falſum, cum non ablata vi premente fiat dolor, nequaquam vibratio.

166. Coroll. Sit arteriola (C D E) (f. 1.) obturata, vel in extremo (E) ligata; ſit (D/e) ramus alter patulus et liber, huic aequalis, ſupponimus, emiſſarium vtrumque (E e) ſimul eſſe minus immiſſario (c) in ratione, qua vis, vt 1 ad 20: quaeritur, quanta erit poſt obturationem fluidi velocitas, vaſis dilatatio, et alterna conſtrictio?

167. Reſpondeo: 1° vim fluidi, orificium liberum (e) tranantis, fore ad vim eius ante obturationem, vt $\frac{1600}{1599}$ H, ad $\frac{400}{399}$ H, ſeu vt 6396 ad 6384. ex *Hydrodynam.* ſect. 5. pag. 95. adeoque velocitatem fore, vt 79. 97. ad 79. 64. Si vis cordis eadem remaneat, illae velocitates ſunt ut 1004 ad 1000, ſeu vt 251 ad 250.

2°. Quoniam demonſtrauit experientia, et *s'Graueſande* de legibus elaſticitatis, §. 407, eiusdem fibrae productiones diuerſas eſſe inter ſe, vt vires producentes; fibrarum circularium vaſis longitudo poſt obſtructionem erit ad longitudinem priſtinam, vt vis premens ſanguinis poſt obſtructionem ad vim priſtinam eius, ſeu vt 6396 ad 6384, quod eodem recedit ac 1005 ad 1000 ſeu 201 ad 200. Verum amplitudines vaſorum ſunt inter ſe vt peripheriae quadratae ex Elementis Geometr. ergo amplitudo vaſis ex obturatione erit ad priſtinam amplitudinem, vt 101 ad 100.

168 3°. Si ſanguis eadem iugi velocitate ad arterias appelleret, euidens eſt, eas, ſemel dilatatas, numquam elatere ſuo reſtitutum iri; nam remanente eadem vi premente elateria non reſtituuntur: *s'Graueſande* Leg. elaſticit. §. 306. Aſt cum ſanguis maiori velocitate appellat in arterias, durante ſyſtole cordis, quam in eius diaſtole, tum quia vis impulſiua cordis eſt maior, quam vis arteriarum, demonſtrante *Schreibero* Elem. medic. mathemat. tom. 1, pag. 335. tum quia minores ſunt affrictus reſpectu columnae in arterias fluentis in ratione diametrorum, debent arteriae, per diaſtolem diſtractae, vi elaſtica ſua reſtitui, cum intermittit motus cordis; atque differentia velocitatum et in diaſtole, et in ſyſtole, eſt vt differentia radicum virium cordis et arteriarum, cuius differentiae menſuram ignoramus.

169. 4°. Scimus tamen, eadem lege reſtitui arteriam caecam extremo ſuo obturatam [D E], ac reſtituitur truncus, et ipſum cor, adeoque in caſu allato duplo tardiorem ſolito fore arteriae caecae reſtitutionem, ſi vires cordis non creuerint; aſt ratione preſſionis adauctae quidpiam eſt addendum; nam ſi ratione preſ-

ſionis adauctae non tanta proportione dilatatur orificium liberum, quanta in omnem ſenſum diſtenſa retinetur arteria obſtructa, creſcet tarditas reſtitutionis in ratione differentiae, quae eſt inter hanc dilatationem orificii et preſſionem vaſorum.

170. 5°. Verum orificiorum amplitudo poſt obſtructiones eſt ad amplitudinem priſtinam vt 101 ad 100, et preſſio eſt vt 201 ad 200, ſeu $\frac{1}{200}$ parte maior, adeoque tantumdem tardior erit vaſis caeci reſtitutio ex hoc ſolo capite. Ergo tempus reſtitutionis arteriae [DE] obſtructae erit ad tempus reſtitutionis ante obſtructionem, datis iisdem cordis viribus, vt 401 ad 200.

[Breuibus te moneam b. l., pluribus in Supplem. aliquando, dolorem ſibi vindicare maximam attentionem in phlegmaſiis. Eſt enim earumdem *tum* cauſſa, *tum* effectus, vt egregie et obſeruauit et clinice expertus eſt Cl. *Sarcone*, qui dolores, phlegmaſias praeſagientes, opiatis caute compeſcens et his ſublatis phlegmaſias cauit. Itaque ad eſſentiam phlegmaſiarum magis referas dolores, et magis anodyniam, aut dolorum vices ſuſtinentia, ſymptomata aeſtimes.]

De Tumore.

171. Cutis eſt inter duas potentias, ſibi mutuo contranitentes, vim ſcilicet ſanguinis, qui a centro ad circumferentiam vrget, adeoque cutem, et viſcerum membranas dilatare nititur, et vim elaſticam propriam inhaerentem, ambientis aëris preſſione adiutam, quae corpus et ſingula viſcera in minus ſpatium continuo redigere conatur.

172. Membrana determinatae figurae et magnitudinis, quae fluida hinc et inde prementia patitur, aut viribus oppoſitis preſſa eſt, ſuam *figuram* eatenus ſeruabit, quatenus vndequaque introrſum, vel extrorſum, aequabiliter, et ſuam *magnitudinem* quatenus tam introrſum, quam extrorſum, viribus aequalibus vrgetur, et ablato virium antagoniſtarum aequilibrio mutabit. Brachium in antliam immiſit *Boyle*, illud illico intumuit, extractum vero detumuit; animalia, poma rugoſa, in vacuo intumeſcunt, in aëre dein detumeſcunt; partes ſub cucurbitula, arteriae laxatis, deraſis tunicis intumeſcunt, fortius preſſae detumeſcunt, cet,

173. Ad tumorem quemuis in corpore humano producendum neceſſe eſt, vt vires contentorum, vel relatiue, vel abſolute, maiores euadant: vires contentorum abſolute maiores euadunt viribus partium continentium, ſi, poſterioribus non mutatis, ſanguis violentius vrgeat, fluida maiori impetu rareſcunt.

174. Vires contentorum relatiue maiores euadunt continentibus, ſi, prioribus non mutatis, partium continentium vis contractiua tum muſcularis, tum elaſtica, tum tonica minuatur, aut etiam, ſi aëris ambientis, faſciarumque, preſſiones decreſcant; mutatis ambabus viribus antagoniſtis, fit tumor, ſi vires contentorum creſcant in maiori ratione, quam vires continentium, et ſi vires continentium decreſcant in maiori ratione, quam vires contentorum.

175. His poſitis ad tumorem inflammatorium producendum abſolute neceſſe eſt, vt vires contentorum creſcant in maiori ratione, quam vires continentium.

176. Nam ad tumorem inflammatorium requiritur 1° calor intenſus, qui cum a cauſſis internis, vt ab attritu fluidorum et ſolidorum, pendet, eſt vt quadratum velocitatis reſpectiuae, ſeu vt vis colliſionis corporum. 2° Requiritur rubedo intenſior, quae fit in corpore, dum ſanguis maiori niſu et impetu vaſa diſtendit, et ſubit. 3° Requiritur maior tenſio, quae viribus flectentibus reſpondet. 4°. Requiritur dolor, qui, ceteris paribus, eſt vt vis vaſa flectens et diſtrahens; augentur effectus, ergo et cauſae. (-?-)

177. Proindeque ſi fiat tumor ex eo, quod laxatae ſint membranae fluida vel ſolida continentes, minor erit 1° calor; nam calor, ceteris paribus, creſcit vt denſitas, et tenſio partium ſeſe atterentium; 2° minor erit rubedo, aut ad nigredinem verget, vt in varicibus, ecchymoſi; 3° minor tenſio, vt per ſe patet; 4° minor ſenſus, quae omnia maiori, vel minori gradu obſeruantur in tumoribus, quos frigidos dicunt.

178. Iam ſi tantum adaugeatur in quadam parte ſanguinis niſus et impetus, ceteris eodem modo, quo prius erant, in ſtatu ſano permanentibus, exceptis effectibus neceſſariis, ſequetur maior colliſio fluidorum et ſolidorum; nam reſpectiua velocitas maior erit ſolito, adeoque attritus, ſeu colliſio, cui praeciſe tribuenda ſunt generica inflammationis phaenomena.

179. Vidimus, vaſa ab obturatione non magis, quam $\frac{1}{100}$ ſui parte ampliari, ergo nec glandula, nec muſculus ex obturatione magis, quam $\frac{1}{100}$ ſui parte creſcere poteſt; verum inde non fit tumor ſenſibilis inflammatorius; requiritur ergo, vt vis cordis ſolito maior euadat ad tumorem ſenſibilem inflammatorium efformandum.

180. Tumor inflammatorius glaber eſt et vniformis, non vero, vt cancer, exaſperatus, adeoque vaſa licet inaequalia partem inflammatam conſtituentia proportionaliter ad ſuam natiuam diametrum diſtenduntur; ſi enim minima non diſtenſa forent, tunc maiora extus protuberarent, vnde tumor inaequalis eſſet.

181. Phlegmones ſunt tumores ſphaeroidei, in quorum centro calor eſt intenſior, et quorum apex maioribus diſtractionibus eſt obnoxius: calorem in centro intenſiorem eſſe, vbi maior eſt preſſio, et minor partibus vicinis caloris communicatio, facile poteſt euinci; aſt, tenſionem in apice maiorem eſſe, non ita euidens eſt. Hoc autem ſic intelligi poſſe, puto; concipiamus fibras, cuti perpendiculares, quarum ope ipſa cuticula, reticulum Malpighii, cutis, adeps, cet. ſibi inuicem connectuntur, quales ſunt fibrillae nerueae, vaſa perſpiratoria, pili, cet: illae et ſimiles inaequaliter diſtractae ſunt in diuerſis tumoris ſectionibus ad cutim perpendicularibus, adeoque quae ad apicem pertingunt, ſunt omnium maxime elongatae et diſtractae in ratione ſublimatis ſuae.

182. Si itaque calor, attritus, et fibrarum ruptio ad ſuppurationem concurrant, vt certum puto, debet potiſſimum in centro, et ex illo ad apicem iuxta axin tumoris primum fieri ſuppuratio, ſi cetera ſunt paria, quod experientia confirmat. Si vero concipiamus, tegumenta varia eſſe lamellas tumoris concentricas, quae prius erant planae, euidens eſt, eas magis elongatas eſſe, quae magis a centro ſunt remotae, cum in maioris diametri curuam fuerint intra duo puncta inflexae; verum ſunt ipſae textus tenacioris, quam partes internae; ergo, licet magis ſint diſtracta tegumenta ipſis partibus contentis, fieri tamen poteſt, vt tardius diſrumpantur, inde fit, vt cutis ſaepe ſit integra, cum mucro tumoris pure iam albicat, intus latente; ex hac maiori cutis tenſione ſequitur, vt ea doloris acrioris ſedes futura ſit.

183. Cutis eſt magis tenſa, quam partes interiores tumoris, adeoque vaſa cutanea magis compreſſa, et fluida, cutim irrigantia, potiſſimum vero eius apicem, difficilius circulantur; aſt ſi propter violentiam preſſionis ibi moram trahant fluida, et defectu ſufficientis temporis, vis pulſatilis, aut caloris in ſuppuratum non abeant, ea putreſcant, neceſſe eſt; nam ſanguis, circulatione, et ideo ſecretione, non repurgatus et quieſcens, ibi putreſcit citius, vbi calor eſt maior, nec tamen exſiccans nimium; verum putrefactione nigreſcit, ſoluitur, fluidior fit ſanguis, ſolida vicina pariter laxantur, remolleſcunt, tonum, ſenſum, calorem natiuum amittunt, fit ſphacelus, qui in mucrone phlegmones primum debet enaſci; ſiue extus validius preſſa fuerit pars, vt circa fracturas accidit, ſiue grauioribus onuſta cataplaſmatis, ſiue frigore, acidis applicatis fluida in tumoris apice fuerint coagulata, vt aceto, calidiſſimo eryſipelati admoto ſaepe fit.

De Febre.

184. Quantitas ſanguinis, a corde in arterias eiecti, eſt earum reſiſtentiis reciproca, ſi vires truſiles eius pares fuerint; aſt obſtructa parte aluei, reſiſtentia, ſanguini et cordi oblata, eſt vt obſtructio, quae ſi dimidia totius aluei ſit, dimidio minorem, dato tempore, facit ſanguinis a corde eiectionem, adeoque pulſus cordis dimidio minor eſt.

185. Verum quod de corde, vt praecipuo embolo dictum eſt, de arteriis intelligitur: illarum enim pulſatio ſanguini, a corde immiſſo, debetur, et in ſtatu permanente eſt vt earum conſtrictio, atqui quantitas, qua arteria conſtringitur, eſt praeciſe aequalis quantitati ſanguinis eo ipſo tempore in venas expreſſae, adeoque poſitis emiſſariis, dimidio minoribus, illa conſtrictio dimidio minor eſt. (cf. *Marherr* prael.)

186. Quamdiu velocitas in emiſſariis arteriarum minimarum eadem eſt, et tranat copia ſanguinis, illorum amplitudini proportionalis, tamdiu vis cordis eſt eadem; nam velocitates fluidorum in vaſorum ſectionibus, aut orificiis effectiuis minimis, ſunt inter ſe vt radices virium prementium; verum ſi arteriae, quarum fines dimidio ſunt anguſtiores, quouis ſecundo temporis ſemel pulſent ad altitudinem vt duo, ſiue bis ad altitudinem vt vnum, eadem, dato tempore, eadem emiſſaria, tranat ſanguinis

quantitas, ſcilicet conſuetae dimidia; ergo cum velocitates ſub iisdem orificiis et temporibus ſint vt quantitates transfluentes, eadem prorſus eſt in emiſſariis velocitas ac vis in embolo.

187. Si itaque tantum amittit pulſus in altitudine, quantum adquirit, datis obſtructionibus, in frequentia, non creſcit velocitas ſanguinis, in venas transfluentis, quam tamen adaugendam eſſe, vno ore confitentur fere omnes, ad febrim conſtituendam; febris ergo, quae in ſenſu veterum eſt lucta, ſeu vis maior naturae, materiam morbificam atterere, aut expellere, omni ope molientis, non ex frequentia ſola, ſed ex frequentia et altitudine ſimul pulſuum, ſolito maioribus, eſt deriuanda.

188. Frequentiam pulſus ex mechanicis legibus nemo huc vsque deducere potuit, niſi ad cauſſam motricem, iteratis vicibus agentem, nec mechanicam confugiat; quo magis obturantur arteriarum emiſſaria, eo tardior eſt columnarum in maioribus arteriis fluentium motus, et eo pariter tardior, non vero frequentior, harum et cordis contractio. Qua vero de cauſſa frequentior fiat, hoc alibi indicatum putamus. (*Theoria Febris*, claſſ. 2.)

189. In morbis inflammatoriis eſt pulſuum altitudo et ſimul numerus, vel productum ex vtroque maius, quam ex virium muſcularium gradu exſpectandum eſſet.

190. Si omnis potentia motrix animalium eis ſit vel ad motum cordis, vel ad motum aliorum corporis muſculorum adhibenda, quo maior eius pars in cordis vi impendetur, eo minor in muſculari vi ſupererit potentiae. In quocumque gradu ſit potentia motrix totalis, eadem remanebit inter muſculares et vitales vires ratio; ſi alterutra maior euadat, hoc alterius diſpendio fiet. Initio quidem morborum integra eſt, et maior potentia motrix, in fine minor; nam ex labore aſſiduo minuitur, adeoque in quocumque gradu ſit potentia motrix, ſi maiori ratione creſcant vires vitales, quam vires muſculares, ſignum eſt, intendi ſimul vires eius motrices in maiori ratione, quam ex viribus muſcularibus foret exſpectandum.

191. Si exceſſus virium, a corde abſumptarum, ſit notabilis et aſſiduus, potentia motrix imminuetur, vt a labore alio muſculari aſſiduo diu noctuque perſeuerante; et quo maiores exſerentur vires, ſimulque minor erit potentia motrix, eo labor erit periculoſior, et potentiam motricem citius exhauriet, vnde mors.

O

192. His poſitis tota febris intelligitur theoria. In hac ſcilicet vires cordis intenduntur notabiliter, et ſi febris aliquamdiu perſeueret, labor cordis eſt notabilis, vnde vires muſculares tanto minores euadunt, et potentia motrix tandem exhauritur.

193. Vis cordis requiſita ad eamdem, quae in ſtatu ſano, promouendam ſanguinis copiam, datis obſtructionibus, eſt in ratione duplicata reciproca emiſſariorum; itaque ſi emiſſaria in febre ſint tertia pars emiſſariorum in ſtatu ſano, vt ſolita circuletur ſanguinis moles, vis noncuplo maior requiritur. Verum ab illa vi noncuplo maiore pulſus altitudinis et frequentiae productum idem erit, ac in ſtatu ſano, et vel febrim malignam, vel nullam, adeſſe pronunciarent plures Medici.

194. Adeoque vt productum ex frequentia per magnitudinem pulſus conſueto maius ſit, requiritur etiam maior, quam noncupla, virium cordis impenſa. Sit frequentia duplo maior eadem poſita pulſus altitudine, quae in ſtatu ſano, in caſu obſtructionis recenſitae vires cordis erunt neceſſario quater maiores prioribus, id eſt, trigeſies ſexies maiores; et ſi, vt accidit, tunc ſimul pulſus altitudo duplo maior euaſerit, adhuc quadrupla prioris erit vis cordis ſeu 64 vicibus maior; nullus autem eſt labor voluntarius, qui ad hunc gradum accedens poſſit diu noctuque continuari citra periculum et laſſitudinem; non mirum itaque, quod in febribus laſſitudo et periculum accedant.

195. Hinc intelligitur, quorſum a maxima et acutiſſima febre cito aegri moriantur, cum virium impenſa tanta eſt in ſpatio breui, vt in multo maiori ratione amittantur, quam reſarciantur; non poſſunt autem reſarciri tanta proportione in labore febris, quanta in labore voluntario, cum etiam noctu et inter ſomnum perſeueret labor febrilis, nec tantas digeſtio et chyli prouentus in ſanguinem, viribus ad cor diſtractis, et a ventriculo reuulſis, poſſint ſuppetias afferre, quantas in labore voluntario, qui pluries refectione cibali et quiete reparatur.

196. Ex dictis explicantur bene multa paradoxa prius theoremata: qui fieri poſſit, vt, cum conatus cordis ſint maximi, reſpectu virium potentiae motricis ſuperſtites, in ſe tamen et abſolute minimi ſint, quod in agone mortis docet pulſus exilitas. Qui fieri poſſit, vt, cum frequentia pulſus eſt maxima, pericu-

lum mortis ſit maximum, vt in peripneumonia et pleuritide deſperata, quantumuis exilis ſit pulſantis arteriae altitudo.

197. Cur in praeludio morborum inflammatoriorum, pulſus per aliquot dies languidus ſit, paruus, interea ſimul vires muſculares langueant, functiones animi torpeant, animus ipſe aegre ſe habeat. Cur metus, anxietas, capitis grauitas, corporis vacillatio, agrypnia, vertiginoſae perturbationes, vel ſomnolentia, faſtidium omnium rerum, inappetentiae, turbulenta inſomnia, morbos illos praenuncient.

198. Qui febris illico ſaepe euoluatur, licet haud dubium ſit, quin materiae morbificae prius in corpore exſtiterint, rigores, horrores, intercurrentes, frigus procrearint; qui adeo ſubitus eſt morborum inſultus, vt aegri velut e caelo percuſſi viſi ſint Veteribus, vt in apoplexia, epilepſia. Cur vires vitales ſenſim ad vſque morbi vigorem intendantur, et aliquam cum periculo, vel materiae morbificae viribus, proportionem ſeruent. Quaenam ſit cauſſa, quae tot motus in corpore de nouo procreet inuitis reſiſtentiis, quae maximam eius motus partem exſtinguunt.

199. Ex decem virium partibus, quae ſanguini in arterias mouendo impenduntur, vnica pars in venis ſupereſt, in ſtatu ſano, vt in theſi *de natura rediuiua* demonſtratum eſt. Verum vbi maior eſt actio et colliſio, vt in febre inflammatoria, ibi maior eſt iactura virium, quae, ſi moles mouendae aequales ſint, ſunt inter ſe vt quadrata velocitatis reſpectiuae, demonſtrante *s'Graueſande de Colliſione* n. 335.

200. Cum itaque vis cordis, poſitis obſtructionibus, 64 vicibus ſolito maior eſt, ſi pulſus ſit duplo maior ſolito, ſimulque duplo magis tenſa arteria, et duplo magis frequens pulſatio, demonſtrari facile poteſt, iacturam virium eſſe octuplam illius, quae fit in ſtatu ſano, cum colliſio octuplo maior ſit.

201. Data eadem particularum ignearum copia, quo maior eſt calor, eo maior eſt colliſio; verum iactura virium colliſioni reſpondet (*s'Graueſande* §. 338.); ergo quo maior eſt calor a colliſione, eo maior eſt virium iactura: adeoque ab inflammatorio morbo, cum vires actuales ſumme exſerantur, potentia motrix maxime debilitatur; non mirum itaque, quod conualeſcentes a pleuritide, peripneumonia, et ſomno longiori indulgeant, et ab omnibus animi corporisque voluntariis exercitiis abſtineant; et

licet euchyma pluries in die ſumant alimenta, vires integras potentiae motricis recuperare vix poſſint, niſi intra tempus, morbi duratione longius.

202. Reſoluta, ſubacta, expulſa materia morbifica pulſus euadit rarior, minor et mollior, docente experientia.

203. Iudicato feliciter morbo, ſeu correcta, aut eliminata, morbifica materie, febris ceſſat, id eſt, pulſus frequentia minuitur, eius plenitudo ad diametrum naturalem minorem reuertitur; qui tenſus erat antea, iam mollis euadit. Hoc in conualeſcentibus a pleuritide, peripneumonia, febri quacumque acuta quotidie obſeruatur; ſimulque ſenſim vires muſculares prius proſtratae reſurgunt, ſenſim ad conſuetas animi, corporisque functiones aptae euadunt, ac demum cum pulſus ad ſtatum conſuetum omnino peruenit, potentia motrix corporis eſt integra.

204. Si conſeramus ſuperius dicta cum hac vltima obſeruatione, pari iure concludemus, potentiam motricem non alia methodo ſe habituram fore, ſi ſit intelligens, et inutilibus virium impenſis parcat; quippe cum nullum iam inſtet periculum, ablatis ſcilicet circulationis repagulis, ea non velocius, vt in meris machinis, ſuos motus exſequatur, ſed e contrario tardius, rarius, et parcius vires ſuas exſerat; easque, ſi altera vrgeat neceſſitas, ad debellandas morbificas cauſſas praeſto effundendas reſeruet.

De cauſſa Inflammationis.

205. Quo intenſior eſt caloris gradus, quo dolor acutior, tenſio maior, tumor grandior, et rubedo rutilantior, eo maior, intenſior, fortiorque dicitur inflammatio ex vniformi Medicorum loquela, et vice verſa.

206. Cauſſa itaque inflammationis eſt illud, cui proportione reſpondent calor, rubedo, tenſio, dolor, tumor, cet: nam effectus ſunt ſuis cauſſis proportionales. Verum in humano corpore ſanguinis et vaſorum colliſioni proportione reſpondent calor, rubedo, pulſatio, tenſio, dolor, tumor, febris; cum ergo illa omnia phaenomena in parte inflammata intenſiora ſint, quam in parte ſana, *eorum cauſſa eſt* maior ſanguinis et vaſorum colliſio, a ſanguinis niſu et impetu maiori oriunda.

207. In ſtatu ſano calent partes, rubent, pulſant, tenſae ſunt, ſenſu pollent: verum calor in ſtatu ſano a moderata ſan-

guinis et vaſorum colliſione, rubor a praeſentia cruoris in vaſa cutanea impulſi, pulſatio a vi ſanguinis in arterias proiecti, tenſio a preſſione ſanguinis vaſa diſtendentis, ſenſus a vaſorum tenſione pendent. Quid mirum, ſi cauſſis adauctis hi omnes effectus adaugeantur?

208. Aucto ſcilicet impetu ſanguinis in determinatam partem proiecti, 1° exceſſus velocitatis eius ſupra velocitatem columnae antecedentis ſolito maior euadit, vnde velocitas reſpectiua maior, inde colliſio, ſeu attritus maior, inde vero calor intenſior. 2° Verum ſi ſanguis antecedens quieſcat, aut tardius ſolito moueatur, tunc exceſſus velocitatis ſubſequentis ſupra illius velocitatem eſt tanto maior; adeoque tanto maior eſt calor ceteris paribus, quo firmior eſt obex in arteriis potiſſimum poſitus. 3° Quo minor eſt alueus ſanguifer, eo velocior eſt ſanguinis motus; verum in arteriis minor eſt alueus ſanguinis, quam in venis congeneribus, docente Anatomia, et ſanguis ſuarum virium, quas a corde accepit, minorem in arteriis, quam in venis, partem amiſit, ergo obſtructis inde venis, inde vero arteriis, multo maior debet eſſe exceſſus velocitatis ſanguinis arterioſi, quam venoſi, ſupra velocitatem obicis, adeoque maior colliſio, calor, inflammatio. 4° Cum arteriae a corde recedunt, maior etiam euadit alueus, adeoque minor euadit velocitas; ergo ſi cetera paria ſint, minor eſt exceſſus velocitatis ſanguinis, ex illis ad obicem fixum appellentis, quam eſſet in maioribus arteriolis, debiliorque proinde inflammatio. 5° In minimis arteriolis, minor ſanguinis copia tranſit, quam in maioribus: verum inflammationis intenſitas, periculum, grauitas, reſpondet quantitati ſanguinis intercepti; ergo obſtructione ſimili facta tum in minoribus, tum in maioribus, arteriolis, erit maius periculum in maioribus, minus in minoribus.

209. Aucto ſanguinis in determinata vaſa impetu, globuli purpurei, ceteris ponderoſiores, (*Martin Eſſais d'Edimb.* Tom. 2.) impetum acceptum ſerius amittunt lymphaticis, fortius in totam vaſorum internam ſuperficiem impetunt, parietes arteriarum diducunt, ac proinde vaſculorum ora dilatant; ſed eatenus illi globuli minima lymphaticorum vaſa non ſubibant, quatenus minora erant horum globulorum diametro lymphaticorum oſcula, et ad reſiſtentias horum ſuperandas ſufficientem vim non habebant, cum ad ea deuenerant; adeoque dilatatis oſculis, ſuperatis

reſiſtentiis, illi globuli fortius impulſi, fluxiliores etiam facti, debent lymphatica vaſa ſubire, vt docet oculorum rubedo in ophthalmia, et obſeruatio *D. Vieuſſens nouo ſyſtem.* Verum illi globuli e ſex minoribus (?) ſunt conflati, qui ſeorſim lymphatica eiusdem diametri ſubire valent, non vero coniunctim, ea vero ſeparantur tum maiori ſuccuſſu, obſeruante *Leeuwenhoeck*, tum potiſſimum ad bifurcationem vaſorum minimorum, docente *Bellini*, maxime cum a tergo fortius impeliantur; atque ſemel diuiſi globuli ſecundi ordinis ſublutei ſunt, aut pellucidi; ergo qua cruoris forma ſanguis tranare nequit, ea ſub forma lymphae tranabit, vel ſedato ſanguinis impetu in ſuos truncos regredietur; nam eadem vis, quae obſtructo trunci emiſſario fluidum in lateralia vaſa propellit, eo aperto exſugit a lateralibus, ſicque rubor inflammatorius aucta vi ſanguinis intenditur, ea imminuta imminuitur.

210. Aucto ſanguinis impetu in determinata vaſa, plures globulos ſimul ſecundum vaſis diametrum ſeſe orificiis, continuo anguſtioribus, offerre, docet Anatomia; verum quo plures ſeſe his anguſtiis ſimul offerunt, eo plures ſunt caſus, in quibus ſibi ipſis viam praecludere queant (demonſtrante *Bellini* in Opuſc.) adeoque obſtructionem pariant, aut transfluxui ſubſequentis ſanguinis reſiſtant; verum hoc poſito, vel non poſito, maior erit ſemper diffluxus ſanguinis ad latera, maior vaſorum extrorſum vergens preſſio, adeoque maior viuidiorque pulſatio, maior fibrarum omnium tenſio, maior ſenſibilitas, quae dolor eſt in maiori gradu, maior tumor, vt euidens eſt. Ergo ſanguinis in data vaſa adaucto impetui, ſimulque maiori inde neceſſario oriundae colliſioni proportione reſpondent eſſentialia inflammationis ſymptomata.

211. Augetur ſanguinis impetus in determinata vaſa, et ea ſubit maiori vi, quam alia eiusdem directionis et diametri. In ſtatu ſano ſanguis vaſa, aequaliter a corde diſtantia, aequali angulo ad truncum poſita, et aequali orificio praedita, eadem prorſus velocitate et proinde quantitate ſubit, et eſt in data et certa ratione fluidorum anadoſis in vaſa quaecumque corporis, ita vt v. g. totius ſanguinis, a corde eiecti, pars decima carotidem ſiniſtram, decima ſexta meſentericam ſuperiorem, et ſic alias, ſubeat.

212. Iam vero augeatur vis cordis, et duplo maior quan-

titas ſanguinis, quauis eius contractione, in arterias proiiciatur, ſi eadem ſuperſit ratio ſanguinis, carotidem et meſentericam ſubeuntis, quae erat in ſtatu ſano, vtraque duplo maiorem ſanguinis copiam accipiet, ſed ſemper carotis decimam, et meſenterica decimam ſextam partem ſanguinis, a corde eiecti, recipiet, vnde non adaugebitur impetus ſanguinis in illa determinata vaſa, in maiori ratione, quam in alia.

213. Verum ſi carotis v. g. iam nonam ſanguinis partem accipiat, cum meſenterica pro ſolito more decimam ſextam aut decimam ſeptimam tantum accipit, tunc temporis dicimus impetum, et ſanguinis diſtributionem fieri in ratione maiori, determinata ad carotides, quam ad alia vaſa: hoc autem in oeconomia animali fieri ſupponit noſtra propoſitio.

214. Docet obſeruatio, verecundiâ affectis faciem illico rubore ſuffundi, cum pectus, manus, ceteraeque partes eiusdem fere coloris ſunt, ac ante verecundiam, docet et hanc rubedinem flammae aut halitus calidioris forma ſubito diſpergi; verum ſubita rubedo cum aliquali calore genas non poteſt afficere, niſi ſanguis vlterius in vaſa cutanea faciei, ac proinde carotidum ramos maxillares dictos, irruat; ſi enim a laxatis horum vaſorum oſculis minueretur reſiſtentia, non adaucto ſanguinis impetu, nulla daretur ſolito maior colliſio, nec maior calor, nec ita ſubito fieret rubedo: adeoque ab adaucto in vaſa genarum ſanguinis impetu pendet hoc phaenomenon.

215. Iam vero ſi aequali paſſu creuiſſet in omnia vaſa indiſcriminatim ſanguinis impetus, nulla foret ratio, cur praeciſe genae, non vero aliae, corporis partes, ruberent; cum autem effectus ſuis cauſſis reſpondeant, nec vlla rubedo ſolito maior in aliis partibus appareat, non eſſe maiorem ſolito in aliis vaſis cutaneis ſanguinis impetum, concedendum eſt: adeoque ſanguinis impetus in vaſis determinate certis maiori ratione creſcit, quam in aliis.

216. Ruborem, a verecundia oriundum, pro exemplo, vt

Nota. Vbi calor et dolor, huc ſanguis vberius effluit, aiebant Antiqui; hoc experimento facile probatur: Obſeruentur vaſcula rubra, quae ſunt in felis viuae auricula, dein digito fortiter prematur, vel igne admoto vratur ea ipſa auris, ac deinceps trans pellucidam illam membranam iterum obſeruentur vaſa rubra, et ea numeroſiora videbuntur.

omnibus notiſſimo, ſumſimus; verum plura ſimilia ſuppetunt, e quibus ſimilem concluſionem elicere pronum eſt. Ex idea cibi iucundi, aut etiam obiecti deſideratiſſimi, ſaliua vbertim in os confluit; ſed ſecretionum quantitates ſunt vt fluidorum excernendorum celeritates ſimul et orificiorum amplitudines, cum eadem remanet in ſanguine humoris ſecernendi ad ſanguinem ratio; ergo alterutrum creſcit, vel ſanguinis ad ſaliuales glandulas appellentis, vel fluidi neruei earum parietes contracturi, velocitas, vel etiam laxantur eorum emiſſaria: ſed orificiorum ampliatio valet tantum excretionem adaugere, vbi adeſt maius orificio illo receptaculum, vt in organis ſecretoriis veſiculoſis, celluloſis, non vero in organis vaſculoſis, quales ſunt ſaliuales glandulae; reliquum eſt itaque, vt fluidorum impetus in determinatas partes ſit adauctus; cum vberius ſubito ſaliua in os confluit.

217. Qui hominum carnificinis interſunt, non raro commiſeratione perciti, ſentiunt in auribus ſubitum calorem cum ſibilo, et aures ipſis intenſius rubent, quod eſt breui ſecuturae lipothymiae prodromus. In iracundiae ſummae impetu ſunt mulieres, quae dentibus ſtridunt, ſpumant ore, vocem amittunt, ſuffocantur; verum ea omnia fluidi neruei in horum organorum neruos, vel ſanguinis in eorum vaſa, impetui maiori debent adſcribi, vt conuulſionum et motuum quorumuis docet theoria.

218. Nec quis obiiciat, minorem eſſe in his partibus reſiſtentiam; nam non maiori vi colliderent dentes, nec infrenderent tanta furoris vehementia, cum, qua proportione laxatur muſculorum textus, ea pariter eorum vis et motus imminuitur, ſupereſt itaque, vt maiori vi fluida in determinata vaſa ferantur.

219. In morbis quam plurimis obſeruarunt etiam Antiqui *motus anarrhopos*, ſeu fluidorum in ſuperiora tendentias et impetus, nec non in aliis *motus catarrhopos*, ſeu ad inferiora determinatos, non ex ſimplici et defluxione et lapſu, ſed ex facultate maiori partis amandantis. Sic in apoplexiae ſanguineae inſultu non raro tanto impetu verſus caput defertur ſanguis, vt cum pallet, et friget totum corpus, facies ſubtumeat, intenſe rubeat, oculi extrorſum promineant, caput quaſi faſciis arcte conſtrictum doleat acerrime, ſpaſmodicae faciei diſtorſiones accedant, dein vero apoplexiae ſymptomata ſuperueniant.

220. Sanguinem et fluidum nerueum voluntatis iuſſu in

determinate certos muſculos vberius irruere, norunt omnes; ea fluida imaginationis libidinoſae impulſu in organa aphrodiſiaca ſumma deferri violentia, certum eſt.

221. Imaginationis pariter vi et energia multas inferri mutationes obſtinatiſſimi vix negant Pyrrhonici, qui ea tantum admittunt, quae ſuis principiis conſonare videntur. Sic puella, cuius in brachiis infans phthiſicus inopinato obierat, tantum frigus percepit in altero, cui morientis caput incumbebat, brachio, vt linteis calidiſſimis glaciem, vt aiebat, vix intra triduum diſſoluere potuerit: Vt enim imaginantis animae viuidis pathematis poteſt in certa vaſa vberius ſanguis et fluidum neruenm immitti, ita in aliis caſibus poteſt ab illis reuelli, vt voluntas pro lubitu tendit, vel laxat, artus, vt metus ſanguinem fluentem ſiſtit, et ira vberius profundit. Haec vltima argumenta altioris indaginis ſunt, quam vt ſatis elucidata, multo minus demonſtrata, putemus, atque vt non prorſus inualida addidimus. Ex prioribus autem ſatis comprobatum putamus principium.

222. Aucto ſanguinis in determinata vaſa impetu, colliſionem augeri demonſtratum eſt; aucta colliſione inflammationis potiſſima phaenomena ſuperuenire, pariter certum eſt; ergo cum de facto augeatur non raro in certa vaſa ſanguinis impetus citra praeuiam obſtructionem illorum vaſorum, inflammationem ſeu attritum maiorem, ſine praeuia vaſis obturatione, fieri quandoque conſequens eſt.

223. In omni morbo inflammatorio ſupponere ſanguinem inſpiſſatum, coagulatum, in vltimis arteriolis impactum, quaecumque ſit huius morbi occaſio, ſiue, vt aiunt, cauſſa procatarctica, videtur minus rationi, quam ſyſtematis decori conſentaneum; a frigore ſuſcepto, a fumis acidis mineralibus hauſtis, inflammationem pulmonum oriri tamquam ab occaſionali cauſſa veriſimillimum eſt, licet non demonſtratum, verum a febrilis materiae metaſtaſi, a vociferatione immodica, a feruentis ſanguinis, ſibi per vaſa pulmonaria viam cudentis, impetu, ab acribus alkalinis, fermentatis liquoribus inflammationem exortam ſimili coagulationi deberi, nulla, niſi ex ſyſtemate praeconcepta, ſuadet ratio.

224. Variolam, rubeolam, febrim, a dentitione oriundam, ſupponere validiores impetus ſanguinis ad vaſa vlterius explicanda, ad cutim dilatandam, ad gingiuas lacerandas, ſuadet

euentus; laxata cute, dentibus extruſis, et in aliis febribus dilatatis inguinum glandulis, ad incrementum praeparato corpore, hos impetus ſedari videmus: verum in his omnibus caſibus praeuias obſtructiones ſupponere, ſanguinem ſcilicet glutinoſum, inſpiſſatum, cruditates a primis viis in ſanguinem transfuſas, et ſimilia, ſyſtematum vniformitati potius, quam accuratae veritati, conſulere eſt. A pure reſorpto, arthritica materia, ichore acri, ſcorbutica muria, ſcabioſis miaſmatis, peſtilenti vapore, vaſa moleſtari, irritari, lacerari, poſſe, facile crediderim; verum et neceſſario obſtrui, obturari, vt inde febris et phlogoſis exoriatur, credant Syſtematici.

225. Quippe cum vaſis quomodocumque moleſtatis, irritatis, eadem motrix potentia, quae vires ſuas intendit ad obſtructiones reſerandas, eas pari iure ad corrigendas et eliminandas materias putres, acres, erodentes, quaslibet debeat intendere. Leui tabaci in nares immiſſi ſtimulo, ſternutatio; leui fumo acido in tracheam illapſo, tuſſis, dyſpnoea; grano veneni in ventriculum lapſo, vomitus, diarrhoea, ſuperueniunt, et ad eliminationem morbificae materiae continuo vigent pro potentiae motricis viribus; puluiſculo in oculos illapſo fit continua nictatio, lacrimarum vber prouentus ad eluendum et educendum puluerem; verum illi motus excretorii, et expreſſiui validiores non ſupponunt ſemper factam in his organis meatuum obturationem; ita cordis et vaſorum contractiones validiores non ſemper ſanguinem obſtruentem et ſpiſſiorem aggrediuntur.

226. In ſternutatione aër, e pulmonibus emiſſus, maiori ratione nares impetit, et maiori impetu eas, quam oris cauum euerrit; in tuſſi maiori velocitate aër eiicitur e bronchiis, et in dyſpnoea frequentius dilatatur ac conſtringitur, ſeu pulſat thorax; in vomitu contracto ventriculo quoquouerſum aequali vi premunt et premuntur contenta; interea tamen conſtricto ab eadem potentia motrice, a pyloro verſus oeſophagum determinate promouentur, cet. Arceſſant alii ſympathiam, organiſmum ſingularem, perinde eſt, modo, ſimili pacto in organis ſanguiferis horum fluidorum raptus maiores, horum minores, certos in data vaſa impetus ſieri, concedant.

227. Ex dictis forte explicatur, quare ligato digito, febris et digiti inflammatio ſuperueniant, quare intenſitas inflammationis, non obſtructionum tantum intenſitati, ſed potiſſimum

vigori potentiae motricis proportione reſpondeat, adeoque ſubiecto debili, ſeni, phlegmatico, eadem digiti ligatura minus validam producat inflammationem, quam adoleſcenti, vegeto, ſanguineo, vel bilioſo robuſtiſſimo. Idem de pleuritide, phrenitide, aliisque dictum eſto. Qui in extrema debilitate, et paucis ante mortem horis, ac diebus, febris ceſſet, non raro, ita vt aeger adſtantibus, teſte *Valleſio*, ſanus, ſaluusque videatur. Quo pertinet illud *Galeni* effatum: *cum natura vires ſuas viribus morbificae materiae inferiores perſentit, nunc ne pugnare quidem aduerſus eam aggreditur.* Qui, ſpina tendinibus infixa, validae fiunt huius tendinis et vicinarum partium diſtenſiones, inflammationes, conuulſiones; quem in finem tot conatus. Quare in phlegmone quieſcet motus ſanguinis, ſedetur inflammatio, cum materies morbifica ſuppuratione ſibi fecit emiſſarium, et in eryſipelate cum deſquammata fuit pars, ſeu cuticula, a cute ſeiuncta, atque acres, pruriginoſi ichores emiſſi. Quare in vulneribus hiantibus et non ſatis exſuctis, eatenus perſeueret febrilis conatus, inflammatio, vſquequo ſanguis in vaſis refectis coagulatus, puris forma eiectus eſt, et vaſcula vtriusque labri nimis diſſita in contactum mutuum per elongationem deuenere.

228. Ex dictis colligitur, inflammationem oriri poſſe, ſed leuem et fugacem, a cauſſis externis, vt ab igne admoto, attritu corporis cum aliis corporibus aſperis validiſſimo, vt vidi in puero, qui funem, e campanula praealta pendulum, manibus amplexus celerrime delapſus fuerat; verum propter enatum ſtimulum his ſe internae cauſſae comites adiungunt, ſicque creſcit inflammatio. Idem euenit cum ſanguis pathematum impetu in certas partes defertur, fugax enim et non notabilis inde prouenit tumor inflammatorius, niſi ſimul accedat vel ſtimulus inhaerens, vel obex pertinax: adeoque *non prorſus immerito obſtructionibus eam tribui, ſi tribuatur tamquam occaſioni, non vero tamquam cauſſae efficienti*, nam obſtructionis intenſitati nequaquam proportione reſpondet inflammatio; ſic in ſcirrho obſtructio intenſiſſima eſt, et inflammatio nulla; in ſphacelo ſanguis haeret, vt in cadauere, nec vllus calor, vel dolor exſurgit; iteratis phlebotomiis ſanguis in vltimis vaſis haerens, tenax, impactus nequaquam educitur, cum reſiſtat ipſis vaſorum et ſanguinis ſubſequentis viribus adauctis, interea tamen imminuta cordis vi et

motrice potentia, ſedatur. Adde quod in idea ſanguinis haerentis, quieſcentis, non continetur idea ſanguinis fortius in vaſa arietantis, ea fortius diducentis, velocius atterentis et magis agitati; nec quidpiam in mechanicis debet de alio pronunciari, niſi quod in eius idea clara continetur; ſic etiam ſi, dum ventus nauem impellit, velorum tenſio eo maior fit, quo nauis velocius mouetur, nemo, phyſices principiis vel leuiter imbutus, motum nauis velorum tenſioni tamquam cauſſae efficienti, et proximae tribuerit, licet occaſionalis cauſſae vices gerat; nec pariter licet occaſione aggeris flumen retinentis, et in decliuiorem moletrinam dirigentis, rotae huiuſce machinae moueantur ab aquarum irruentium vi et impetu, nemo, niſi mechanicae ignarus pro moletrinae motore, ſeu cauſſa mouente, aggerem habuerit, qui tantum occaſionem aquarum directioni praebet, quae ab aliis cauſſis, et circumſtantiis pendere poſſet.

229. Sequitur ex dictis, (Claſſ. II, 149 ad 155.) diuerſos eſſe naturae ſcopos in augendis cordis viribus et morbis inflammatoriis excitandis, nec ſemper incuſandas eſſe cum Nuperis vaſorum obſtructiones pro morbifico principio; ſapiens *Sydenham* ſaepius incuſabat ſanguinis craſin vitioſam, ſeu impuritatem tum ſanguinis, tum humorum, a qua corpus humanum expurgare ſeu depurare natura contendit.

230. „Diuerſa mala, quibus obnoxium eſt genus huma„num, partim ab iſtis aëris particulis naſcuntur, quae, cum cor„poris humoribus male conuenientes in idem ſe inſinuauerint, „nudo ſanguini permiſtae, corpus omne morbifico afflant con„tagio; partim a variis fermentationum generibus, vel etiam „putrefactionibus humorum, qui in corpore vltra iuſtum tempus „ideo ſunt commorati, quia ſcilicet iisdem digerendis primum, „dein excernendis, vel ob nimiam eorumdem molem, vel qua„litatem incongruam, ſuppar idem non fuit. Hiſce rerum cir„cumſtantiis ita intime eſſentiae humanae intertextis, compli„catisque, vt nemo quisquam ſe ab aliis in ſolidum queat libe„rare, natura de eiusmodi methodo, ac ſymptomatum concate„natione ſibi proſpexit, quibus materiam peccantem, atque alie„nam, quae totius fabricae compagem aliter ſolueret, e ſuis fini„bus poſſet excludere.“ *Sydenham* pag. 19. 20.

231. „Acutorum alii a ſecreta atque inexplicabili aëris „alteratione hominum corpora inficientis, gignuntur, neque a

„peculiari ſanguinis et humorum craſi omnino pendent, niſi „quatenus occultus aëris influxus dictis corporibus eamdem im„preſſerit. Hi durante arcana illa aëris conſtitutione, nec vltra, „pergunt laceſſere, neque alio tempore inuadunt. *Epidemici* „hi dicti ſunt."

232. „Acutorum alii ab hac, vel illa, particulari corporum „particularium anomalia oriuntur, qui cum a cauſſa magis ge„nerali non producantur, ideo neque plures ſimul corripiunt; „hi inſuper acuti quibuslibet annis, et quolibet anni tempore „indifferenter inuadunt; hos ego acutos *intercurrentes*, ſiue „*ſporadicos* appello." *Sydenham* cap. I. pag. 21.

233. Vtut autem ab *Hippocrate* ad nos vſque non defuerint periti Medici, qui *Ballonii*, *Sydenhami*, *Ramazzini*, cet. inſtar, conſtitutiones epidemicas obſeruationibus neotericis illuſtrare ſategerint, fatendum eſt, eos nequidquam profeciſſe in determinandis miaſmatibus, quae his reſpondentes morbos excitauerunt, et fere pro certo habeo cum ipſo *Sydenhamo*, eorum morborum partem quam minimam a manifeſtis aëris qualitatibus, vt humiditate, ſiccitate, frigiditate, caliditate, grauitate, leuitate, cet. pendere.

234. Nec a poſteriori quid certi deducere poſſumus circa hanc materiem peccantem, ex mutationibus excrementitiorum humorum, qui critico molimine, aut artis opera, foras e corpore demum eliminantur, forma puris, ſquammae, ichoris, bilis, vrinae, fecis, diuerſimode mutatorum, ita, vt in his, communem ignorantiam profiteri, ſapientius ſit, quam hypotheſi determinatae adhaerere.

235. In his anguſtiis minus infida ad cognoſcendam indolem principii morbifici eſt attenta ſymptomatum coëxiſtentium et ſucceſſiuorum conſideratio, et ſpeciei cuiusque morbi hiſtorica cognitio: ex his etenim attente penſitatis non raro, quinam ſint tum felices, tum funeſti modi, quibus terminandus eſt morbus, praeſagimus, qua cognitione in curando ipſo nihil eſt vtilius.

236. Praeconcepta videtur opinio multorum Neotericorum, morbos inflammatorios omnes pendere ab infarctu vltimorum vaſorum partis ob materiam craſſam, imperuiam, illis impactam, qua fit iuxta leges hydraulicas, vt ipſi putant, vt ſanguis, poſtice accedens, congeratur, vaſa ſanguifera obſtructa, et vicina lymphatica diſtendat, et non aucta vi cordis in tumorem rubrum re-

nitentem, dolorificum eleuet; ea vero theoria legibus hydrodynamicae contradicit, ſicuti experientiae: leges hydrodynamicae docent, quod obturatis antliae emiſſariis velocitas emboli imminuatur, in ratione anguſtiae emiſſariorum, vt obſtructa vaſorum vltimorum dimidia parte, preſſio lateralis a ſanguine ſubſequente vaſis obſtructis inducta ſit vix octingenteſima parte maior preſſione conſueta, adeoque longe minor, quam quae ad vaſa, dolorifice diſtendenda requiritur.

237. Experimenta vero, in animalibus viuis inſtituta, docent, arterias, tum maiores, vt carotidem, tum minores, vt intercoſtalem, per diem integrum ſilo vinctas, omnino in cane viuente, minime intumuiſſe; ligatis omnino in cane ambabus carotidibus animal ad quintum diem vixit, eoque tunc interfecto inuenimus carotides ſilo omnino vinctas, et imperuias, nec vllatenus tumidas. Vidi ſaepius in ranae meſenterio, ac pene obſtructa arteria, globulos ſanguinis verſus cor pacate retrocedere ſilo continuo, et ſine tumore vaſis obſtructi alteram viam legere.

[§. 238. Huc *Lipſienſium*, praeeunte *Ludwigio* a medicis Lipſienſibus primum agnita, *inflammatio venoſa*, quae, quod de arteriis negat A., venis tribuit iure, vt congeſtiones venae debiliores maiores ſuſcipiant, nec facile viam aliam ſanguini concedant: vnde ſtaſes, obſtructiones, aut ſaltem circuitus ſanguinis retardationes grauiores inducantur, a quibus remote pendeat inflammatio.]

239. Neceſſum itaque eſt ad inducendum tumorem phlegmonodeum, vt auctis et repetitis ictibus cruor in vaſcula diducenda propellatur a tergo, dum antice ipſi reſiſtitur, ſiue ab impacto viſcido obſtruente, ſiue a conſtrictione ſpaſtica membranae, partem, aut glandulam, aut viſcus ambientis, eo fine, vt materies peregrina, ibi haerens, calore et pulſu digeratur, liqueſcat, reſoluatur, aut quouis modo mutetur.

240. Materies vero impacta eſt, vel idiopathica, vel metaſtatica; ſi ſit idiopathica, ea eſt ibi genita, aut ibi vim irritantem adquiſiuit mora ſua; ſic lapillus vaſis vriniferis impactus, ſic glomer vermium, in inteſtino haerens, excitat moleſtiam, ratione cuius canalis ambiens vtrinque conſtringitur, et arcte noxium corpus amplectitur, erroneo ſaepe conamine, quia natura omne noxium, tamquam calore et preſſione reſolubile foret, ſic

in vaſis conſtringit, conterit, quod non raro, dum illud reſolubile eſt, feliciter ſuccedit, aut ſuppuratione foras amandatur, ſi irreſolubile fuerit.

241. Metaſtatica eſt congeſtio, ſi per viam circulationis, aut ſecretionis, ex maſſa ſanguinea generaliter infecta, aut ex parte ſingulari materies morbifica aduehatur in colatorium, vel errore loci in viſcus, aut partem externam imperuiam, ibique foueatur, conſtringatur, maiorique ſanguinis accedentis niſu impellatur in finem felicis reſolutionis, vel dirae, aſt tunc neceſſariae, ſuppurationis; ſic pluries videmus oſſium fruſta ſeparata, peregrina corpora in vulnere relicta, mediante abſceſſu, foras feliciter amandari; ſic videmus in peſte materiem morbificam in glandulas inguinales, vel axillares, deduci, et per ſuppurationem aegrum ab ineuitabilis alias mortis periculo vindicari.

[*De exitu inflammationum.*

Soluuntur phlegmaſiae:

a. Reſolutione benigna.

b. Suppuratione. *α.* exſudatione humida Hunteri. *β.* generatione polypi, vt in cynanche pol.

c. Scirrho.

d. Induratione.

e. Rigore. *Richter* pr.

f. Deſquammatione. *Richter* pr.

g. Gangraena et ſphacelo.

h. Phlegmatia. *Brambilla* l. c. T. I. p. 283.

i. Exulceratione.

k. Metaſchematiſmo. cf. Supplem.]

Therapeia.

242. In morbis inflammatoriis genuinis, quos pulſus fortis, tenſus, frequens, calor, dolor, rubor intenſi, [lingua paululum ſordida, albida, ſanguis corio pleuritico tectus,] comitantur, quique vt plurimum adultos, bilioſos, ſanguineos, robuſtos, exercitatos, plethoricos, adoriuntur, ſummum auxilium eſt repetita phlebotomia, et diaeta liquida, diluens et refrigerans, ita, vt aeger a iuſculis carnium, ſaltem primis diebus, abſtineat, dilutiſſimo cremore hordei victitans, et potu aqueo emollienti, copioſo, tepido; pars inflammata ſimul, quantum fieri poteſt, fo-

uenda halitu, ſomento, cataplaſmate laxante, emolliente; febris intra debitos limites coërcenda, ne plus aequo ſerociat, et phlebotomia eo vſque iteranda, donec ſymptomata ad reſolutionem materiae morbificae inutilia compeſcantur; nec tamen eo vſque repetenda eſt phlebotomia, vt vires vitales huic reſolutioni profuturae infringantur.

243. Initio quidem tantus eſt quandoque infarctus, tantaque plethora, vt vires vitales ſuffocentur, pulſusque obſcurus ſit: in hoc vero caſu a prima, aut altera, phlebotómia pulſus reſurgit, fortior euadit, et febris euoluitur, qua ſuppreſſa aegro pereundum foret. [Sic et pars inflammata, vt pulmones in peripneumonia, aut ſtatus morboſus, veluti ſepſis cet. pulſus debiliores, molles, ſiſtit, quod in hoc diiudicando attendas.]

244. Cum aegritudo creſcere deſierit, ſeu ad ſtatum peruenerit, tunc attente obſeruanda ſunt naturae conamina, et, quo vergant, eſt obſeruandum; felix aeger, ſi antea ſufficientes phlebotomias paſſus ſit, ſi eccoproticis primae viae expurgatae ſint; tunc enim cunctandum, ne naturae conatus interturbemus, nec, niſi vrgentibus ſymptomatibus occurrendum eſt; interea reſolutio omni ope tentanda, et ſi quae ſit via materiei morbificae, cuius coctioni natura inſiſtit, praeparanda ea eſt ad eius excretionem; quaenam vero via ſit, hoc vel fida morbi cogniti docet hiſtoria, vel attenta praeuidet Medici obſeruatoris ſagacitas; in quibusdam morbis narium haemorrhagia, in aliis parotis, in iſtis anacatharſis, in multis ſudor, in quibusdam diarrhoea, in non paucis vrinae prouentus, materiae morbificae exitum praebet.

245. Longe diuerſa eſt therapeia, ſi *impura* febris inflammationem comitetur, quod docet pulſus raro fortis et vehemens, ſed ſaepe mollis, obſcurus, inaequalis; inconſtantia et in puris non obuia ſymptomata, narium ſtillae, ephidroſes, cardialgiae, nauſeae, vertigines, anxietates, ſanguis in patella extractus, corio albo deſtitutus, ſero flauo virideſcenti dilutus, foetor corporis, excretionum, color pallidus faciei, ſpurcities linguae, cet.

246. In his ſiquidem rei adiunctis languor et inconſtantia conatuum naturae non magnum ſolum eſſe malum, et periculum indicant; verum et multo minus a natura eſſe exſpectandum, quam in aliis morbis, ita vt, nedum phlebotomia et laxantibus eius conatus infringamus, ſaepe neceſſe ſit, vt eam ad

vomitionem, alui fluxum, ſudorem, diureſin ſtimulemus, necnon languentem per veſicatoria excitemus, cum expurgatae ſunt primae viae, per cardiaca, ſudorifica, refocillemus, quae therapia a priore longe diuerſa eſt; interea tamen ſunt caſus, in quibus phlebotomia vna, aut altera, initio celebranda eſt, vt emetica et cathartica tuto poſſint deinde praeſcribi, quae in ſpeciali therapeia debent enarrari.

CLASSIS TERTIA.

PHLEGMASIAE,

SEV

MORBI INFLAMMATORII.

INFLAMMATIONES Ludwigii; *Phlegmonae internae P. Alpini*, Medic. method. lib. 7., cognoſcuntur ex pyrexia, ſeu aegritudine acuta febrili vniuerſali, cum ſignis inflammationis. Sunt vel *internae*, quae ex ardore, dolore, tenſione, pulſatione, tumore partis, deſignantur; vel *externae*, quae ex maculis, exanthematibus, phlegmone vel eryſipelate, conſpicuis, dignoſcuntur.

Diuiditur haec claſſis 1° in *phymata:* ſeu ſolitarios tumores inflammatorios.

2°. In *phlegmaſias exanthematicas*, quae maculis, papulis, puſtulis cutaneis, aut tumoribus externis, phlegmonodeis, eryſipelatoſis, cum pyrexia, inſigniuntur.

3°. In *phlegmaſias membranaceas*, quae pyrexia acuta cum viſceris cuiusdam dolore, calore, tenſione, tumore, denotantur.

4°. In *phlegmaſias parenchymatoſas*, quae pyrexia acuta, cum partis internae calore, dolore, ſiti, virium proſtratione, aliisque ſignis, cuique generi propriis, determinantur.

Cum phlegmaſiae exanthematicae maxime affines ſint febribus, potiſſimum remittentibus, ordo exigit, vt proxime iuxta febres collocentur, vnde eas inter febres malignas plurimi auctores repoſuere, vt tamen ob affinitatem interponatur ordo I.

Pyrexia eſt pulſus frequentia, velocitasque cum calore in morbis, quorum praecipuum ſymptoma aliunde, atque a febri,

deſumitur. Sic in pleuritide, phrenitide, febris non eſt ſymptoma praecipuum, a quo morbus denominatur, licet eſſentialis ſit; adeoque vt diſtinguatur a morbis primae claſſis, *Pyrexia* vocanda eſt; ſic in dyſenteria, arthritide non raro adeſt frequentia pulſus cum virium proſtratione, ſed ille ſtatus rectius *pyrexia*, quam febris, dicetur, cum praecipuum morbi ſymptoma febris non ſit. *Pyrexia* itaque eſt frequentia pulſus cum aſthenia ſeu laſſitudine et debilitate, quae cum morbis aliis, ac febribus, complicatur. Diuerſi ſunt pyrexiae gradus, qui aeſtimantur ex velocitate, plenitudine et tenſione pulſus, nec non caloris intenſitate: vnde dicitur pyrexia magna, vt in pleuritide, phrenitide, veris; et parua, vt in rubeola, variola, benignis. [Vix, arbitror, lectorum quis capiet ſententiam A. Videtur enim dicere, pyrexiam febrim eſſe, quae febris non ſit, aut ſaltem febrim, ſi morbum primarium non conſtituit, ſed ſecundarium, pyrexiam dici. Quidni ſi lubet. Rectius *Cullenus* condidit claſſem I. pyrexiarum, quarum character eſſet: poſt horrorem pulſus frequens, calor maior, viribus artuum imminutis: earumque ordinem primum febres eſſe, ſtabiliuit. cf. Syſt. aegrit. T. I. At haec arbitraria videntur. Supereſt longe magis attentione digna enunciatio: dari differentias phlegmaſiarum duas, alteram, quae videatur conſiſtere febri, cuius comes, intermittens ſaepe, aut metaſchematiſmum amans, ſit phlegmaſia, *alteram*, quae e contrario phlegmaſia topica magis ſit, ac febri, ſeu pyrexia, ſtipetur. Non deficiunt graues ſcriptores huius aſſerti teſtes, v. g. *Swietenius*, *Clegborn*, *Selle*, *Sarcone*, *Keſslerus*, alii. Nec diffiteri poteſt, niſi in curatione differentiam faciat, in prognoſi tamen facere.]

Nomen pyrexiae, vel pyrexis, opponitur apyrexiae, et latine dicitur *febricitatio*; et vt in decurſu quartanae, tertianae, datur per interualla apyrexia, et pyrexia, euidens eſt, integrum morbum ex his duobus temporibus conſtare, ſeu ex pyrexia, et ex apyrexia, adeoque febrim, pro morbo ſumtam, non inuoluere aſſiduam pyrexiam, ſeu a pyrexia diſtingui poſſe.

Phlegmaſia, definiente *Caſtello* in Lexico Medico, eſt inflammatio ſeu febris, inflammationi alicui coniuncta: *Galen.* comm. in aphor. 7. l. 1: dicta eſt a *phlego*, *vro*, *inflammo*.

In phlegmaſiis omnis pyrexia eſt vel continua, vel remittens; nulla vero intermittens. [Hoc aſſertum adeo ab ex-

perientia alienum, non deleo, quod ſic multi ſtatuant, nihilominus in ſequent. conſtabit, non pyrexias ſolum phlegmaſiarum intermittere, ſed phlegmaſias ipſas, vt vel ſola pleuritis docebit.]

Morbi omnes huius claſſis breues ſunt, et vtplurimum periculoſi, adeoque acuti, exceptis tamen ſpeciebus benignis, necnon vltimis exanthematicis, vt eſſera, quae periculo caret.

ORDO PRIMVS.

PHYMATA.

I Phlegmone, *Phlegmon.*

Eſt phlegmaſia ſphaeroidea, diffuſa, ſubſolitaria, dolore pulſatili inſignis, ſponte in ſuppurationem vergens. Dicitur a *phlego*, vro. Differt a puſtulis inflammatis, vt a variola, cet. ex eo, quod ſit tumor ſubſolitarius, et multo maior; a bubone, parotide, paronychia, ophthalmia, quia ſedem in certis locis determinatam non habet.

Cauſſa eſt impetus cruoris adauctus intra vaſa partis tumentis, quae inuolucris vtplurimum coërcetur, vt glandula, vel membrana celluloſa: etenim ſi intra ramificationes vaſorum fieret ille infarctus, tumor non ſphaeroideus, nec certis limitibus circumſcriptus foret, ſed eryſipelatis inſtar diffuſus.

[Species quaſi habet: maſtodyniam, ophthalmiam, otitidem, proctitidem, phimoſin, paronychiam, quas tamen lubet praeeunte auct. ſeorſim proponere.]

1. *Phlegmone mammarum*, vulgo *poil.* Vide *Maſtodyniam.*

2. *Phlegmone oculi.* Vide *Ophthalmiam internam.*

3. *Phlegmone teſtis venerea*, vulgo *gonorrhée tombée dans les bourſes.* A.

Dici ſolet a principio, cui potiſſimum debetur. Praeter remedia generalia, vt phlebotomiam, victum tenuem, fomenta emollientia, et dein reſoluentia, deſiderantur ea, quae virus ſyphiliticum ſpecifice debellant.

4. *Phlegmone muſculorum, tumor phlegmonodes.* A. phlegmone plagica *Sagar* ſp. I.

Vulgo non habet figuram determinatam, nec magnitudinem. Ortum habet a principiis vtplurimum procatarcticis, vt fractura, contuſione, vulnere: exigit remedia, quae reſolutionem inſtituere poſſunt, vt ſunt phlebotomiae repetitae pro tumoris extenſione, ſymptomatum vehementia, aegri robore, aetatis vigore; nec non victum tenuem, refrigerantem et humectantem; cataplaſmata emollientia ex foliis maluae, violarum, acetoſae, bulbis lilii, mica panis cum lacte cocta, additis croco, axungia recenti, medulla animalium, oleo, pulpa althaeae. His enim dolor, calor, tenſio ſedantur, fluxilitas ſanguini conciliatur, vaſa criſpata laxantur, membranae inuoluentes ſpaſmodice conſtrictae, remollitae cedunt, circulatio reſtituitur; ſi his irritis in ſuppuratum vergat, aut in gangraenam, videantur remedia apoſtematis, gangraenae, cet.

5. *Phlegmone axillaris*, vulgo *bubo axillaris.* Vide *Bubonem.*

6. *Phlegmone teſticuli; Riuer.* Obſ. 39. Cent. 2. et Obſ. 2. Obſ. Comm. L.

[7. *Phlegmone, Ignis S. Antonii. Sagar* ſp. 2.

Virgines infeſtat feruidas, abdomen detinet, lineam albam atque ſpinam dorſi terminos habet, tumor conſtat ex meris tuberculis, corymboſis, piſi vel nucis auellanae magnitudinem aequantibus, iuxta ſe poſitis; racemoſus, quaſi ex glandulis miliaribus tumefactis ſubcutaneis natus. Salus ab antiphlogiſtica methodo, enematibus, ſomentationibus: detrimentum ab aqua vegetominerali.

8. *Phlegmone putrida.* Auct. T. II. pag. 617. *Queſnai* c. 4. *mortua, maligna.*

Videtur primo adſpectu eryſipelacea, parum tumida, tactu frigida, et veluti dura, ſine elaſticitate aut tenſione, anodynia ad ſcalpellum, deinde puſtulae liuidae erumpunt, pulſus minuuntur, mors.

9. *Phlegmone plethorica.* Frequentiſſima.

10. *Phlegmone purulenta.* Frequentior.

11. *Phlegmone venerea, cancroſa. Chancre* Gallor. Vlcera cancri Auct. *Aſtruc* l. 4. c. 11. 5. 7. l. 3. c. 6. 7. *Andre* de morb. ven. p. 68. ſq.

A horis 30 ad 4 hebd. a coitu impuro oritur, et quo citius erumpit, eo maior phlogoſis. In glande, corona eius, praeputio, frenulo, induratis paruae phlogodeae maculae, papulae miliares acuminatae calentes, ſenſim in apice dehiſcunt, ſubſident, poſt hebdom. in medio exulcerantur; colore ſunt rubro, atrorubro, lacteo: labia tumida, eminentia, rubra, phlogodea, abundant papillulae, creſcit durities, dolor, profluunt guttulae ichoris viſcidi, ampliantur, ſerpunt, cinguntur callis: adeſt iſchuria, dyſuria. Quo frequentiora, eo benigniora, et contra. Peiora ſunt, quae balano, praeputio, frenulo, quam quae dorſo et lateribus, adſident. Sunt, quae lente ſerpunt, labia habent molliora minus protuberant, et blandum ichorem fundunt. Sunt, quae peiora, exulceratione profundiori, latiori, labiis craſſis calloſis et ichore virulento nimio et acerrimo ſtipantur. Curatio communis.

II. BVBO, *Bubon.*

Eſt phlegmaſia glandulae vnius, aut alterius, inguinalis, cum dolore obtuſo, vix lancinante, calore, rubore, renitentia, minoribus, quam in phlegmone; lente accedens [quin laruata, vt ſcirrhoſa ex parte agnoſcatur,] et recedens, inceſſum aliquantum impediens.

Debetur ſanguinis impetui intra vaſa lymphatica glandularum minus viuido, cui occaſionem praebet infarctus horum vaſorum; diſtinguitur a bubonocele, cognita ſede glandularum inguinalium, diuerſa a foramine muſculorum abdominis et arcu Poupartii, necnon ex eo, quod bubonocele ſubito fiat, bubo vero lente excreſcat; bubonocele ileum ſaepius excitet, non vero bubo. Varietates ſunt bubones ſcirrhodes, phlegmonodes, oedematodes, exulcerati.

1. *Bubo ſimplex*, *Bubon.* D.

Sic vocatur graece *inguen*, quia regio inguinalis afficitur. Dicitur ſimplex, qui nec febrim, nec peſtem, nec ſyphilitidem, comitatur. Curatur remediis iisdem, quibus phlegmone, ſed potiſſimum reſoluentibus.

2. *Bubo ſyphiliticus*, *Aſtruc.* lib. 3. cap. 5; *cambuca* Paracelſi; *Poulain.* C.

Ab impuro concubitu immediate, ſeu poſt paucos dies, vel

a gonorrhoea ſuppreſſa ortus, dicitur *primarius*; qui vero infecto iamdudum ſanguine, [ab irritatione vrethrae per cereolos,] ſine his principiis ſuperuenit, *ſecundarius* vocatur; vterque magis eſt vel phlegmonodes, vel oedematodes, vel ſcirrhodes; alter ouum columbinum, alter pugni magnitudinem adaequat, phlegmonodes facilius reſoluitur, citius ſuppuraſcit; oedematodes reſoluitur, non ſuppuratur; ſcirrhodes reſoluentibus reſiſtit, nec ſuppuratur. Differt ab aliis ſpeciebus a principio; cui debetur. Curatur vt ſyphilis, cuius eſt ſymptoma et ſignum. [Primarius, gonorrhoeae comes, toleretur, abſtineatur ab irritantibus, vt emplaſtris.]

Bubo ſyphiliticus induratus, durante hydrargyroſi tegatur emplaſtro de ranis cum mercurio; ſi inflammetur cataplaſmate de mica panis cum lacte tegatur, facto pure cultro, cauterio, aperiatur; ſi ſuppuratio bona ſit, vlcus curetur vnguento baſilicone; ſi pus paucum, ſanioſum, addatur digeſtiuum; ſi calloſum ſit, vlcus cauſtico inuratur. [Si ſcirrhoſus ſit, aegrotos anxios reddit admodum, ne aliqui proximiores morbum perpeſſum agnoſcant; at aegre debellatur.]

3. *Bubo ſcrophuloſus* ſ. *ſtrumoſus*; *Bubon ſcrophuleux*. C.

Diſtinguitur ab aliis per ſigna ſcrophularum in collo, meſenterio, deficientibus ſignis bubonis ſyphilitici, peſtilentis, cet. Vide *Scrophulas in cachecticis*.

4. *Bubo peſtilens; Bubon peſtilentiel*; A.

Eſt tumor criticus in peſte ad inguen alterutrum oriundus cum bonis aegri rebus. Ille vero bubo quantocyus aperiendus eſt, licet immaturus, et ad ſuppurationem cito ducendus, vt ea via virus peſtis foras amandetur; Vide *Peſtem in Claſſ.* 3.

5. *Bubo creſcentium*, vulgo *les croiſſances*, ou *croiſſants*; B.

Eſt tumor dolens, renitens, cuti concolor, glandularum inguinalium, qui puberibus dum ſenſibiliter creſcunt in altum, cum aliquali corporis macie, oriri ſolet: ille tumor ſponte reſoluitur, nullumque periculum importat.

6. *Bubo ſcorbuticus*. Vide *Peſtem ſcorbuticam*. An *ſcorbuticus* bubo fuerit obſeruatus valde dubium mihi videtur, nec nuperi Auctores, qui de ſcorbuto expreſſe ſcripſerunt, vt *Lindius*, illud ſymptoma memorant.

7. *Bubo axillaris*, criticus in rubeola. *Hatté Journal de Medec.* May 1755.

[8. *Bubo criticus.* In febribus putridis. *Rigler.* p. 91.]

III. Parotis; *Parotide, Oreillon.*

Differt a bubone ex eo, quod glandulas, pone aures ſitas, afficiat; eſt enim tumor ſcirrhoſo-phlegmonodeus glandulae parotidis dictae, in ſuppuratum lentiſſime vergens; easdem varietates ſubit ac bubo, non vero totidem ſpecies.

1. *Parotis benigna, Parotide ſimple;* B.

Eſt ea, quae ſine febre, ſine graui ſymptomate enaſcitur.

2. *Parotis febrilis,* Journal de Medec. May 1755. *Rigler* l. c. D.

Ea eſt, quae in febribus acutis, in peſte, vel critice, vel ſymptomatice, ſuperuenit, ſaepius cum ſurditate; in pleuritide maligna, *Riuer.* Cent. I. Obſ. 72: critica in miliari, Journ. de Med. May 1755: in typho carcerum, *Pringle* Tom. 2. cap. 6. Vide curam in *Tritaeophya, elode.*

[3. *Parotis catharrhalis vaga.*

Ea eſt, quae amat ſolui, aut alternari, cum bubonibus catarrhalibus inguinum, aut teſtium tumore, hydrocele etiam acuta. Saepe epidemice quaſi, aut perſrequenter ſaltem occurrit: vt ante 10 annos Hallae vidi, et ante VI annos cet. Curatio morbo aduerſa iubet adhiberi.]

IV. Fvrvncvlvs, *Furoncle, Clou.*

Eſt phlegmaſia cutanea, prominens, dura, et atro-rubra, cuius centrum, cum ſuppurata eſt, occupant fibrae craſſae, quae in pus non colliqueſcunt. Dantur furunculi oui columbini figura et magnitudine, alii maiores, et hemiſphaerici.

Floccus fibroſus in axi furunculi haerens, dum ſuppuratur, vulgo dicitur *Bourbillon. Eiterſtock* Germ.

Species, ſeu varietates ſunt

1. *Furunculus dothien* Galen. *clou ordinaire.* B.

Curatur vt phlegmone; ſed durior eſt, magis ſphaeroideus.

2. *Furunculus terminthus Gorraei* definit.

Eſt ſpecies phymatis, ait *Oribaſius*, ſupra quod puſtula nigra eminet, quae rupta inferne ſimilis deſquammatio apparet, eo autem diſſecto, pus inuenitur. Obſcuriſſima eſt deſcriptio.

3. *Furunculus*, *phygethlon* Graecis, *panus* et *panis* Latinis.

Eſt furunculus eryſipelaceus, diffuſus, cutaneas glandulas obſidens, difficile ſuppurans, calore deurente et mordaci ſtipatus. Huius accuratior hiſtoria deſideratur.

[4. *Furunculus* (carbunculus) *ſepticus*. *Rigler*. l. c. p. 92.

5. *Furunculus plethoricus*. Frequentior.

6. *Furunculus ſaburralis*. Frequentior.

7. *Furunculus purulentus*. Frequentior.

8. *Furunculus dyſarthriticus*, gangraenoſus. *Schmucker's* chir. Schriften. T. I. p. 319.

Initio inſtar caſtaneae *durus*, dolens, inflammatus, ſenſim absque mollitie increſcens ad orbis peripheriam, cum *pyrexia actiua*, non emollitur, ſaniem fundit ex ſponte enatis aperturis: facile gangraenoſus euadit. Salus a febris regimine.

9. *Furunculus toxicus*. A catulo marino comeſto.]

V. Anthrax, *Charbon*.

Eſt phlegmaſia, carnibus immerſa vtplurimum, in cuius apice eſt veſicula griſea, ſubtus ſphaceloſa, in ambitu dolor et rubor quandoque leues; excoriatus, vel ſuppuraſcens, ſerpit in viciniam, et colorem intenſe rubrum exhibet.

Optime deſcribitur a *Plinio* et a *Celſo*; quippe quandoque collum, fauces obſidet ſine vllo tumore et dolore, ſed cum liuiditate puſtulae aut cuticulae, qua ablata, caro ſubſtrata nigricat, ſphaceloſa eſt; interea aeger languet, ſomnolentus eſt, pulſum habet debilem, rarum, et intra breue tempus e medio tollitur; cum vero minus malignus eſt carbo, circa puſtulam nigram eſt tumor phlegmonodeus, cum febricula; aperto tumore, vlcus atro-rubrum, ſiccum, calens, ardens, in viciniam ſerpens, labiis extrouerſis apparet.

Accidit potiſſimum pauperibus ſordidis, qui carnes animalium, vt veruecum, anthrace defunctorum, edunt, aut qui eorum lanas tractant, adipem fundunt ad candelas parandas; hinc

laniones, coriarii, candelarum opifices, huic malo ſunt ſaepius expoſiti.

Raro Medici accerſuntur ad hoc malum curandum: ſaepius ruſtici arcana ſua huic malo ſpecifica dicta adhibent, et cauſtico furunculum inurentes, anthracem ſe ſanaſſe, iactitant.

1. *Anthrax ſimplex;* A.

Eſt ille, qui non pandemius eſt, ſed ſporadicus, extus prominens cum pulſu febrili, et leuibus ſymptomatibus.

In huius curatione ſtatim apex ſphaceloſus cauſtico, vt lapide infernali, vel lapide cauſtico, inurendus eſt, vt deſtruatur virus gangraenoſum, quod vel carnes vicinas rodere, vel introuerſum funeſtiſſima ſymptomata, vt ſyncopen, delirium, cet. excitare valet; raro phlebotomia indicatur, aſt a vigore pulſus indicata in hac ſpecie non nocet; interea eſcharae lapſus promouendus, et ſuppuratio excitanda ad virus eliminationem, et ſanguinis depurationem, quod praeſtant ſuppurantia vulgaria; interea, tum intus vſurpantur medicamina, quae vires circulationis excitant, ſi langueant, aut ſuſtinent, ſi vigeant, ſimulque perſpirationem intendant.

2. *Anthrax malignus, charbon peſtilentiel.* Vide *Peſtem in exanthematicis.* A.

3. *Anthrax Perſicus. Pruna et ignis Perſicus* Auicennae; *le mal des ardens.* Vide *Mezeray* Hiſt. de France: *le feu S. Antoine,* Vide l'Hiſtoire de Philippe I. ann. 1090. *Parei* op. A.

Eſt peſtis ſpecies. Ad inflammationes *cauſticas* pertinet, lapſu eſcharae ſiccae et nigrae, ſuppuratione accedente, feliciter interdum ſoluturas, vt tamen carnes vsque ad oſſa corrumpant aliae.

Vidi aliquoties anthraces duplicis ſpeciei, malignos ſcilicet, qui cum pulſu exili, facie pallida, frigore extremorum, cardialgia, virium ſubitanea proſtratione, intra paucas horas, aut diem, aegrum de medio tollebant; in collo vero nullus exterius tumor, ſed tantum ſub cute diſtinguebatur glandula tumida vix dolens, cuius apicem tegebat macula liueſcens, cuticula non adhaerens, qua reſecta, interius macula nigricans, ſenſus expers, ſphaceloſa, latebat: alias vidi anthraces minus malignos cum febricula partem faciei, vt palpebram, afficientes, qui plures dies perſeuerabant, exulcerabantur cum tumore inaequali, atro-rubro, labiis inuerſis, fungoſo, vel excreſcente, ſicco, minime purulento,

cancri exulcerati inſtar horrendo, et ſeſe in viciniam diffundente, quae altera ſpecies *a morbo ardentium* minus abludit, cuius deſcriptionem videſis apud *Mezeray* Hiſtoire de France anno 996: nec non *ignis ſacri* vel *ignis Sancti Antonii* nomine anno 1090 regnante Philippo I. Cf. Eryſipel.

4. *Anthrax tarantatus*, *malvat* Occitanis. A.

Miranda carbunculi ſpecies *P. Borelli*, Centur. 2. obſ. 12: in vrbe *Roquecourbe* prope *Caſtres* in Occitania, frequens eſt morbus *malvat* vocatus, qui ſpecies carbunculi eſt, quo affecti, niſi dies nouem inſomnes traducant, iugulantur; vtque ſomnum arcere valeant, accedunt ad aegrum amici et parentes, ibique genio indulgentes canunt, et aegrum ad ſaltandum inuitant; tarantula demorſi pariter ſomnolenti ſunt, teſte *Serao*; inde mos apud ipſos inualuit, vt ſaltarent ſomni fugandi gratia. Vidi *Tarantiſmum Tingitanum.*

[5. *Anthrax bilioſus.* *Stoll.* rat. med. T. 2. p. 173.

VI. Paronychia; *Panaris. Digitium Vogelii.*

Eſt phlegmone extremi digiti cuiusuis cum dolore pertere-brante, calore vrenti, tenſione maxima.

1. *Paronychia cutanea*; 1ª *ſpec. Heiſter.* Chirurg. cap. 170; *panaris cutané.* B

Digiti extrema pars initio parum dolet, tumet, mox rubedo accedit, creſcit dolor et rubedo, quae ſymptomata vltra digitum ſeſe non extendunt, et tolerabilia ſunt; dein pulſatione creſcente fit ſuppuratio, apex digiti albeſcit, remolleſcit, et ſine periculo abſceſſus ruptus deterſione ac conſolidatione terminatur.

Curatio abſoluitur emollientibus, quae maturent phlegmonem, et extractione peregrini, vt ſpinae, aciculae, ſi huic anſam praebuerit; cataplaſma de mica panis cum lacte et croco, caro cochleae pomatiae applicata, pulpa ex foliis maluae, violae, radice althaeae, bulbo liliorum; ſi dolor et feruor minores ſint, emplaſtrum diachylum cum gummi, emplaſtrum de mucilagine, cet. conueniunt; et ſuppuratione facta, abſceſſus aperiendus, et ſolito more tractandus; ſaepius autem accidit, vt vnguis delabatur, ſi pus infra ipſum genitum ſit, quod longum faceſſit negotium.

2. *Paronychia perioſtii Heiſter.* ibid. *Garengeot.* Operat. de Chirurg. du panaris. A.

Differt a prima ſpecie doloris, feruorisque intenſitate, multo maiori, quam ex tumore exſpectandum videtur, cum febri, vigiliis, conuulſionibus, imo quandoque delirio. Differt a tertia, quod dolores ad interiorem brachii condylum, ſeu ad cubitum, non extendantur.

Haec ſpecies fouetur a pauxillo ichoris, acris et rodentis infra perioſteum, vnde os ſaepius carioſum euadit; et ſi negligatur, manus eodem morbo contaminatur, adeoque quantocyus incidendus eſt apex digiti vel lateraliter, vt vult *Garengeot*, vel in medio, quo non pertingit tendo flexoris, vt putat *Heiſterus*, vt illa guttula puris, vel ichoris, foras emittatur; poſtridie non raro excreſcit caro fungoſa, quae exſcinditur, vel eroditur, et vulnus denique ſolito more curatur.

3. *Paronychia tendinis*, 3ª *ſpec. Heiſter.* ibid. A.

Vaginam tendinis flexoris digiti aggreditur, intra quam eſt pus, vel ichor, acer et rodens; tumor in apice digiti modicus eſt, vel nullus; dolor tamen eſt intolerabilis; manus, carpus, vniuerſumque brachium, ad vsque condylum internum humeri, dolent intenſe; vnde febris, vigiliae, ſpaſmi, intumeſcitque brachium, manus, imo paululum digitus, in ipſis phalangum articulis.

Species illa eſt aliis periculoſior; febris, vigiliae, abſceſſus, imo gangraena, hominem quandoque e medio tollunt.

Medicamenta inutilia ſunt; breui ad inciſionem digiti et vaginae tendinis properandum eſt; imo vagina vlterius ſcindenda, ſi pus vlterius ſerpſerit, vt in ligamentum annulare carpi, in ligamentum transuerſum, quo os cubiti cum oſſe radii connectitur, quae curatio fuſe tradita eſt apud *Garengeot* et *Heiſterum*, in hiſce conſulendos.

4. *Paronychia arctura Linnaei* Gen. morbor. L.

Arctura eſt vnguis acie lateraliter cutem ſecans, vnde inflammatur digitus cum exulceratione laterali et dolore non exiguo.

5. *Paronychia digitium Digitium Linnaei* Gen. Morb. 127. C.

Cognoſcitur dolore intenſiſſimo, periodico, cuiusdam articuli digiti vnius, qui ibi emaciatur, ſine vllo inflammationis ſigno; dolor ille per menſes et annos perſeuerat, paroxyſmis duo vel tria minuta durantibus, ſed pluries in die recurrentibus. Am-

putato digito ſanatur aeger, et os, non eroſum, ſed friabile videtur, quaſi farina coagulata. Haec Sueci obſeruant.

6. *Paronychia preſſura.* L. *Preſſura Linnaei* Gen. Morborum 260.

Eſt phlegmone ad vnguis radicem tantum enaſcens cum digitus, frigore congelatus, calori exponitur; dolor non magnus eſt, ſaepe exulceratio accedit, vnguis delabitur, alter vero, ſed craſſus, aſper, corticoſus, enaſcitur: ratione ſedis differt a paronychia cutanea.

7. *Paronychia artificialis*, Ephemer. Nat. Cur. Dec. II. Ann. X. Obſ. 187. p. 364.

Fit per circumligationem digiti cum pellicula ex oui recentis teſta; febrim tertianam curare creditur.

VII. Phimosis, *Phimoſis.*

Eſt praeputii, et ſaepe ſimul glandis, phlegmaſia, cum praeputii adducendi, aut reducendi, difficultate.

Veteres Graeci nomen illud generice tribuebant meatuum praecluſioni; vnde phimoſis palpebrarum, labiorum, vteri, narium; verum mos inualuit, vt hoc nomine intelligatur inflammatio praeputii, qua balanus intra praeputium arcte retinetur, ſi vera phimoſis, aut qua baſis balani veluti ſtrangulatur, vt in phimoſi ſpuria, ſeu paraphimoſi Neotericorum.

1. *Phimoſis vera, phimoſis Heiſter.* Chir. cap. 130. A.

Eſt grauis inflammatio praeputii, qua eius reductio pone glandem impeditur; oritur a ſecretione fluidi acris, flaueſcentis, mucoſi, quo illinitur praeputium, et in glandulis odoriferis balani potiſſimum paratur, ex quo rubet interior facies praeputii, rubet balanus cum dolore, et dyſuria, propter irritationem, quam vrina tranſiens praeputium afficit. Hic affectus cum gonorrhoea praeputii conuenit apud eos, qui praelongo praeputio gaudent; vide *Gonorrhoeam.* Noui viros, quos identidem recurrens haec excretio liberat ab ophthalmia; vnde ſequitur, vt eiusdem ſit indolis mucus in corona glandis ſecretus, ac is, quem glandulae Meibomianae palpebrarum fundunt. Hunc affectum etiam pueris familiarem eſſe, obſeruat *Sennertus.*

Curatur iuſculis refrigerantibus, ſero lactis, balneis et aquis acidulis, praemiſſa phlebotomia, et catharſi: ruborem etiam et dolorem tollit aqua roſarum balano inſperſa, aqua Saturni, cet.

2. *Phimoſis hydrocelica*.. C.

Non rarum eſt apud hydropicos laborantes anaſarca, aſcite, vel ſola hydrocele, [aut iſchuria cyſtica,] portentoſe tumere penem, ſed magis etiam praeputium, ita vt omnino recondatur glans, eiusque via vix inueniri poſſit; ſimulque vidi non ſemel, fieri decubitum humorum in hoc praeputio, vt inflammatio gangraenodea immineret. In hoc vero caſu forcipibus limbum praeputii hic et illic diſſectum vidi a Chirurgo egregio D. *Serres*, vnde infarctu liberatus penis, et aqua vitae camphorata fotus, gangraenam vitauit.

3. *Phimoſis ſyphilitica; phimoſis vérolique.* C. *André* l. c. p. 39. ſq.

Pendet ab vlcuſculis ſyphiliticis, coronam balani obſidentibus, et inde ſubſequente praeputii phlogoſi, maxime ſi limbus praeputii ſimilibus vlcuſculis, *chancres* dictis, obſideatur; vnde depuratio horum vlcuſculorum impeditur, eroſio augetur, ſimiliaque grauia mala imminent.

Si malum tolerabile ſit, praemiſſis phlebotomia, catharſi, et balneis ſufficientibus, hydrargyroſis eſt vſurpanda more ſolito; interea fomentis ex lacte, floribus maluae, meliloti, et ſimilibus, curandum, vt reducto praeputio haec vlcuſcula elui, detergique poſſint; ſi vero altius ſerpant vlcuſcula, ita, vt metus ſit, ne balanus erodatur, tunc totum praeputium, vlcuſculis intus obſitum, circumſcindendum eſt; quippe vna, aut altera, inciſione vix in patulo reponi queant omnia vlcuſcula; aſt durante hydrargyroſi, ea omnia felicius ſuccedunt, cum virus ſimul auferatur.

In phimoſi et paraphimoſi cum vlcuſculis venereis, penis quandoque gangraenaſcit; tunc poſt phlebotomiam et partis ſcarificationem kinkina larga doſi ſumendum; ſic ſanitas reſtituitur; accedit ſuppuratio, quae digeſtiuo promouetur, et ſeparata eſchara gangraenoſa, vel hydrargyroſis, vel ſpiritus antiuenereus continuatur. [Diſtinguitur in a) *phlegmonodeam*, b) *oedematodeam*, c) *ſcirrhodeam*, d) *cryſtallinam*. Hanc comitatur eruptio hydatidum, plenarum lympha tenui vel craſſa, limpida vel ſubruſa, opaca vel diaphana, in externa praeputii facie, ſupremo eius limbo, aut ſummo balani apice inſidentium.]

4. *Phimoſis* [*venerea*] *circumligata*, *Aſtruc* de morbis vener. lib. 3. c. 8. de phimoſi; *Circumligatura* Latinorum; *Paraphimo-*

ſis Graecorum; *Periphimoſis Pauli Aeginetae* Lib. VI, cap. 55. A. *André* l. c.

Rarius eſt ſyphilitica, vtplurimum vero pura; ortum ducit ab inflammatione et tumore balani, dum eſt erectus penis, maxime ſi per violentiam retrouerſum fuerit praeputium, vt in defloratione virginum accidit, aut ſimilibus cauſſis tribuendum quiſque indicat; ſiue enim retroactum praeputium inflammetur, et glandem ſtrangulet, ſiue balanus intumeſcat magis, quam praeputium, inde ſequitur haec ſpecies, quae phlebotomia, balneo penis in lacte, dein in decocto reſoluenti, vt florum meliloti, ſambuci, cet. euaneſcit. Vidi ter, vel quater, in noſocomio generali ſimiles paraphimoſes a vera ligatura, peni iniecta, ope fili ab amico circumligati, vnde ſupprimitur vrina, penis inflammatur; interea tamen in duobus puerulis, quibus hoc acciderat, vidimus, filum ſucceſſiue penem traieciſſe, veſtigio ſucceſſiue coalito. [Diſtinguitur ſimili ratione, ac praecedens. Eruptio hydatidum fit in denudati glandis ſuperficie, corona, rugis, vel frenulo corrugati praeputii.]

5. *Phimoſis vaginae* [*venerea.*] *Aſtruc* de Morbis venereis, lib. 2, cap. 7. n° 1. L.

Pendet a ſyphilitica inflammatione labiorum, nympharum, ob ulcuſcula rodentia, ſyphilitica; ſimileque vitium in catamitorum podice, in nutricum papillis, memorat *Aſtruc*; quae omnia eamdem medelam poſtulant, ac phimoſis ſyphilitica, ſcilicet vlcuſculorum deterſionem, et virus venerei exſtinctionem.

6. *Phimoſis infantum*, *Manget.* Biblioth. Med. pract. pag. 9. ex *Hildano.* L.

Accidit ob vrinae acrimoniam, ex praua victus ratione nutricis; lactentes enim ab hoc affectu immunes non ſunt. Curatur victus ratione tenui et refrigerante, dein catharſi leniente; ſubſequatur cataplaſma ex mica panis cum balauſtiis pulueratis, croco, et butyro recenti, ac lacte vaccino.

7. *Phimoſis poſteproptoſis. Sauv.* proptoma ſp. 4. Praeputii prolapſus.

ORDO SECVNDVS.

PHLEGMASIAE EXANTHEMATICAE.

Fiévres Eruptives.

Sunt illae, quae cutim eruptionibus inficiunt.

Eruptiones vero ſunt vel phymata phlegmonodea, vel eryſipelatoſa, vel phlyctaenodea, aut maculae purpureae, liuidae.

Plurimae morbis malignis * accenſentur, ex his tamen qualitatibus genera morborum minime determinari debent, vt viſum erat *Riverio*, *Huchero*, aliisque Galenicis; inde enim ſequeretur, vt variola benigna alteri generi adſcribenda eſſet, ac maligna; vt dyſenteria, pleuritis, centenique alii morbi, ratione benignitatis, aut malignitatis, in diuerſa genera eſſent reuocandi, quod nullus Pathologus, Logicae gnarus, admiſerit.

Malignas vocamus phlegmaſias eas, quae ſub exiguis, pulſus, caloris, vrinae, mutationibus, ſtatim latentes, ex improuiſo dein ſymptomata multo grauiora exſerunt, quam quae ex pulſus vi et impetu poſſent exſpectari, proindeque clam aegro inſidiare videntur.

Typhodes propriè ſunt illae, in quibus pulſus, vrina et color conſuetus et ſanis ſunt ſimiles, ita vt imperitis aegri vix febiire videantur, interea dum vires ſunt maxime proſtratae. Vide *genus typhi*, claſſ. II.

Malignus morbus differt a graui, quod grauis ſymptomata ex vehementia pulſus, et anatomiae, pſychologiae, ac mechanicae principiis intelligi poſſunt; vt pleuritis pura, phrenitis, cet; maligni vero ſymptomata ex qualitatibus occultis, vt vi deleteria, diſſolutione putredinoſa, fermento, veneno, gangraenoſa corruptione, verbo ex principiis phyſicis, minime vero ex mechanicis ac pſychologicis, intelliguntur in praeſenti ſaltem Medicinae ſtatu.

* *Peſtilentiales* vocabantur olim illae, quae malignae vel typhodes, ſimulque epidemice graſſantes plures e medio tollebant, quam conualeſcentes relinquebant; illae vero diuerſae qualitates pendent non raro a vitioſa medendi methodo; ſic ſyphilis ante, quam cognita foret eius antidotus, peſtilentialis erat, quae hodie vix malignus morbus eſt.

In phlegmaſiis puris ex pulſus plenitudine, frequentia, tenſione, *magnitudo pyrexiae* aeſtimatur; et ex numero, ac intenſitate ſymptomatum morbi *grauitas* iudicatur, in illis autem quo maior eſt pyrexia, eo ſunt grauiora ſymptomata, vt ardor, ſitis, proſtratio virium, artuum, peruigilium, anorexia: quo maior eſt pyrexia, eo aſtrictus vaſorum a ſanguine maior: hinc ignearum molecularum extricatio, vnde calor; inde ſaliuae ſiccitas, acritudo, auolantibus partibus aqueis; inde ſitis; maior impenſa fluidi neruei in organis vitalibus mouendis, vnde parcior pro liberis motibus, inde aſthenia: natura vero, ſanitatis et vitae cuſtos, non poteſt in tanto periculo quieſcere et ſomno indulgere, quamdiu hunc ſtatum, neruorum et cerebri, interuentu, percipit, vnde vigilia, metus, faſtidium ciborum, quod in grauibus negotiis et periculis moralibus etiam accidit: ſi cortex cerebri ſanguine infarciatur, adeoque anima ſtatum ſui corporis non poſſit percipere, vtpote a vitio cerebri deluſa, aut oppreſſa; inde fiet delirium, vel ſopor, in quibus natura negotiis vitalibus incumbet nobis inſciis, vt in ſomno et inſomnio conſueuit, dum viget ſanitas.

Hactenus ex phyſiologiae mechanico-pſychologicae principiis haec phaenomena deducuntur; verum quae in malignis phlegmaſiis accidunt, quatenus malignis, phaenomena aliis principiis debentur, vt bili acri, materiei verminoſae, acidae, vel putridae, quae primas vias vellicat, moleſtat, vnde nauſeae, cardialgiae, anxietates, vomitiones, diarrhoeae, ſpaſmodicae contractiones: in vaſis vero ſtaſes, corruptelae, gangraenae, vibices, anthraces, petechiae; et licet materiem morbificam eliminandi neceſſitas vrgere videatur, interea natura velut oppreſſa ne pugnare quidem aggreditur, vt ait *Galenus*, hinc pulſus vel ſano ſimilis, vel etiam debilior, inaequalis, intermittens, reſpiratio ſimilis, ſingultus, ſyncope, cet.: in malignis itaque et peſtilentialibus morbis materies morbifica ita noxia eſt, ita viribus naturae ſuffocandis apta, vt ſymptomata multo plura huius, quam naturae, energiae tribuenda ſint: in benignis vero morbis minus materiae morbificae, quam naturae viribus reſpondent ſymptomata.

Ex his vero prognoſis eruitur facile; cum enim tanto minus ſit periculum, quo naturae conatus liberiores, vegetiores, minus a materia morbifica ſunt impediti, euidens eſt, exitum morbi benigni facilem fore, maligni vero infelicem, et tanto maius in iſto periculum imminere, quo naturae conatus magis turbati, impe-

diti, anomali, dum vires materiae morbificae ſunt intenſiores, qualitas acrior et magis deleteria.

Indicationes vero generales ſunt in phlegmaſiis benignis tollere obſtacula, quae impediunt, quominus natura materiae morbificae coctionem eiusque in iisdem internis reſolutionem ac criticam euacuationem moliatur: in his cutaneis vero, puſtularum, bubonum maturationi, papularum miliarium, morbilloſarum exſiccationi, cutis deſquammationi incumbat: etenim illae ſunt viae, per quas materies morbifica cocta euacuanda eſt.

Verum in malignis hi fines ſolis naturae viribus attingi non poſſunt, et requiritur vlterius, vt a ſarcina humorum nimia liberetur natura, ope phlebotomiae mature, ſed parca manu, inſtitutae, deinde vero ope emetici, quod primas vias a fomite putri liberet, nec non per repetitas catharſes colatorium inteſtinale detergendo, vt excretio bilis, ſuccorum inteſtinalium et reſiduae cacochyliae ſuccedat, dum materies morbifica, ſanguini commixta, per medicamina diluentia, (veneno dato oppoſita,) corrigitur, et per ſudorifica ad cutem amandatur, ſimulque ope cardiacorum, cephalicorum, vires vitales ſuſtinentur, aut ad ſtrenue agendum ſollicitantur.

Quoniam in quamplurimis exanthematicis humores ad putredinem vergunt, vt patet ex foetore oris, excrementorum, et cita cadauerum gangraena, ſeptica tum medicamina tum alimenta fugienda ſunt, et antiſeptica anteponenda; notum autem eſt, vegetabilia alimenta, exceptis acribus, eſſe minus putredinoſa, quam carnes animalium, adeoque aegros cremoribus auenae, oryzae, decocto albo Sydenhami eſſe nutriendos; niſi tamen a iuſculis exſpectetur maior corroboratio, vt cum pulſus languidus eſt; in quo etiam caſu ptiſana de cornu cerui cum radicis aromaticae, vt angelicae fruſtulo, imo vinum aquatum requiritur; antiſepticis accenſentur chamaemelum, radix contrayeruae, kinkina, camphora, quorum proinde vſus in exanthematicis frequens eſt.

Quoniam vero maxima pars exanthematicorum pendet ab effluuiis putridis, quae in caſtris, noſocomiis, vrbibus obſeſſis, locis paludoſis, tempeſtate feruida, et humida, abundant, ſummi momenti eſt ad prophylaxin et ad therapeiam, vt aër purus ſit, aura liberiore renouatus, vel accenſis aromatibus, pyrio puluere correctus, vel ventilatore exagitatus; vt cibi ex carnibus anima-

lium morbidorum, anthrace peremtorum, fugiantur; vt aquae coenoſae vitentur; vt acidis, limonum ſucco, aceto, condiantur alimenta ad arcendam putredinem; vt perſpiratio libera ſeruetur, induſiis puris, ſiccis, et aëre minime humido; perſpiratio enim retenta eſt veluti fermentum putredinoſum, quod materiae morbificae vim exacuit.

[Vtcumque non inutilia A. hic ſtabiliuit, poſſent tamen fere reſcindi. At deſiderantur nihilominus, quorum in locum haec edixiſſe videtur, rationes, cur natura, et qui, exanthemata perficiat. Quod, quamuis fatear, aegre conſtitui poſſe, tum hoc ſaltem edicendum fuiſſet, tum poſſunt tamen quaedam eloqui, quae huc vtique faciunt. Nimirum quum certum ſit, topicas aegritudines ſingularem affectionem loci, quae ad debilitatem maxime redeat, ſupponere, nullum dubium eſt, quin integumenta, in quantum reflexa etiam partes internas tegunt, et haec, ſingulari conſtitutioni eſſe obnoxia. Haec, ſicuti poſtea dicenda comprobabunt, eſt duplicis generis: *altera*, quaſi *generica*, facit, vt poſſit exanthema exiſtere, *altera* quaſi *ſpecifica*, facit, vt hoc potius, quam aliud, exanthema effloreſcat. Idque omnino a practicis attendi debet, ſi decidenda quaeſtio, *num*, et *quando* exanthemata *auerti poſſint?* ſi ratio reddenda, cur cognatis diſſitis idem exanthema ſporadice effloreſcat? cur varioloſo miaſmati corpori adhibito ſuccedat rubeola, et contra; qui fiat, vt affinitas maxima ſit exanthematum, vt deinde conſtituam. Neque igitur praeteruideri poterit haec integumentorum conditio, quae et effeciſſe videtur, vt, ſi vel inſitionem huius illiuſue exanthematis tentarent medici, non viderent eruptionem vllam, aut laudabilem; aut ſi animus prophylaxeos erat, nimis ſero incipiebant ea vti, indeque efficerent, vt quod cutis renuebat admittere, iam aliae partes ſuſciperent cum damno.

Itaque *generica integumentorum conſtitutio* videtur contineri [debilitate, connexa cum phlegmaſia, id eſt,] palpitatione ſubiectae telae celluloſae ſingulari iam dicta, et reliquis phlegmaſiae adiunctis. *Specifica* vel erit ea tantaque, vt *vel* cum ſpaſmis hinc inde vaſorum, *vel* horum atonia, aut alternantibus vtriſque coniuncta ſit, qua fiat, vt *aut* ſanguis, cruorue retineatur, vt in rubeola et petechiis, *aut* ſerum cuticulam eleuet, vt in miliari pemphigo et variola recenti, *aut* hoc ſuſcipiatur iterum, et ſuppura-

tio ſuccedat, quod accidit tum in variola, tum in aliis ſuppurantibus, quorum exempla infra videbis.

Vides facile, me cum iis negotium facere, qui ſolidis et in his aegritudinibus plus, quam fluidis, tribuunt, vt tamen contagium non omnino excludam, quod efficere poterit, vt integumenta ſuſtineant ſingularem motum, ſi aliunde morbus ſubeſt. Quodſi aut hic deficiat, aut integumenta renuant, robore debito conſpicua, eum motum ſubire, inſons erit contagium, ſi vel cuti admotum fuerit.

Moneo ſimul, vt conſenſus irritabilitatis gaſtricae et integumentorum probe memineris, et legis naturae, a me ſtabilitae in Syſt. aegrit.

Aliqua in Veterum laudes adiiciam. Neſcio, quid gaudii et hilaritatis ex antiquitatibus morborum quaerant medici docti, indeque, num veteres exanthemata iam deſcripſerint, in varias partes abeant. Non eſt huius loci, haec exponere, tantum moneam, (quod videntur clari viri praeteruidiſſe, et ſi gaudio eſt, veteres habere nobis conſentientes, id eſſe poteſt,). Veteres, ſi vel variolam excipias, reliqua tamen exanthemata vidiſſe, eorumque deſcriptionem dediſſe. Haec autem deſcriptio non eſt vel rei grauitate, vel dignitate ſcriptorum, inferior, ſed eſt ea, quae reſpondet ideis ſuis. Scilicet videntur exanthemata concepiſſe tamquam accidentia, ſynedreuonta, vel ſymptomatica, vel critica, at eam ob cauſſam credebant aut cum morbo ipſo abitura; aut critici abſceſſus inſtar credebant ſic ſolutum iri morbum, niſi naturam vincerent. Non videbant, quod inde ab Arabum tempore ſtatuebant, prorſus ſingularia ſymptomata: ſed ſuo more aegrotos obſeruabant et curabant, vt ſolebant in acutis. Nonne eſt, quod recentiores imitentur veteres, nullo terrore perculſi, nimis naturam agitando, tranquille potius obſeruando, naturam ſuſtineant et dirigant, quorſum maxime vergit?

Exanthematum Character. Phymata exigua et maculae integumentorum corporis et membranarum, his continuarum, phlegmaſiarum naturam ſeruantia. Virium proſtratio, morbi rationi non omnino tribuenda, horrores, deinde calor, dyſpnoea, alyſmus, anorexia, vomituritiones, vomitus, lumbago, epiphora.

De affinitate exanthematum cf. Syſtem. aegrit. T. I. p. 154. ſq. vti velim conſulas dicta ibid. de exanth. pag. 133. ſq. Neque enim, vt b. *Moſerus* ſcriptorum immemor, aut repetitor eſſe amo, niſi res exigat.]

I. PESTIS; *Febris peſtilens Fr. Hoffmanni* cap. 12; *Peſtilentia* Schreiberi; Graecis *Loimos; la Peſte.*

Eſt phlegmaſia exanthematica, ſaepius epidemica maligna, cuius eruptio eſt bubo, parotis, vel anthrax, nec non puſtulae paruae albae, liuidae, nigrae, carbunculoſae, per habitum corporis diſperſae.

Nomen Peſtis, ſi vſum tantum ſpectemus, terrorem ſecum inuoluit et morbum quemuis epidemicum letiferum ſignificat, ita vt dyſenteriae, variolae, amphimerinae, purpurae, malignis epidemicis conueniat; verum genus morbi ex eius benignitate, aut malignitate minime deducendum eſt, vt vidimus; et vt character variolae ex puſtulis, ita Peſtis character iuxta omnes ferè Neotericos ex bubonibus deducendus eſt, *nec repugnat, dari Peſtem ſporadicam, et benignam,* vt ſimilis datur variola, et vt confirmant obſeruata Medicorum Monſpelienſium, Maſſiliae et Aleſiae peſtiferos curantium.

[Ideo vero, quod e longinquo iam excitet terrorem, magis etiam in propinquo, et praeterea ſummum hominum periculum immineat, ſi peſtis diſſimulata non agnoſcatur diutius, e contrario multae cautelae ad arcendam peſtem neceſſariae ſint, quae irritae fuerint, ſi malignus morbus peſtem ſimulauerit, oportet medicum, peſtis ſymptomata probe attendere. cf. *Mertens* de peſte.

Si attenderis, ſporadicam peſtem dari, eamque etiam benignam, aut veram, contagioſam, occurrere, quae ante, quam bubones et anthraces comites exhibuerit, letifera ſit, fateberis, ſi maxime ad haec ſymptomata peſtis notio reſtringitur, non adeo facile interdum rem conſtitui poſſe. Fateor, me, a peſtis vi alienum, non facile poſſe characterem, omni numero abſolutum, proponere.]

Peſte affecti vocantur *peſtiferi,* Gallice *peſtiferés.* Bubones ſunt glandulae durae, tumidae, dolentes, ad ſuppurationem tarde vergentes, ſaepius in inguinibus, quandoque in cruris angulo, in axilla, maxilla, iugulo, pone aurem enati, vnde euidens eſt, parotidem a bubone non, niſi ſitu diſcrepare.

Anthrax malignus epidemicus cum febre maligna, vel peſtilentiali, erumpens ſpeciem peſtis etiam conſtituit, et hic morbus ad aliud genus vix amandari poteſt, maxime cum in eadem epi-

demia, quae bubones profert, anthraces quandoque erumpant; ſi quis vero genus diſtinctum conſtituere velit, non repugnabo.

I. *Peſtis vulgaris*; *Peſtis Londinenſis Sydenhami* anno 1665. *Peſtis Maſſilienſis* claſſis 2ae, 3ae, et 4ae, D. D. *Chicoyneau*, *Deidier* et *Verny*, ann. 1720. *Peſtis Aleſienſis* D. *Couzier*. cet. *Chirac* des fiévres Ch. 7.

Ea eſt ſpecies, in cuius tum initio, tum decurſu, bubones, ſaepius inguinales, erumpunt, quaeque epidemica et pernicioſa eſt.

Incipit a frigore, capitis ſtupore et grauitate, quaſi ebrietate, pulſu frequenti, tenſo, calore interno deurente, externo mediocri, ſiti inexſtinguibili; lingua alba eſt, vel obſcure purpurea: loquela eſt praeceps, balbutiens; oculi rubri, errantes, ſcintiilantes; faciei color viuidus, in aliis liuidus; cardialgiae frequentes; reſpiratio frequens, laborioſa, quandoque magna, rara, ſine tuſſi, et dolore; accedunt nauſeae, vomitionesllioſae, viriles, nigrae, cruentae, deiectiones alui ſimiles, ſine dolore, ac tenſione abdominis; deliria vel lenia, vel phrenitica; vrinae quandoque ſanis ſimiles, ſaepius turbidae, albae, nigrae, cruentae; ſudores raro foetidi, noxii; quandoque haemorrhagiae, quae inſalubres; virium omnimoda proſtratio, animi praeſertim deiectio, et metus mortis continuus; demum ipſo morbi initio vel in decurſu apparent bubones inguinales, vel crurales, vel maxillares, vel axillares, aliis parotides quandoque ſeorſim, vel ſimul anthraces in artubus, nec non puſtulae exiguae albae, liuidae, nigrae, vel maculae purpureae, hac vel illac, diſperſae.

Duratio morbi, niſi mors praeceſſerit, extenditur ad decimum quartum diem circiter; tunc ceſſat febris, et bubo, reſolutione rariſſime, ſaepius ſuppuratione, quandoque *induratione*, terminatur.

Epidemia apud nos * vix quouis ſaeculo recurrit, apud Anglos quouis quadrageſimo anno, apud Conſtantinopolitanos multo frequentius.

Epidemia apud Aleſienſes, Aquiſextienſes cet. viſa eſt ter, vel quater, in anno intermittere, ita vt dein poſt duos quadrage-

* Peſtem in Occitania vidit *Valeriola* anno 1533.: *Ranchinus* anno 1630: nos anno 1720 eam obſeruauimus; alias recenſet *Mezeray* annis 1348, 1362 et 1580. Vnicam ſpeciem dari, monet *Samoilowitz* de peſte p. 91. an bene, dubito.

ſimales ſeceſſus, cum omnino nullus ſupereſſet aeger ab vno al-teroue menſe, ſubito, eademque fere die tum Aleſiae, tum Aquis Sextiis et Mariojoli plures Peſte corriperentur, rurſus poſt paucos menſes vtrobique Peſtis euaneſceret; ex qua pluries repetita Aleſienſium Medicorum obſeruatione inferendum videtur principium Peſtis in aëris ſingulari conſtitutione, non minus, quam eiusdem regionis hominum diſpoſitione, inquirendum eſſe. Aleſiae certe e trecentis peſtiferis vix vnus, aut alter, fuit ſupra Plebeiorum ordinem elatus, vnde, prauam victus rationem ad Peſtem diſpoſuiſſe, veroſimile eſt. Cum in intermiſſione Peſtis *D. Gibert* praeſcripſiſſet, ad auertendum Peſtis recurſum, vt omnes peſtiferorum tum conuictores, tum in eadem domo degentes, emetico purgarentur, obſeruatum eſt, omnes conuictores vermiculorum alborum, grano hordei ſimilium, immenſam copiam euomuiſſe, nullam vero aut rariſſime cohabitatores. *D. Priuat* Doctor Medicus eximius cum antea ab vrbe abeſſet, Aleſiam adiit ineunte Peſte, atque vrbem ingreſſus dolorem in glandula inguinali perſentire coepit, qui dolor per ſingulas epidemiae exacerbationes perſeuerauit, in intermiſſionibus vero ceſſauit, ita, vt reditus acceſſuum ex dolore inguinis, Peſtis prodromo, non ſemel praedixerit: Ille vero merito ridebat plebem et Magiſtratus, qui, quoties Peſtis redibat, toties communicationem quandam illicitam, aut mercium infectarum exportationem, tum Aleſiae, tum aliis in vrbibus incuſabant, atque ex hoc praeiudicio non pauci, qui legem ſancitam violauerant, morte plectebantur, quaſi nouae Peſtis exacerbationis rei.

Profuit Aleſiae peſtiferos in praedia puro et frigidulo aëre gaudentia prius purgatos dimittere, nec non omnes conuictores emetico in prophylaxin expurgare. Plurimi Peſte correpti et in ſuburbium ſeu lazaretum delati periere ob formidinem mortis, quam in hoc noſocomio ineuitabilem putabant; metus enim et deſperatio ſunt funeſtiſſimum huius morbi ſymptoma; de cetero intra annum, quo Peſtis Aleſiae inhaeſit, non plures obiere Peſte, quam ceteris annis morbis ſporadicis ſeu diuerſi generis abripi conſueuerant, circiter trecenti, et quam intra annum nati ſunt: ſed hoc obſeruatu dignum fuit, omnes alios morbos acutos durante Peſte ſiluiſſe; et omnes morbos acutos e Peſtis genere fuiſſe.

2. *Peſtis benigna* 5^{ae} *Claſſis* D. Chicoyneau et Verny.

Ea Peſtis ſpecies, vel varietas, Maſſiliae et in aliis vrbibus eodem tempore obſeruata eſt, quo prima ſpecies; in illa nulla erat ſenſibilis aegritudo, nulla virium proſtratio, pulſus tantum adeſt frequentia eaque minima, cum eruptione bubonis, vel anthracis: cura vero exigit, vt bubo cataplaſmatis ſuppurantibus maturetur. Ea ſpecies videtur affinis variolae benignae, quam plures pueruli inuicem colludentes, et per vicos ambulantes ſine vlla cautela, ſine ſpeciali regimine et cum felici ſucceſſu patiuntur.

3. *Peſtis interna ex* 1^{a} *claſſe* D. Chicoyneau et Verny; vel *Retrocedens* D. Gibert.

Ea eſt varietas Peſtis primae, ſeu vulgaris, in qua nulli bubones, aut anthraces, erumpunt, licet conatus naturae eo vergere videantur, quod ex cadauerum extiſpicio apparet, cum in partibus internis harumue eruptionum manifeſta appareant indicia, et externarum loco vibices, petechiae, aliaeque imperfectae eruptiones adſint.

Signa huius ſunt frigus vniuerſum, rigores anomali, pulſus exilis, mollis, frequens, inaequalis, depreſſus, a preſſione digiti euaneſcens; capitis grauitas cum ſtupore, vertigine, titubatione, obtutu fixo, debili, facie deſperationem exprimente, voce tarda, querula, lingua alba, in fine ſicca, nigra, ſcabra, vultu pallido, cadaueroſo; aderant ſyncopes frequentes, anxietates horrendae, proſtratio animi et corporis, vomitus, nauſeae, deliria, ſopores, tremores, et prima, ſecunda, vel tertia, hora mors.

Differt ab aliis aſphyxiis, ſeu mortibus ſubitaneis, ex eo, quod mixta ſit cum aliis Peſtis ſpeciebus, et per phlegmones, anthraces, gangraenas, quibus interiora cadauerum ſcatent. Haec ſpecies initio epidemiae ſaeuit, nec vllus a peſte conualeſcit, niſi bubo vel anthrax eruperit.

Obſeruata in Peſte Aleſienſi a Gibert. D. Med. Monſp.

Peſtis initium ab ebrietate diſtinguere, difficile eſt. Prima die adeſt virium proſtratio, calor, ſitis moleſta, pulſus frequens, oculi ſcintillant, errant, facies rubet, lingua ſpumoſa et coccinea; adſunt dolor capitis, inguinum, axillarum, faucium, pone aures, nec non cardialgiae, nauſeae. Secunda die accedunt vomitus biliosi, virides, quibus reiiciuntur vermes, aſcaridibus ſimiles, deiectiones eiusdem modi, quibus ſuccedit eruptio bubonis, parotidis vel anthracis, eo maiorum, quo maior praeceſſit euacuatio.

Facta eruptione aegri ſurgunt, incedunt, morbum contemnunt, diaetam reſpuunt, calor et ſitis ſedantur, pulſus tamen adhuc frequens et durus, lingua balbutiens, oculi et facies pallent, fames vero notabilis eſt. Sexta, ſeptima, vel octaua die tumores euaneſcunt, vel retrocedunt, ſuppuratio ſiſtitur, pulſus retardatur, euaneſcit, mors adeſt, vel quod frequentius, accedunt orthopnoea, carus, phrenitis, et praemiſſis conuulſionibus, mors.

Vomitus quicumque ac diarrhoea initio ſalutaris. Qui parum vomuere vel deiecere, illi cum viribus proſtratis, facie cadaueroſa, quaſi temulenti, ante quartam diem fato cedebant, exanthematis vel paulo ante vel poſt mortem defoedati; alii vero ſub minore morbi vehementia, aut prae conſtitutione debiliori ad vigeſimum diem vitam protrahebant, maxime qui ſuum morbum tardius denunciauerant. Aleſiae vomitus quicumque initio ſalutaris, in decurſu morbi letalis, diarrhoea initio et in decurſu ſalutaris; Maſſiliae non item.

Peſtem dari ſporadicam obſeruarunt Medici Monſpelienſes; quo etenim anno Peſtis epidemice graſſabatur Aleſiae, tres quatuorue Monſpelii obſeruati ſunt aegri peſte buboniſera laborantes, atque non video, cur ad hoc genus non referendi ſint illi morbi, quotannis vbique obſeruandi, ſed ſporadici, qui eruptione parotidis critica vel ſymptomatica ſtipantur; certe ſi quid obſtat, eſt terror, quem non raro Peſtis plebi incutere conſueuit, ſimile enim praeiudicium efficit, vt vinum emeticum aquae benedictae nomine praeſcribamus, et vt plebs anthracem et cancrum propriis nominibus non indigitet.

Non pauci fuere Maſſiliae, quos ſubitanea mors abſtulit, ſine aliis ſymptomatibus, quam laſſitudine, virium proſtratione, quique interrogati bene ſe habere dicebant.

4. *Peſtis ſporadica Sydenham.* p. 64. aliis *febris maligna* vel *peſtilens*, *parotis peſtilens.*

Eſt ea ſpecies Peſtis, quae non epidemice graſſatur, nec proinde tantas ſtrages edit, quantas vulgaris, ſed quae ſaepius parotidem, rarius bubonem aliarum partium infert. Ea certe contagioſa vulgo non creditur, niſi a plebe, et ab amphimerinis, tritaeophyis et typhis non diſcrepat, niſi per eruptionem parotidis,

5. *Peſtis carbunculoſa; Anthrax peſtilens* Auctorum, *Foreſt.* L. VI. Obſeru. 21. *Peſtis Indica; Carazza* Gemelli Carreri: *Charbon peſtilentiel.*

Vt bubo ſine ſatellitio morbi maligni peſtem non conſtituit, cum in ſyphilitide etiam detur, et Peſtis benigna ſit epidemica, atque eodem, quo Peſtis vulgaris, tempore vigeat, ita anthrax benignus Peſti non annnmerandus eſt, ſed malignus huic accenſendus: non quidem diuerſa Peſtis ſpecies eſt a vulgari, quando erumpunt ſimul cum bubonibus anthraces, ſed quandoque tantummodo anthrax erumpit peſtilens, aegrum intra breue tempus e medio tollens cum pulſu paruo, debili, intermittenti, facie tetra, ſumma virium proſtratione; quales anthraces maxime collum, auris vel maxillae viciniam occupant, et ille morbus merito in Peſtis genere reponendus eſt, ſiue ſit ſporadicus, vt in Gallia Narbonenſi, notante *Plinio*, familiare eſt, ſiue pandemicus, vt de Indiis refert *Gemelli Carreri.*

Hic morbus aggreditur ruſticos, qui carnes veruecum, anthrace peremtorum, in cibum adhibent, paſtores, laniones, lotrices, qui eorum cadauera, lanam, tractant. Viget circa Perpinianum opinio, ex perdicibus primitus in pecora propagari virus carbunculoſum, et quotquot veruece biberint in rupium foueolis aquam prius a perdice deguſtatam, tot anthrace deinceps affici; experimenta a *Campagne Med. Monſpel.* a Sigean inſtituta, et Societati Regiae Scientiarum relata, hanc opinionem paradoxam confirmare videntur: ratio vero nulla ſuppetit.

6. *Peſtis Gloſſanthrax* Ligeri de morbis iumentorum, Maiſon ruſtique.

Boues, equos, mulos, per Galliam, nec non homines plures Nemauſi anno 1732 infecit et iugulauit haec Peſtis, quae ad linguae radicem anthracem proferebat, quo tota ſenſim lingua intra paucos dies exedebatur, hac vero eroſa penitus, iumentum, quod huc vſque praeter febrem et virium aliqualem proſtrationem functiones ſuas aliquatenus obibat, illico moriebatur.

Pro cura radebatur anthrax ad ſanguinis effuſionem interuentu nummi argentei, vel ſimilis inſtrumenti, et vulneri applicabatur decoctum ex allio, ſale, pipere, et aſſa foetida in aceto; ſimilisque methodus tum hominibus, tum iumentis, profuit.

7. *Peſtis anticardia* Liger Maiſon ruſtique; Hippiatris *Antcoeur* vel *Avantcoeur.*

Peſtis haec bobus et equis eſt familiaris, ſed ſporadica; pili in dorſo horrent, febris adeſt acuta, inflammatoria, cordis palpitatio, moeror, anxietas, capitis inclinatio, et non raro ſyncope; in antica vero pectoris parte excreſcit tumor phlegmonodeus pugni magnitudine, qui *anticardia* dicitur. Morbus hic periculi plenus eſt; ſi tumor anticardia euaneſcat, vel retrocedat, mors eſt in procinctu.

Cura anticardiae exigit phlebotomiam, e collo, ad libram vnam vel vnam et ſemiſſem, clyſmata bis in die iniiciantur, nudetur pilis tumor et ad maturitatem deducatur; dentur interea potus cardiaci et ſudorifici ex theriaca, antimonio, aliisque.

8. *Peſtis Siamaea*; *le Siam*, *mal de Siam*.

Ille morbus allatus fuit ex Siamo Martinicam anno 1686; in diuerſis epidemiae ſtadiis diuerſa erat eius facies, nunc *ſynocha Siamaea* erat, nunc *ſtomacace Siamaea*, nunc *peſtis Siamaea*, bubonibus ſcilicet inguinum, vel axillarum, erumpentibus cum pandemia; morbus initium ducit vulgo a graui *cephalalgia* et *lumbagine*; ſequebatur febris interna, id eſt, typhodes, quae nulla ſui in pulſu, et calore, ſigna praebebat; ſaepe ſuperueniebat ſtomacace vniuerſalis, ſeu fluxus ſanguinis ex naribus, ore, poris cutis, vrethra, aluo, cet.: interdum vermes diuerſi coloris, diuerſaeque magnitudinis, ano aut cato, cateruatim prodibant. Quibusdam bubones ad inguina, vel axillas, erumpebant pleni cruore nigro, foetido, vel vermibus farcti. Morbus intra ſex, vel ſeptem, dies terminabatur; omnia cadauera intra horam aeque liuida et putrida erant, ac ſi quatriduana forent. In acutiſſima aegri poſt cephalalgiam leuem humi procumbebant mortui.

Epidemia Anglis, Hiſpanis, non pepercit anno 1705. *Pater Labat*, qui haec narrat, bis hoc morbo affectus fuit: alter hoc morbo aegrotans clamabat ſibi rumpi genua, paulo poſt femora, dein lumbos; nigredo cutis ad ſuperiora adſcendit, inferiora ſenſum amittunt, et intra ſemihoram mors oſtia pulſat.

Douerus, Medicus Anglus, qui ſcripſit anno 1732 *the ancien Phyſician Legacy* cet. milites ſuos incluſerat in Templo, in quo peſtiferi recenter ſepulti fuerant; horum 180 Peſte correpti ſunt cum petechiis et bubonibus; ille autem iuſſit, vt omnes ſucceſſiue phlebotomiam paterentur, nec vinciretur vulnus primi, priuſquam vltimi phlebotomia peracta fuiſſet, ita vt quilibet 100 circiter ſanguinis vncias amiſerit; oleum et ſpiritum vitrioli ad

gratam aciditatem aquae inſtillauit pro potu ordinario; omnes autem euaſere exceptis octo, qui liquores ſpirituoſos bibere voluerunt. Haec in Peruuio acta ſunt: in Europa vero phlebotomia vix in Peſte inſtitui potuit ad paucas vncias.

9. *Peſtis remittens* D. *Chicoyneau* obſeruat, vltima.

Eſt varietas Peſtis vulgaris, ſeu benignae, quae febri remittente, eaque amphimerina, ſtipatur; hanc obſeruauit Archiater laudatus in puella Maſſilienſi, quae quotidie hora quinta veſpertina paroxyſmum febris patiebatur a frigore et horrore incipientis, mane vero ſudore oborto remittentis; in illa bubo inguinalis oui columbini magnitudine enatus erat initio morbi, et praeter terrorem, nullum alind ſymptoma aderat.

Haec praemiſſa catharſi kinkinam quater in die ſumpſit, et ſuppurato bubone, ſanata eſt.

Curatio Peſtis vulgaris, quae Aleſiae fuit minus infelix, quam aliis in locis, eo vergebat, vt tollerentur impedimenta eruptionis, quam natura molitur ad glandulas potiſſimum inguinales, quippe Peſtis nihil aliud eſt, niſi naturae conatus, quo miaſma quoddam, ſanguini infuſum, in illis glandulis tantummodo feliciter ſecernendum, excernere contendit; nam bubone feliciter erumpente, creſcente, ſuppurante, ſanitas reſtituitur; eo ſuppreſſo, repreſſo, non ſatis extuberante, mors adeſt: quo plures bubones erumpebant, eo melius; quo plures anthraces, eo peius; ergo anthrax miaſma magis deleterium, aut magis euolutum gerit, quam bubo: quo copioſior erat initio vomitus aut diarrhoea, eo felicior erat bubonis eruptio, ergo ſaburra primarum viarum hanc eruptionem impediebat: morbus ille eſt inflammatorius, ſed a materia maligna naturae conatus ſuffocantur, eius vires oppreſſae ſunt initio, non exhauſtae; ergo a phlebotomia, eaque repetita curatio ordienda eſt, ſi pulſus permittat, quam indicant ardor, ſitis, rubedo, haemorrhagiae variae, cet. Si pulſus phlebotomiam non permittat, ab emetico initium ducendum eſt: vomitionem biliofam, verminoſam, copioſam bene tulerunt aegri Aleſienſes; qui prophylaxis gratia ſumpto emetico talia vomuere, omnes fere a Peſte immunes fuerunt; qui vero ſumto emetico non vomuere, deinceps Peſte periere, qui peſtiferorum conuictores fuerant; ſi prima doſis emetici nihil egerit, reiteretur poſt horam et ſemiſſem, cum ptiſana purgante; ſi vires fatiſcant, ſumatur dragma diaſcordii. Facta eruptione bubo naturae committatur, vt in variola; bubo

nis vſtio, dilaniatio, apertio ſemper male ſucceſſit Aleſiae. Iuuant diluentia, refrigerantia, potus theae, emulſiones coctae, cet.: cauendum, dum aeger rubet et feruet, a calefacientibus. Si parum euacuatus fuerit aeger, hauriat ptiſanam laxatiuam; ſi non dormiat, adhibendum narcoticum; ptiſana eccoprotica per quatuor, vel quinque, dies continuetur. Si vero pulſus langueat, ſudor lenis erumpat, eruptio retardetur, ſumatur ptiſana ſudorifica. Si e contrario aeger ferueat, continuetur ptiſana refrigerans addita manna: bubones erumpentes more ſolito ad ſuppurationem deducantur.

10. *Peſtis ſcorbutica Lind.* traité du ſcorbut, ch. des diſſections.

Quibusdam ſcorbuticis, quibus tantum gingiuae exulceratae, enaſcuntur tumores duri, rubri ad manus et pedes: dein inguina et axillae bubonibus, facile in abſceſſum abituris, afficiuntur, cutis maculis ſubcaeruleis variegatur: in cadaueribus inuentae ſunt glandulae inguinales et axillares tumidae, pure circumfuſae, interſtitia muſculorum in brachiis et femoribus purulenta.

Obſeruanda circa Curam. Peſtis vulgaris et Peſtis interna fere omnes aegros Maſſiliae eripiebant cum ſignis inflammationis gangraenoſae in cerebro, pulmone; et quo robuſtiores et magis pingues erant, eo minus ſpei ſupererat; in Peſte interna nec phlebotomia, nec emetica aut cathartica, tolerari poterant, ſudorifica et cardiaca mortem tantum aliquot horas retardabant.

In Peſte vulgari vix phlebotomiam ſuſtinebant, niſi mature inſtitueretur, inde ſaepe ſyncope letalis ſequebatur, licet aegri ipſi phlebotomiam petiiſſent. Solum inter emetica tuto adhibebatur ipecacuanha, et deinceps ptiſanae laxatiuae, nec non ptiſanae diluentes, nitratae, leuiter diaphoreticae; fortiora euacuantia letales hypercatharſes excitabant, fortiora ſudorifica gangraenas internas accelerabant. Nullus euadebat, niſi interuentu bubonis vel anthracis. Maſſiliae viginti circiter mille homines Peſte benigna affecti ſunt, quorum bubones ſenſim excreſcebant ſine febre, laſſitudine, aut alio ſymptomate; illi bubones vel in ſcirrhum abibant, aut, quod melius, in ſuppuratum, aut, quod rariſſimum, reſoluebantur feliciſſime: illi aegri quaſi ſanati vrbem perambulabant, emplaſtro ſuos bubones tantum curabant.

Vires ab emetico, aut cathartico, deiectas reſtituebant partim cardiaca, potiſſimum theriaca, diaſcordium, lilium; ſitim

vrentem, ardorem temperabant ptiſanae nitratae ſpiritu ſulphuris aut nitri acidulatae, ſyrupus de limonibus, cet.

Bubones initio profundi, exigui et ſumme dolorifici, ſine mutatione coloris in cute, deinde creſcentes cutem attollebant, ac incrementum adepti indolentes erant. Quocumque morbi ſtadio erumpebant bubones, illico eos foras attrahere curabant per cataplaſmata emollientia, anodyna ex lacte, mica panis, ouorum luteis, vel herbis emollientibus, dein caepis, ſapone, oleo, cet.

Verum, quoniam aegri, Peſte interna affecti, peribant ante, quam bubo extrorſum protuberaſſet, illico cum ſui ſigna dabant, lapidibus cauſticis inurebatur locus, et poſt aliquot horas eſchara cultro perfodiebatur, vſquequo glandulae in conſpectum venirent, quas exſtirpare non potuerunt ſine letali haemorrhagia, vt vt parca, adeoque eas leuiter ſcarificatas in ſuppuratum vertere quantocyus conabantur; cucurbitulae et veſicatoria non ſucceſſerunt, et ſaltem veſicae inflammationes excitabant: Aleſiae vero nulla inciſio profuit, ſola cataplaſmata, et naturae vires bubones ad exitum perducebant.

11. *Peſtis Aegyptiaca* Proſp. *Alpini* de med. Aegypt. lib. 1.

Ea eſt bubonifera, et quouis ſeptennio Aegyptum inuadit, numquam in vrbe *Cairo* alio menſe accedit, quam Sept. vel Oct. nec recedit niſi Junio; Junii ſcilicet die 17[a] oriente ſole Nilus creſcit, et creſcere deſinit circa finem Auguſti, 16 ad 26 cubitos attingens, tamdiu flant Eteſiae verſus Aethiopiam, vbi per 40 dies pluit, vnde aqua Nili creſcit quidem a menſe Maio, ſed incremento parum ſenſibili, quod menſurare incipiunt tantum menſe Junio. Aegyptii, qui Mahumedanae praedeſtinationi credunt, nullas cautelas Peſti opponunt, et ea miſere regio deuaſtatur, cum anno 1580 in vrbe *Cairo* quinquaginta hominum millia Peſte interemti ſint. Quamdiu furit Peſtis, nullus morbus ſporadicus apparet, quos tantum obſeruare datur a Julio ad Septembrem, eo enim tempore ſponte ceſſat Peſtis; Peſtis illa vix vmquam principium ſuum habet in Aegypto, ſed vel aliunde eius ſeminium aduehitur; quae ex Graecia et Syria, mitior eſt; quae vero ex Barbaria procedit, diriſſima eſt et longiſſima, ita vt octo, nouemue menſes perſeueret epidemia.

Obſeruanda circa Peſtis carbunculoſae curam. Carbones vtplurimum bubonibus erant ſtipati in Peſte vulgari. Anthraces illi raro faciem, collum, abdomen; ſaepe vero femora, tibias, brachia, pectus, afficiebant. Statim apparebat puſtula albeſcens, flaueſcens, vel ſubrubra, in medio pallida, vel obſcure rubra, qui locus dein euadebat ſenſim nigricans, cruſtaceus maxime in ambitu, aliunde diuerſis coloribus diſtinctus, ita vt reſpectu coloris praedominantis, nec non doloris, aut anodyniа, alii anthraces phlegmonodei, alii eryſipelatoſi, vltimi gangraenoſi, viderentur.

Infelici cum ſucceſſu adhibita ſunt cauteria, vel actualia, vel potentialia: inde enim inflammationes gangraenoſae, et labiorum induratio, ſequebantur. Melius ſuccedebant inciſiones ad viuum vſque, denſae, imo ablatio partis gangraenoſae, ſeu eſcharae calloſae, quae centrum aliquot anthracum comitabatur.

Scarificatis ſuperimponebatur, vti bubonibus, plumaceum digeſtiuo onuſtum ex terebinthina, balſamo Arcaei, oleo terebinthinae, theriaca, additis, in anthrace magis putri, aloë, myrrha, et camphora. Plumaceola vero tegebantur cataplaſmatis emollientibus, anodynis, vel ſpirituoſis pro re nata, vt in bubonum cura; deinceps vero lotiones, vt in bubonibus, deterſiuae, vel emollientes, ſequebantur; imo vbi digeſtiua dolorem excitabant, plumaceola, nutrito onuſta, amplicabantur; in his itaque anthracibus alia methodus requiritur, quam in anthrace ſimplici, quem eſcharoticis inurere ſolemne eſt.

Peſti vulgari affinis eſt *eryſipelas*, *ignis ſacer Sydenhami* p. 66., ita vt axillarum et inguinum dolor bubones mentiatur; verum non proſtant eius accuratae hiſtoriae.

[12. *Peſtis maligna. Chicoyneau* tr. de la peſte p. 1. p. 37. 224. 242. 244. ſp. 1. *Chenot.* ſp. 7. p. 68. *Selle* pyret. p. 278.

Pulſus paruus, mollis, frequens, inaequalis: lingua primum alba, poſtea rubra, nigra et arida: vomitus aeruginoſi, atri, cruenti. Nulla manifeſta bubonum, vel anthracum, eruptio. Mors intra aliquot horas, vel ad ſummum 3 dies.

Species alia. Chicoyneau l. c. p. 1. p. 38. 250. 318. *Chenot* p. 64. *Foreſt.* l. 6. obſ. 12. *Selle* p. 282.

Pulſus celer, contractus, inaequalis, preſſa arteria euaneſcens. Sitis, nauſea, vomitus aeruginoſi, cruenti, vel atri: aeſtus interne vrens, externe naturalem non ſuperans, cephalalgia ingens, lingua initio alba, deinde nigra. Haemorrhagiae, pete-

chiae, vibices, eruptio bubonum et anthracum, acrius dolentium, nigreſcentium, facillime in gangraenam abeuntium.

13. *Peſtis putrida.* *Chicoyn.* p. 38. 250. 318. *Chenot.* p. 64. *Schreiber* pag. 41. *Selle* pyret. pag. 190. *de Mertens* de peſte p.

Eruptio maxime anthracum nigreſcentium, in gangraenam admodum pronorum.

14. *Peſtis choleſeptica.* *Schreiber* pag. 10. ſq. *Chenot* loco cit.

15. *Peſtis bilioſa.* *Foreſt.* l. 6. obſ. 12. *Chenot* p. 63. 164. *Schreiber* p. 15. 10. obſ. 11. *Selle* pyr. p. 224.

Maxime ſtadium primum aliarum ſpecierum: iuuamen ab emeſi. In cadaueribus abundantia bilis cyſticae fluidae, flaueſcentis.

16. *Peſtis apoſtematoſa, vlceroſa.*

Suppuratio, exulceratio exanthematum peſtis.

17. *Peſtis ſcorbutica.* *Eugalenus* n. 36. v. d. *Mye* de m. bret. *Lind.* p. 514. Febris, anxietas ſumma, ſyncope facilis, linguae ariditas, aphonia, ſitis magna, exteriorum frigus, calor magnus internus, ſudor intolerabilis, foetidus, petechiae, inguinum tumor, pulſus paruus, debilis.

18. *Peſtis intermittens de Mertens* de peſte. p. 102.]

II. VARIOLA Haly Abbatis, Jouberti et Antiquorum; *Euphlogia* vel *Chaſpe* Rhazis; *Variolae* Recentiorum; *Pocken* Germanis; *Smallpox* Anglis; *Vaiola* et *Vaiolo* Italorum; *Petite vérole*; Occitanis *Picotte.*

Aeger, licet plures puſtulas ſcabioſas, miliares, varioloſas, gerat, vnico morbo afficitur: vnus vero et ſingularis morbus nomine ſingulari, non plurali, indigitandus eſt. *

Hic morbus nouus cenſetur ex Aſia in Europam, cum bella, *Croiſades* dicta, vigebant, ex Europa in Americam deductus, quo tempore *Fernand Cortes* Peruuium ſibi ſubiecit. [Paſſim anno 572. ex Arabia per Saracenos in Europam delata dicitur.]

* Recte quidem: attamen demus iis, quibus lubet, nominibus, in plurali, vti, v. g aphthae, morbilli, petechiae.

Variola eſt genus phlegmaſiae exanthematicae, ſaepius epidemicae, cuius eruptio in puſtulis phlegmonodeis ad ſuppurationem tendentibus, piſi magnitudinem demum aequantibus, conſiſtit.

Differt Variola *a peſte*, quod in peſte erumpant bubones vel anthraces, in Variola puſtulae ſenſim creſcentes, ſuppurantes, dein cruſtaceae, quibus elapſis remanent in cute foueolae: *a rubeola*, quod [maculae puncto pellucidiori, quam in rubeola ſtipatae ſint, et prementi digito ſenſum reſiſtentiae (duritiei) diuerſae a cuticula, imprimant, quod a rubeola abeſt, et] papulae rubeoloſae in cuticulae furfuraceam deſquammationem vergant, praecedatque coryza, epiphora, tuſſis, quod praeludium vix vmquam Variolam praecedit: a *pemphigo*, quod pemphigus bullas, vel veſiculas, aqua plenas, nuculae magnitudine, proferat.

Si vigeſimam hominum partem excipiamus, qui numquam ſpontaneam Variolam patiuntur, nec inſitione poſſunt recipere, ceteri omnes in vitae decurſu ſemel Variolam experiuntur, aſt frequentiſſime infantes. *

Variolae aliae ſunt *diſcretae*, quarum ſcilicet puſtulae ab inuicem remotae et diſtinctae ſunt; harum aliae benignae, aliae malignae. Sunt vero aliae *confluentes*, quarum puſtulae bene multae inuicem cohaerent, aut in vnam, duas, treſue confluunt, coaleſcunt, aut ſaltem in facie in corymbos ſunt aggeſtae, quae *corymboſae* dicuntur; confluentes vero non ſunt peiores diſcretis benignis [teſtibus *Mead.* de variol. pag. 16. et *Eller* l. c. pag. 139. al.]

1. *Variola lymphatica*: [*cryſtallinae*, et humore euaporato, vel abſorpto flaccidae, *ſiliquoſae*;] *Variolae volaticae*; *Variolae diſcretae*; *Variolae halituoſae* ſeu *aquoſae* Brendelii; *Hydrachnis* D. Cuſſon; *petite vérole volante*, vulgo *Verrette* et *Verolette* Gallis; *Cryſtalline* quibusdam; *Eſclapete* Occitanis; *Spitzpocken*, *Waſſerpocken* German. *Waterpocken* Anglis, *Ravaglio* Italis.

Ea ſpecies eſt, quae ſine notabili febri, ſine aegritudine, infantes bimos, trimosue aggreditur, exeritque, in facie potiſſimum, puſtulas exiguas, ſtatim rubras, lympha pellucida, aut ſub-

* Etiamne animalia concipiunt? Duae feles variolam per contagium ſuſceperunt. *Leigh* nat. hiſt. cf Lancaſhire. *Haller* bibl. med. pract. T. 3. p. 595.

albida, plenas, lentis magnitudine, quarum aliae intra biduum exſiccantur, dum aliae ſubboleſcunt, et omnes intra quatuor circiter dies exſiccatae delabuntur, vtplurimum nullis relictis in cute foueolis, vti nullum fere incommodum attulere.

Huius varietas eſt altera, quae recens natos, vna fere ab ortu hebdomade, afficit, et ſimiles aquoſas puſtulas circa vmbilicum, axillas, digitos, emittit, quae intra tres vel quatuor dies exſiccatae et in cruſtam mutatae excidunt, Occitanis *Bourgueirole* dicta. [An contra hanc ſaltem, ſanguinem ex vmbilico promouens, obſtetricis manus valet? An inde ortus prophylaxeos?]

Curatio, ſoli naturae commiſſa, feliciter ſuccedit; ſufficit decubitus in lecto; ſi tempeſtas frigida ſit, victus ex iuſculis et potus calidus.

2 *Variola diſcreta benigna*; *Variolae regulares* Sydenhami; *Variolae aureae Riediini* Lin. Med. *Petite verole diſcrete ſimple*, 1[re]. *ſorte*, *Helvetius* Obſ. ſur la petite verole. A.

Quatuor ſtadia in ea ſunt, praeludium, eruptio, ſuppuratio, exſiccatio. [Sunt, qui *duo* tantum ſtadia, 1) eruptionis, 2) ſuppurationis, ſtatuant; alii *tria* conſtituunt: cl. *Ploucquetus* nuper neſcio quot!]

1° *Praeludium* iſtius ſpeciei eſt, 1° laſſitudo ſpontanea; 2° frequentia pulſus; 3° cephalalgia cum ſomnolentia in infantibus; 4° lumbago, vomitio; 5° quandoque eclampſia, ſeu conuulſio minime ominoſa.

2° *Eruptio* circa tertium, vel quartum, diem incipit, quo ſerius, eo melius; puncticulae ſeu maculae rubrae, acuminatae, in quo a purpura differunt, initio rariores, faciem, mentum, pectus occupant, ſenſim creſcunt; puſtulae extuberant vſque ad ſeptimum diem, quo deſinit eruptio, et incipit ſuppuratio.

3° *Suppuratio* a ſeptimo die ad nonum circiter extenditur; in confluentibus vero malignis vltra excurrit.

4° *Exſiccatio* incipit in diſcretis nono, et ad decimum quartum extenditur; incipiunt vero exſiccari, quae primae erupere puſtulae pedum, manuum, rel; quae vltimae erupere, ſunt omnium maximae.

Benignis hoc commune eſt, quod erumpentibus puſtulis, ſymptomatis praeludii euaneſcentibus, pyrexia minuatur, puſtulae gradatim creſcant, neque vllus alter morbus accedat.

Diſcretae a confluentibus differunt non ſymptomatum ſolum minori vehementia, ſed puſtularum numero minori, potiſſimum in facie, et diſtantia maiori; quotcumque fuerint in reſiduo corpore, modo rarae ſint et diſtinctae in facie, perinde eſt, et prognoſis multo tutior eſt.

Diſcreta benigna habet pyrexiam vere continuam, quae in quibusdam ſubiectis vix eſt conſpicua, et infantes orthoſtadi more ſolito eſuriunt, impune etiam offas ſuas manducant, ludunt in ſuo lectulo, rident, maxime eruptione peracta. Obſeruatur tamen, ſed raro, pyrexia *remittens*, vt *amphimerina*, quam vidi, *tritaeophya*, quam *Helvetius* obſeruauit. Aluus eſt ordinario adſtricta; ſi vero diarrhoea accedat, obſervante *Helvetio*, haec vires deprimit, puſtulas ſupprimit, vel reprimit, vnde periculum maius, quam ſi confluentibus ſuperueniret.

VARICELLA datur, quae eſt varietas, in qua ſeptima die nulla ſuppuratio fit, ſed puſtulae ſenſim reſolutione terminantur ſine periculo, et quandoque ſine pyrexia ſenſibili, hanc varietatem *reſolutam* Angli *kikenpokes* appellant, quod maxime diſtinguendum eſt a retroceſſu puſtularum, qui in aliis ſpeciebus, aliisque ſtadiis accidit, et funeſtiſſimus eſt, de quibus conſulatur *Helvetius*.

Ad diſcretam benignam pertinet fere ſemper VARIOLA INSITITIA. [Contagium variolae ſuſcipitur his maxime modis:

a. Commercio vrbium, vt aduena vnus ex vrbe infecta ſufficiat propagando miaſmati. b. epidemia, vbi communicatio ſpecialis non attenditur, licet quandoque connexio obſeruetur. c. reſpiratione. d. ſic dicta variolae per pecuniam adquiſitione. *Roſenſtein* p. 139. e. veſtitus infectorum contactu. *Roſenſt.* p. 135. f. adplicatione puris. α. goſſypio ſuſcepti, inſerti in nares, quod in China moris ſit. *Roſenſt.* p. 140. β. ſic adplicato ad vulnus inciſum, aut acu laeſa integumenta inſertoque, quaſi pure. γ. goſſypio pure imbuto, et per annum conſeruato, tumque ſimili ratione adplicato. g. adplicatione cruſtarum deciduarum ad cutim, aut harum deglutitione! Tenuis lympha aeque, ac pus, imo hoc fere melius, variolam producit, teſtibus *Dimsdale*, *Tiſſot*, *Roſenſtein*. Pus ex aegrotis, mali moris variola laborantibus, non raro meliorem producit variolam, quam ex leniter aegrotantibus deſumtum. Ex inſitione ſuſceptum eſſe miaſma, declarant tumor, dolor diſtenſiuus glandularum ſubaxil-

larium, quod vltro, cephalalgia, horror, calor, deſignant. Sunt, qui duplicem contagii ſtatum ponant, a. vbi peripheria ſola citra humores, contagium ſuſceperit: b. vbi contagium vniuerſale ſit. *Hoc* declarare dolorem ſub axilla et vulnus inſitit. ouale, latum. *Illud* vulnus paruum et longitud. quadratum, anodynia, defectus puris, vt puſtulae poſt 4. 5. dies concidant. Praeparatos mercurii vſu rite eos eſſe, docere mollitiem corporis, pallorem faciei, et in robuſtis ſtomadyſodiam. cf. Th. *Bond* in def. de l'inoc. et relat. des progr. quelle a fait a Philadelph. en 1758. a Strasb. 1784. 8.] Variola, vulgo inoculata, quae etiam *eruptitia* dicitur in *Tranſ. Phil. Tom.* 8. *pag.* 601. inſeritur brachio, vel tibiae, ope inciſionis, pollicem longae, in cuticula factae, cui ſuperimponitur linteum carptum, pure varioloſo onuſtum, vel ope emplaſtri veſicatorii datur puri varioloſo aditus; hoc vero contagio admiſſo *ſeptima*, vel *octaua*, *die* ſuperuenit rigor, calor, et eruptio variolae, quae benigna et diſcreta ſolet eſſe, modo infans vltra quinquennium conſtitutus bono et refrigeranti regimine vſus fuerit, per quindecim dies a carnibus et vino abſtinuerit, aut purgatus, et aliquot iuſculis diluentibus praeparatus fuerit: conſtat autem obſeruationibus ducentum millibus, circa Variolam inoculatam inſtitutis in Anglia, America, Italia, Gallia, cet, et nuper Genevae, Nemauſi, cet, vix e trecentis aut quingentis vnum, imo ſi eligantur ſubiecta, vt fecit *Ramby*, vix milleſimum e medio tolli, cum ex calculo *D. Iurini* a variola ſpontanea circiter ſeptimus quisque aeger e medio tollatur, collectis in vnam ſummam pluribus epidemiis; vnde euidens eſt, nihil caritati et prudentiae conuenientius eſſe, quam infantes circiter ſexennes, victu emolliente et refrigerante praeparatos, huius inſitionis interuentu a tanto mortis periculo liberare. In noſocomio inoculationis Londinenſi ex 492 inoculatis nuper vnus tantum obiit. [Non lubet, amplum in campum commentationis exſpatiari. An *auerti*, ſeu praecaueri poſſit, et de inſitione infra dicam.]

Cura Variolae diſcretae benignae ſpontaneae. Victus ſit diluens et refrigerans, ex iuſculis vel cremoribus oryzae, auenae, quarta quaque hora, potus ex ptiſana hordei. Clyſmata emollientia ſingulis, vel alternis, diebus iniiciantur; quantocyus ſanguis e brachio, et altera die e pede mittatur, vel e pede tantum; ſi ſerius arceſſitus ſit Medicus, in ſubiectis calidis plethoricis, ſymp-

tomatis vrgentibus, phlebotomiam vltra duas vices repeto; aſt in cacochymis, frigidis, iunioribus ſaepe nullam praemitto, maxime ſi epidemia benigniſſima ſit. Febri imminuta, vel remiſſione data, in ipſo praeludio, quantocyus purgandus eſt aeger ope emetici, [Nollem *emeticum* exhibere, niſi turgeant ſordes biliosae, et hic difficulter. Memineris enim, ad praeludium variolae, vt exanthematum omnium, pertinere dyſpepſiam, anorexiam, nauſeam, vomituritiones, ſaepiſſime mere ſymptomaticas, vt naturam male cogas: deinde huc ſpectant ſupra dicta, ſi iam inſtet exanthema, abſtinendum eſſe ab irritabilitate aucta ventriculi, qua eruptio caueri, retardari, annihilari poſſit, quod certe non ſine damno fit. Vidi enim medicum exhibentem aquam bened. Rul. parua doſi ab eruptione ad diem 7. ℥ue effeciſſe, vt ſuppuratio mala cum ſequenti morte ſuccederet. Sufficiet laxans exhibere, et enemata aluum ducentia. Haec tironibus dicta ſunto: quidni enim expertis practicis liceat.] vt quatuor vel ſex guttarum ſyrupi Glauberiani, vel aliquot cochlearium aquae tepidae, in qua diſſoluta ſint tartari ſtibiati granum vnum, duo, vel plura, pro aquae copia, et ſubiecti ſenſibilitate, ac aetate minori, vel maiori. Huius vero emetici effectus ſuſtinebitur ope cathartici, ſequenti die propinati, imo ipſa eadem die, ſi eruptio immineat; vtplurimum operae pretium eſt ante, quam eruptio fiat, aegrum phlebotomia et catharſi decenti praeparatum fuiſſe: reſiduum curae ſolius naturae vtplurimum opus eſt. Cauendum, ne aeger plura, vel pauciora, ſtragula ſibi imponat, quam quibus ſanus aſſuetus erat; ne aër cubiculi calidior ſit. Si phlebotomiis, ſub temperamento frigido inſtitutis, aut admiſſo aëre, puſtulae recidant, tunc ptiſana de cornu cerui, et cardiaca viperina in vſum ſunt aduocanda: verum ſaepius peccant regimine calidiori, et aëre non ſatis libero, vnde feruet ſanguis, et puſtulae ea de cauſſa ſupprimuntur. Si excrementa vireſcant, aut acidum eructent infantes, potus abſorbentes et anthelmintici identidem offeruntur. Si puſtulae non repleantur, aut circulus baſeos palleſcat, ad acida, aut cort. peruv. deueniendum, camph., vinumue. Si adſit agrypnia, anxietas, puſtulae maturae aperiantur, ſyrupus de papauere albo cum puluere abſorbente; et ſi febris abeſt, atque infantuli eſuriunt, pauxillum micae panis, vel cremoris oryzae, iuſculis addendum eſt: imo apud pauperes, cum ſanguis eſt effoetus, nec vlla ſymptomata contrain

dicant, vini paululum cum aqua et pane conceditur, quod in noſocomio generali ſolemne eſt, potiſſimum abſoluta ſuppuratione; cruſtis decidentibus inſtituatur purgatio; imo ſi vlcerum, furunculorum, febris quaedam ſuperſint reliquiae, altera vice repurgetur. Si febris remittens, abſoluta exſiccatione, ſui det indicia, ad kinkinam recurrendum.

Si in diſcretis diarrhoea eruptiones deprimuntur, aeger in periculo verſatur, tunc ad theriacam, diaſcordium, aut ſyrupum papaueris albi cum abſorbentibus eſt confugiendum. [At plerumque aluus laxior quotidie, ſubducta etiam vſu ſalis mirab. Glaub. et enematibus admodum conducit; et male aegroti rebus conſulitur, dum ad praecauendam diarrhoeam aluum adſtrictam diu tolerant aegrotus cum medico, vt in recenti epidemia, nemo ex 50 moriretur hac methodo, dum medicus eiusmodi ſententiae deditus ex 10. 8. perderet!]

3. *Variola diſcreta complicata Heluetii* 2ª *ſpecies*; *la diſcrete compliquée; petite verole diſcrete maligne, anomala* Sydenhami; Obſ. ſur la petite verole.

In benigna, ſeu regulari, facta eruptione, pyrexia aliaque ſymptomata epiphaenomena ceſſant: in anomala, ſeu maligna, non item.

Scilicet febris *ante eruptionem* eſt ardens, proſtratio virium magna; cutis arida, feruens eſt; carotides pulſant; tendines rigeſcunt; oculi ſunt viuidi, cruore turgidi; dolent caput et lumbi, ſaepe citra delirium ac ſoporem. *Facta* vero *eruptione* cephalalgia, lumbago, vomitus, et alia accidentia quidem minuuntur, ſed pyrexia reuiuiſcit, eaque tritaeophya eſt, cum nouis aut ſupra dictis accidentibus, vnde in paroxyſmis agrypnia, deliria, anxietas, ſtillae cruentae ex naribus, ſudor copioſus, calor et ariditas cutis eadem, non raro eryſipelas miliare puſtularum interſtitia obſidet, vel maculae purpureae accedunt. In *ſuppuratione* febris et accidentia creſcunt, iactationes, deliria, ſpaſmi accedunt, puſtulae tamen nec ſubſident, nec praui moris ſunt.

Huius varietates potiſſimae ſunt:

4. *Variola diſcreta dyſenteriodes Sydenham.* conſtit. annor. 1670.

Dicitur dyſenteriodes, quia 1° tempore dyſenteriae epidemicae accidit, huiusque indolem ſapit. 2° Quod per fluxum

alui cruentum non raro virus varioloſum eliminatur, ſi calidiori regimine tractetur.

Diſtinguitur 1° quod eruptio non quarto die, vt in benigna, ſed tertio fiat. 2° Puſtulae ſunt ſemper minoris molis et aſperiores, et ſub finem in apice nigricantes. 3° Ptyaliſmus vt in confluentibus non raro aegrum exercet.

5. *Variola diſcreta veſicularis Mead* diſc. of the ſmall pox, 1748. *Siccae Coringii*, Diſſert. de variol. *Cryſtalline diſcrete.*

Diſtinguitur a miliari veſiculis piſiformibus; maligna eſt.

6. *Variola diſcreta verrucoſa Mead* diſc. of the ſmall pox.

Diſtinguitur puſtulis duris, verrucoſis, prominentibus, quae ſiccatae nigreſcunt, et vix ante menſem delabuntur; apud nos mediae ſunt inter benignas ac malignas, atque diſcretae. [Raro ſolitariae, plerumque cryſtallinis mixtae, maxime obuiae in partibus tectis.]

7. *Variola diſcreta ſiliquoſa Mead* diſcourſe of the ſmall pox.

Eſt maligna; veſiculari et verrucoſae affinis, a quibus differt ſiliquis vacuis mollibus, efformatis ab ichore pellucido, ſub cute diffuſo.

8. *Variola diſcreta miliaris* 3ª *ſpecies Helvetii* Obſ. ſur la petite verole, pag. 204: *petite Verole tres-diſcrete, veſiculaire et pourprée.*

Haec eſt altera diſcretae malignae varietas.

Cognoſcitur 1° ex puſtularum maiori diſtantia, minori numero. 2° Cum purpura et puſtulis morbilloſis accedunt veſiculae denſae, minutiſſimae, [purpuram et puſtulas morbilloſas, et miliarem, habeas potius pro retardatis et cohibitis variolis.] 3° Symptomata febris malignae adſunt. 4° Quandoque puſtulae ſunt in brachiis duae, vel tres, interea dum pectus miliari, aut rubeoloſo eryſipelate obſidetur, vel petechiis, dum veſiculae miliares per artus diſperguntur, et potiſſimum pectus obſident ſero pellucido plenae, quaeque cutim tantum exaſperant.

Therapia diſcretarum malignarum. Ante eruptionem febris impetus retundendus eſt pluribus phlebotomiis, vt duabus, vel tribus, ſi de adultis agatur.

Diaeta, ptiſana, clyſmata, vt in benignis, ſed victus tenuior, in fine exacerbationis emeticum, vel catharticum, vt praeuertantur ſudores colliquatiui, haemorrhagia et dyſuria, quae his ſpeciebus ſuccedere ſolent.

Si paroxyſmi cum oſcitatione, frigore, procedant, nec obſtet calor et ſiccitas cutis, ptiſana ex kinkina et borragine vſque ad quartam diem haurienda.

Si eruptio iam facta ſit, cum aduocatur Medicus, nihilominus phlebotomia celebranda, catharticum adhibendum intra tres primos eruptionis dies, tunc circulus puſtularum colorem viuidiorem nanciſcitur, eruptio lentius creſcit, ſuppuratio minus laborioſa fit, vigiliae et anxietates minuuntur. Interea perſpiratio et vrinae fluxus diluentibus, decocto borraginis, capillorum veneris infuſo, cieri debent.

Si aluus nimium fluat, enemata mucilaginoſa adhibentur, et potus calidus, praeſertim incipiente ſuppuratione, praeſcribitur.

De dyſenteriodis Variolae cura videatur *Sydenhamus*.

In veſiculari vberius eſt humectandum et refrigerandum.

De verrucoſa et ſiliquoſa conſulatur *Mead*.

[Ne fidas huic ſpecierum et varietatum enumerationi, ſed ad genium febris reſpicias, an plethorica, ſeu inflammatoria, an gaſtrica ſit, paucis moneo, quum hac de re alibi plura dicam.]

Variolae confluentes.

[Sunt, qui diſtinguant *confluentes* a *cohaerentibus*, quod hae iam ab initio puſtulas contiguas ſiſtant, *confluentes* durante ſuppuratione, maxime incipiente, et ſeptis quaſi ruptis coëant Siſtunt ſordidum ex albo cinereſcentem mucum, in quo praeter obſcuras depreſſiones et pallidas albeſcentes eleuationes nihil diſcernas, dum ſub exſiccatione atrobrunneus mucus, male olens, inſtar halecum, apparet, plerumque exitium indicans.]

9. *Variola confluens; Confluentes regulares* Sydenhami, *Freind* Epiſtol. de purgantibus, *petite Vérole confluente ſimple Helvetii* 1ª *ſpecies.*

Differt a diſcretis per coalitionem multarum puſtularum, et a ſubſequentibus, quod iſtae ſint minus malignae, ſequentes vero peſtilentiales, ſeu multo magis exitiales, ſimulque vel in facie corymboſae, vel cryſtallinae, vel nigrae, vt videbimus.

Inuaſio eiusdem generis, ſed multo intenſiora adducit ſymptomata, quam in diſcretis, ſcilicet anxietates, virium proſtrationem, vomituritiones, non tamen ita promte in ſudores diſſoluitur aeger, quam in diſcretis; diarrhoea nonnumquam eruptionem

praecedit, et ad diem vnum, aut alterum, poſt illam protrahitur, quod in diſcretis vix accidit.

Eruptio fit tertia die, aut citius, et quo citius, eo magis confluunt, peioresque ſunt puſtulae: interdum tamen ratione doloris atrocis, vt nephralgiae, lumbaginis, pleurodynes cum vomitu, retardatur ad quintam diem: ſymptomata non remittunt ab eruptione, vt in diſcretis, ſed vltra perſeuerant. Febris ſingulis diebus veſpere exacerbatur: obſ. *Sydenhamo* puſtulae non ſunt diſtinctae, ſed eryſipelatis, aut rubeolae, ritu paulo poſt eruptionem, confunduntur in veſiculam rubram, quae totum vultum contegit, nec multum vltra ſuperficiem cutis protuberant, cum in diſcretis puſtulae diſtinctae magis eleuentur interſtitiis albis vſque ad octauam diem, et tunc apice albeſcunt, dum ambitus rubet; aſt in malignis die octauo aggeries puſtularum, quae conſtituit pelliculam albam, quotidie magis exaſperatur, et fuſca euadit et dolet, ac demum non vndecimo, vt in diſcretis, ſed tardius, vt poſt 15^im^ vel 20^i^ dies latioribus laminis deſquammatur: in adultis *ſaliuatio*, vide *ptyaliſmum varioloſum:* in infantibus diarrhoea confluentium comes eſt. Ceſſat ſaliuatio vndecima die, et niſi tunc creſcat faciei, manuumque intumeſcentia, aegro protinus moriendum eſt. Vide *Oedema varioloſum.*

Variolae confluentes malignae.

10. *Variola confluens cryſtallina*; *Variola Iaponica* Kaempferi; *Veſiculae Diuae Barbarae C. Piſonis* Obſ. 149; *Petite Vérole cryſtalline*; *premiére eſpéce de confluente maligne Helvetii pag.* 208.

Primis diebus difficulter diſtinguitur, quia puſtulae nondum ſunt eius magnitudinis, vt cryſtallinae appareant, id eſt, vt plures ſimul coalitae veſiculam, ſero turgidam, conſtituant, qui character eſt cryſtallinae, cum plures ſimiles veſiculae adſunt: in miliari quidem ſunt etiam veſiculae, ſed aciculae caput non ſuperantes, adeoque miliares.

Symptomata praeludii ſunt febris viuida, diarrhoea feroſa notabilis, cephalalgia, ſitis magna, cutis albo-pallida, ſubtumida.

Symptomata eruptionis, puſtulae minus rubrae, citius creſcentes, et maiores, quam in aliis ſpeciebus; circulus, qui baſin puſtulae cuiusuis ambit, eſt ſemper pallidior, ſeu minus ruber; pellicula veſiculae tenuiſſima, fundus veſiculae pallidus, vt circu-

lus ambiens; magnus tumor ſuboedematoſus artuum; demum febris maligna, ſaepius tritaeophya ſua addit ſymptomata cum miliari eruptione, qualia in diſcreta maligna deſcripſimus.

Prognoſis cryſtallinae tutior, quam cohaerentis.

11. *Variola confluens cohaerens; ſeconde eſpèce de confluente maligne Helvetii*, obſerv. pag. 210. *petite Vérole cohérente.*

Huius character ſunt puſtulae, in apice depreſſae, inuicem cohaerentes, in facie vnicam ſuperficiem aequalem conſtituentes, interuallis miliaribus, et purpuratis vtplurimum. *Praeludium* idem, ac Variolae complicatae, ſed pyrexia maior, et exacerbationes longiores, fortiores, praecipue carotidum pulſatio, oculi rubentes, tendinum rigiditas. *Eruptio* totalis promta, figura puſtularum inaequalis, apice depreſſo, circulo intenſe rubro, mediocris eleuatio, maxime in facie, quae multum turget, epidermide in vnicam veluti puſtulam planam aequalem intumefacta; cutis ardens, arida, etiam a ſudoribus non remolleſcens, vrina pauca, intenſe flaua; pulſus durus, paruus, vel magnus et celer; oculi nunc rubri, ſcintillantes, prominentes, lucis impatientes; nunc liuidi cum mydriaſi; cephalalgia violenta, niſi delirium, aut coma, accedant; delirium et rigiditas tendinum, ac conuulſiones frequentiores, quam in aliis ſpeciebus.

12 *Variola confluens nigra Sydenhami pag.* 124; 3ª *ſpecies confluentium malignarum Heluetii* pag. 213. aliis *Variola haematodes* vel *ſcorbutica; ſanguinea* Mead; *Petite Vérole noire ou ſcorbutique, Sydenhami Variolae ann.* 1674, *Huxham* de aëre, pag. 37.

Huius character ex puſtulis nigris, ſanguinem nigrum fundentibus, fundo gangraenoſo, mictu cruento, haemorrhagiis variis, interuallis puſtularum atris cet. eruitur. *Praeludium* vt aliarum malignarum. *Eruptio* ſecunda die incipiens, puſtulae parum elatae, nigricantes; ſectae fundunt cruorem atrum, liuidum; mictus vtplurimum cruentus; deiectiones alui, vrinae, ſputa, vomitiones, lacrimae etiam quibusdam ſanguineae; interualla puſtularum atra, febris vehemens, paroxyſmi violenti. Haec ſpecies vtplurimum letalis ſecunda, vel tertia, die.

13. *Variola confluens corymboſa;* 4ª *ſpecies confluentium malignarum Heluetii pag.* 214; *Petite Vérole à placards.*

Character, vel aggeries puſtularum non confluentium, ſed denſiſſimarum, potiſſimum in facie; interualla inter has aggeries

puſtulis deſtituta. *Praeludium et eruptio* eadem ac in variola complicata. Eadem prognoſis, ac complicatae, ſeu diſcretae malignae; quo plures et denſiores corymbi in facie, eo maius periculum, quantacumque ſit eorum in caetero corpore multitudo.

Curatio diſcretarum malignarum et confluentium. Mittatur ſanguis ante eruptionem ſemel, aut pluries, in adultis liberalius; poſtea vomitorium exhibeatur, et ſi tempus eruptionis non vrgeat, ſequatur catharſis quam proxime. His primis diebus diluatur ſanguis vberi potu, vel ptiſanae hordei, vel decocti cornu cerui in ſcobem redacti ad vnciam ſemiſſem pro aquae libris duabus, aut ſcorzonerae radicum, cet. Quodſi aeger calidi ſit temperamenti, ſpiritus vitrioli ad gratam aciditatem addatur vſque ad plenam eruptionem puſtularum.

Cum variolae omnes eruperint, quod eſt circiter ſexto die poſt inuaſionem, veſpere propinetur ſyrupus papaueris albi vſque ad diem decimum ab inuaſione, quod mane etiam repetatur in confluentibus, atque magna doſi, ſi phrenitis acceſſerit, parciſſime infantibus, vtpote ſomnolentis. Si iſchuria accidat, aeger e lecto eximatur et obambulet paululum. Si ſaliua adeo ſit viſcida vt excerni nequeat, fiat gargariſma ex aqua hordei cum melle roſato. Si ſopor accedat, pulſusque deprimatur, langueat, veſicatorium nuchae applicetur, ſinapiſmus, aut allium plantis pedum, ſingulis diebus renouanda.

Si vndecima die amphimerina ſecundaria cum inquietudine, iactatione, ceteriſque ſymptomatis ita efferatur, vt paregoricis ſufflaminari nequeat, et mors quaſi immineat, ſanguis illico e pede detrahatur vbertim, et bis, ſequentibus diebus, iteretur phlebotomia, ſi opus ſit, et cito catharſis, imo quandoque emeticum in vſum aduocetur, prout vires ſinunt, non omiſſis paregoricis; catharſis autem vna vulgo ſufficit.

Cum puſtulae omnino exaruerint, inungatur facies per biduum, non vltra, pomata cum oleo amygdalarum, ouorum.

Si oculis inſint puſtulae, aut palpebrae tumeant admodum, infuſio croci in aqua roſarum intra palpebras immittatur.

Methodus Fiſcheri, Medici Germani, in curandis variolis eſt, vt praemiſſa phlebotomia et catharſi, balneis tepidis non eruptio ſolum, ſed maturatio cieatur, atque plusquam viginti fortuitis Monſpelii factis obſeruationibus conſtat, praemiſſis balneis, etiam

aliquot frigidis, non exſpectatas feliciter erupiſſe variolas; verum ne haec in cacochymicis corporibus tententur balnea, nec dum timentur malignae variolae, certus ſuadeo.

Methodus Mortoni conſiſtit in vſu diaphoreticorum, praemiſſis tamen phlebotomia, et veſicatoriis ad nucham, atque pedes, nec non interpoſitis pro re nata anodynis, quibus etiam cardiaca addit, demum vero bolis catharticis curam terminat.

Sunt autem plurimi caſus, in quibus Sydenhamia et Mortonia methodus debent inuicem combinari, vel alterutra anteponi, obſeruante *Huxhamo.* Infuſum vinoſum kinkinae in malignis optimum. *Iourn. de Med. Avril* 1764. *pag.* 342.

Methodus Indica D. Ludouici, Collect. Acad. Tom. 3. *pag.* 338. Prima die immerguntur varioloſi in fluminis proximioris aqua. Secunda die vtuntur ſero lactis acido pro potu. Tertia die cucumeres, aceto conditi, eſitantur. Quarta die erumpente variola merguntur, etiam veſtiti, in flumine, dein in lecto ſuo reponuntur: hac methodo vtuntur in inſula Iaua Nigritae, tum ad variolam, tum erga puerperas; morbus ſalubriter ſua percurrit ſtadia; cicatrices vero relictae albae ſunt, qui color dedecorus ipſis videtur et ridiculus.

Quid ſint *Variolae piloſae Carrichteri*, ignoro.

Puſtulas, Variolae laruis muſcae carnariae foetas, vidit *P. Borellus* Cent. II. Obſ. 72. ſed diſtinctius *Cl. Razoux M. Nemauſenſis.*

[14. *Variola anomala ſanguinea G. Lund* act. Suec. XXX. p. 29. ſq. Comm. Lipſ. XIX. 390.

Praeludium anomalarum, pulſus parui, celeres, reſpiratio difficilis, plerumque diarrhoea. *Stadium ſec.* a die 2. maculae rubrae, aliquae parum eleuatae, ad magnitudinem paruae iuglandis, ſanguine repletae, aliae minores, aliae exiguae, confluentibus ſimiles. Maxima pars veſicularum ſaepius veluti retracta intra cutim vix amplius conſpiciebantur, deinde rurſus adparebant priori magnitudine, quae alternatio 2 dies interdum durabat. Loca, a variola libera, pallebant, nulla circuli, alias rubentis, ſigna. Durabant anxietas virium deiectio, pulſus parui et celeres, ardor non adeo magnus. *Stadium* 3. Nulla ſuppuratio: veſiculae et iam ſanguine plenae, fundus tamen in diſruptis non gangraenoſus, in ſponte vero concidentibus locus breui nigreſcebat. Iam alternant ardor et frigus, alternant epiſtaxis, excrementa ſangui-

nea; vires magis proſtratae, aegerque plerumque die 5. poſt eruptionem moriebatur. Nihil ſalutis ab acidis mineralibus, camphora, aut chinachina, vt tamen ab analepticis veſiculae manerent; phlebotomiae, veſicatoria, ſinapiſmi exiguum vſum praeſtabant.

15. *Variola torpida.* *Sauv.* Sp. 5 et 6. Cryſtallinae et verrucoſae *Meadii* p. 34. 36. *Huxham* op. T. 2. p. 121. 133. 137. 138. *Eller* de cogn. m. p. 136. *Schroeder* de variol. p. 31. 58. *Selle* pyret. p. 297.

His eſt pulſus debilis, celer, tremulus, os pallidum, ingens virium proſtratio, horror cum aeſtu alternans, ſitis parua, languor perpetuus, ventriculi aegritudo, vertigo. Eruptio demum die 7. 8. fit, quo prodeunt ſtigmata, quae tarde in papulas pallidas et depreſſas conuertuntur. Loco puris *vel* aër, tumque *verrucoſa, emphyſematica,* dicitur, *vel* ſanies corrodens, deprehenditur. Vrina pallida, cruda, aut praeter rationem cocta. Puſtulae prius in extremis, quam in facie, erumpunt. Deficit ſolito tempore tumor faciei et manuum: noua puſtularum copia poſt alteram erumpit. *Inſititiae* vulnus pallidum, non tumidum, indolens carens pruritu.

16. *Variola languida.* *Huxham* op. T. 2. p. 133. *Roederer* d. de variol. mali mor. p. 39.

Similis iam dictae.

17. *Variola inflammatoria ſimplex,* ſiue *plethorica.* *Sydenh.* T. I. p. 79. *Wintringham* p. 236. 264. *Huxham* op. T. 2. p. 121. 127. *Eller* l. c. p. 135. *Gatti.* p. 78. *Sauv.* Synochus ſp. 3. Benigna.

18. *Variola putrida.*

a. *diſcreta, ſanguinea anomala.* *Selle* med. clin. p. 98. Febris prior calore maiori ſtipata, cum faciei pallore. Puſtulae iam initio atrorubrae, tarde eleuantur, fiunt caeruleae, atrae. Criſis die 8. 11. 13.

b. *confluens, anomala nigra.* *Foreſt.* L. 1. obſ. 17. Schol. *Huxham* T. I. p. 37. T. 2. p. 58. 121. *Eller* l. c. p. 136. 144. *Mead* de var. p. 37. *Sydenh.* T. I. p. 124. *Heluetii* Spec. 3. *Sauv.* ſp. 12. *Schroeder* de var. diſtrib. p. 34. *Selle* pyr. p. 190.

Salus a purgantibus, ſialagogis, acido vitrioli, cortice, camphora.

c. *choleſeptica.* *Huxham* T. 2. p. 134. *Clegborn* p. 276. *Selle* p. 237. *Fincke* de m. bil. p. 55.

α. anomala, miliaris. Heluetii ſpec. 3. *Sauv.* ſpec. 8.

β. dyſenteriodes. Sydenham a. 1670. T. I. p.

d. *putrida, verminoſa.* Cl. *Beireis* d. de febr. et variol. verm. Nullas cicatrices relinquit. Non contagioſa iis, qui ſuſtinuerunt aliam ſpeciem.

19. *Variolaillioſa.*

a. *benigna. Huxham* T. 2. p. 121. 127. *Schroeder* ampl. febr. bil. §. 10. p. 40. et var. diſtr. p. 33 ſq. op. T. 2. p. 239 ſq. *Selle* pyr. p. 224. *Stoll* rat. med. T. 2. p. 52. *Cotunni* de var. p. 210 ſq. *Fr. Hoffmanni* op. T. 2. p. 63. 66. obſ. 4. *Lentini* memor. p. 46. 48. *Tiſſot* ep. de var. p. 76.

b. *maligna.* Ante eruptionem lumbago, colica, praecipue ſi per ſaliuam infectio peracta: eruptio difficilis, promota emetocatharſi, puſtularum facilior confluxus, diarrhoea, niſi euacuantibus auertitur. Sub finem maturationis puſtularum et ineunte iam ſuppuratione ſymptomata grauiora, paraphroſyne, lethargus, orthopnoea, tympanitis, diarrhoea ſoetida, pulſus abnormes.

c. *Variola catharrhoſa bilioſa. Wagler* d. de m. muc. p. 18. 19. 37. *Roederer* de m. var. p. 19. 23.

d. *Variola verminoſa. Roederer* l. c. p. 20. *Beireis* d. c. Act. Helv. T. IV. p. 63. Comm. Lipſ. T. XII. p. 151. 153. *Cotunni* de var. p. 66. ſq. Syſt. aegr. T. 2. p. 47. *Hufelands* Bem. v. d. blatt. p. 67 ſq.

Puſtulae vmbilicatae: eruptio retardata: eclampſia: diarrhoeae torminoſae cruentae.

20. *Variola purulenta.* Stadium 3. et 4. reliquarum ſpecierum et var. *Mead* de variol. p. 19. *Freind* de purg. in f. 2. var. p. 24. *Cotunni* l. c. p. 247.

Synochus, hemitritaea, intermittens. Saliuatio adultis familiaris etiam in benignis. Salus ab acidis mineralibus, eccoproticis, reſoluentibus, et gargariſmatibus, veſicatoriis ad aures. In debilioribus ſubiectis, ob conſtitutionem, morbumue cort. peruv. adiuuanda pyogenia. Suppuratione ſuppreſſa (vnde paraphroſyne, haemoptyſis) ſalus a cataplaſmate ex fol. heder. in aqua coct. toti C. adplic. — Pus varioloſum ab alio pure non differre, legimus in *Comm. Lipſ.* XIII. p. 202. quod negant alii.

a. *Varicella ſuppurans. Medicus* ep. de exſtirp. variol. p. 54. *Sims* obſ. on epid. diſcd. p. 115. Comm. Lipſ. XXII. p. 113. Ad ſuppurationem perducitur, non raro: licet fatear.

aegre interdum definiri, an variola benigna fuerit lymphatica. Ita puella mea ante annum ſuſtinuit ſpeciem, quam ad oct. vſque diem haberem pro varicella hac, dum ſerius natae puſtulae, quarum vel C. tantum totum corpus occupabant, ſuppurabant, inde febricula ſurgeret, atque benignae inſtar leuiter ad diem vſque 14. aegrotaret et geſtaret poſtea foueolas verarum.

21. *Variola catarrhalis.* *Huxham* op. T. 2 p. 137. *Lentini* mem. p. 65. Febris catarrhalis, et catarrhi ſymptomata, anxietas, vomituritio, magnae, variola cryſtallina, lymphatica, confluens, rupta omnia corroduntur, vel ſiliquoſa: ptyaliſmus. Salus ab ephidroſi.

22. *Variola ſcorbutica.* *Lind* de ſcorb. p. 173.

23. *Variola ſyphiliticorum.* *Huxham* op. T. 2. p. 66. 150. Periculoſa.

24. *Variola ſcabioſa.* *Roederer* de var. p. 37. *Hundertmark* de ſcab. artif.

Scabies non liberat ab exanthematibus, licet ceſſet eruptio eius tamdiu, quam exanthemata adſunt.

25. *Variola atrabilaria.* *Grant* de febr. p. 204. Confluens mali moris.

26. *Variola ſcrophuloſa.* *Kortum.* de m. ſcroph. T. I. p. 245.

Confluens, mali moris, ptyaliſmus; ſequelae ſcrophularum ſuppuratio, phthiſes, * caries. Timent eiuſmodi ſubiecta fautores inoculationis: vt tamen ſcrophuloſi facilius var. ſuſtineant.

27. *Variola critica.* *Roederer* l. c. Comm. Lipſ. T. VII. p. 122.

a. *in ſcrophulis.* *Mead* de var. p. 71. 72. *Cullen* prax. vol. IV. §. 1679. *Kortum* T. I. p. 244. de *Kanilfeld.* T. 2. prax. p. 216.

28. *Variola laruata.* *Varioloſa febris absque exanthemate* auct. *Sydenham* T. I. p. 78. 98. *Foreſt.* l. 6. obſ. 49. 50. *Willis* T. I. p. 172. de febr. *Ballon.* op. T. I. p. 23. *Drelincourt* op. p. 649.

* Cf. l. c. Cl. *Kortum,* qui, variolam in ſcrophuloſis cicatrices fere nullas relinquere, inuens, quaeſtionem mouet: an variola, bene ſuppurans, pulmones a diſpoſitione ad phthiſin liberaret; atque vt in phthiſicis cicatrices leues non ſine periculo videres, grauiores felicem exitum ſponderent? Num ex quo inſititia minor ſuppuratio locum haberet, phthiſici frequentiores?

de *Haen* rat. med. T. II. p. 28. *Roederer* de var. p. 29. 42. 53. Comm. Harlem. T. IV. p. 102. Comm. Lipſ. vol. IX. p. 572. *Barcillon* praef. p. 19.

Non pertinet ad non entia, vt primum videri poſſet, ſed explicanda res ſic eſt, vt ſtatuas, ſub epidemia variolae obſeruari febres biliofas, putridas, alias, quae ſimilem deſiderant variolae curationem, modo, quod res eſt, varioloſae febri rite opem feras. Non lubet ſcriptores de variolis enarrare, quum quaſi bibliotheca ſit: adeat lector peculiare hac de notitia ſcriptum Cl. *Krüniz.*, quantumuis adaugendum.]

III. PEMPHIGUS, *Pemphigos* et *Pemphigodes puretos Galen.* 6ª Epidemiar. *Hydroa* Car. Piſonis; ſic dicta *a pemphix*, bulla, vel phlyctaena; *Bulloſa febris*, Nouvell. Claſſ. *Fièvre Veſiculaire.*

Eſt Phlegmaſia exanthematica, ſaepius acuta, bullis, vel veſiculis magnis pellucidis, ſero flauo turgidis, per cutim ſparſis, inſignita.

Differt maxime a *miliari*, alba, in qua veſiculae quidem ſunt, ſed grano milii non maiores; a variola cryſtallina, in qua veſiculae etiam ſunt, ſed pure turgidae, ſeu ex plurimis puſtulis ſuppuratis in vnam maiorem collectis effictae: in Pemphigo bullae ſunt auellanae circiter magnitudine, quandoque maiores, raro minores, ſero dilute flauo turgidae.

Morbi huius nulla diſtincta apud Graecos, Arabeſue, inuenitur hiſtoria; non ita tamen rarum eſſe, quin eum ſexies ſaltem obſeruauerim.

1. *Pemphigus maior* Chr. Seligeri; *Hydatides C. Piſonis* obſ. 147, 149. vbi deſcriptio morbi. *Febris veſicularis catarrhalis Delii* amoenit. med. dec. 1. caſ. 9. p. 71. vbi curatio leg.

Eſt morbus, pyrexia acuta continua ſtipatus, in quo altera, vel tertia, die ampullae, ſeu veſiculae, pellucido-flaueſcente ſero turgidae, per cutim oboriuntur, nucis auellanae magnitudine; quibus ruptis et effuſo ſero ſuccedunt amplae maculae atro-rubrae, cruſtis epidermidis nigricantibus circumdatae: morbus intra duas ſeptimanas terminatur. Primum illum obſeruaui anno 1725 in Noſocomio Monſpelienſi apud militem, cui in febris acutae continuae initio, numeroſae in abdomine et femoribus exoriu-

bantur veſicae hemiſphaericae, pellucidae, in ambitu rubrae, quibus correptus fato ceſſit. Deinde pluries eumdem morbum in mendicis et pauperibus noſocomii generalis obſeruaui, inter quos bis vidi *pemphigum apyretum*, ita vt hoc commune ſit exanthematicis, vt peſti benignae, variolae benignae, aut ſaltem lymphaticae, quasdam ſpecies ſine notabili pyrexia prodire. Huius morbi nomen ſe ignorare fatebatur *Deidier*, atque eum *veſicularis morbi* nomine indigitari poſſe.

2. *Pemphigus Caſtrenſis* D. *Thiery* Medic. experimental. pag. 134.

Regnabat, ait ille celebris Medicus, anno 1736. Pragae morbus valde contagioſus, aduerſus quem artis medicae praeſidia nulla proderant; ferocia morbi omnes methodos eludebat. Magnus huius vrbis Clinicus tandem conſiderans veſiculas, auellanae magnitudine per cutim erumpentes, ipſas cum veſicatoriorum phlyctaenis affines eſſe percepit, ſuſpicatusque, idem eſſe genus fermenti acris, quod has veſiculas excitaret, atque illud, quod cantharides ſuppeditant, acetum bezoarticum aegris ſuis praeſcripſit et omnes ſaluos fecit, interea dum vix vnus aliis Medicis commiſſus mortem euitabat.

3. *Pemphigus Helueticus* Dan. *Langhanſii* Act. Heluetic. vol. 2. pag. 260.

Peculiaris morbus epidemicus, qui anno 1752. in valle Simmia epidemice graſſatus eſt, a nemine huc vſque neque obſeruatus, neque deſcriptus, exeunte hieme praecedente exortus eſt, qui per totam aeſtatem aequali vehementia durauit, ita, vt omnes, qui eo corripiebantur, obierint. Contagioſus omnino eſt; quoties vnicum ex tota familia inuadit, reliqui ex eadem familia omnes breui poſt afficiuntur. Inuadit cum dolore leui, tenſiuo, vix perceptibili in faucibus et externe pone aures vſque ad thoracis partem anticam, cum horrore, nauſea, frigore, vt in febribus intermittentibus, ſed nullus calor, aut aeſtus, vel leuis tantum, ſubſequitur. Collum externe plerumque intumeſcit, interne in faucibus, circa vuulam et pharyngem, bullae, aut puſtulae magnitudine nucis auellanae circiter, ſine magno dolore oriuntur, quae ichorem flauum, odoris valde ingrati, in ſe continent; [Vti aphthae ſunt interne miliaris, ita aphthae maiores ſunt pemphigi comites.] ſaepe et in aliis corporis partibus, vt in inguine, inter femora et pudenda, in digitis, in labiis, cet.,

enaſcuntur, e quibus vel ſponte ruptis vel lanceola inciſis, ichoroſa materies exſtillat.

Die ſecundo, tertio, vel quarto, collabuntur puſtulae in faucibus, earum loco apparent fruſtula albida; aeger anxietatem ſentit in thorace, tumor externe in collo incipit euaneſcere, vel increſcere et in abſceſſum degenerare, quo, ſi cito aperiatur, vita ſeruatur, at ſi prius, quam colli tumor aut penitus euaneſcat cum puſtulis faucium, aut abſcedat, grauitas in pectore ſentiatur, pereunt aegroti inſtar eorum, qui a rupto empyemate ſuffocantur. Quidam a retropulſa puſtularum materie ſubito exſpirarunt ſine vlla antea praegreſſa ſuppuratione.

Quoties venenoſa illa materies febrili quodam impulſu ex faucibus in externas corporis partes protruditur, aeger ab omni periculo liberatur. Sic morbum ſoluit abſceſſus in glandulis inguinalibus, axillaribus, parotidibus, maxillaribus, oeſophageis, exortus. Idem praeſtant veſiculae in partibus externis prodeuntes; ſaepe digiti manuum veſicula quadam circumdantur, in qua venenum totum colligitur et ex qua tandem expellitur. Incolae credunt, hoc venenum a nebulis, hanc regionem antea infeſtantibus, originem traxiſſe: familiaris illis eſt potus ſpiritus frumenti, ceraſorum, etc: cibus eſt caſeus acer et pinguis.

Curatio. Praemiſſa vna, aut altera, larga phlebotomia, amplum veſicatorium ſyncipiti applicabatur, collum cataplaſmatis, ex lacte paratis, omni bihorio renouandis, inuoluebatur, ſimul aeger ſudorificum ſumebat ex oxymelitis ſcillitici, et helleborati, ana, drag. II: mellis roſati et ſpiritus nitri dulcis, ana, drag. I: ſuperbibendo aquae ſcordii, vnc. III: mixturae ſimplicis ſeu camphoratae ſcrupul. I: hinc ſudor copioſus ſero lactis vel infuſo ſaluiae ad ſex horas promouendus. Sequenti die tumores externi, et puſtulae oris euaneſcere ſolent; altera die puluis reſoluens ex ſale ammoniaco et nitro propinatur cum hauſtu largo infuſi ſaluiae, nocte ſequenti theriacae doſis cum aqua ſcordii hauritur, vnde ſudores profuſi, et aeger ſic reſtitutus poſt aliquot dies ſale Sedlicenſi purgatur.

4. *Pemphigus* (*putridus* ſeu) *Indicus Bontii* de medicina Indorum obſerv. vltima. *Bulloſa febris cum dyſenteria Morton.* pyretolog. appendic. pag. 163. [*Malignus Vogelii* prael. p. 116. *Selle* pyr. p. 193.]

Hanc ſpeciem comitatur apud Indos febris maligna cum dyſenteria: obſeruauit etiam in amphimerina epidemica ab anno 1658 ad 1691 veſiculas aqueas per collum et pectus ſparſas *Bontius*. Extractum croci et opii a *Bontio* commendatur.

5. *Pemphigus Braſilienſis*, Obſeruations curieuſes ſur la Phyſique tom. 1; 1730, le P. Bougeant J.

Tactus colubri bicephali, etiam mortui, apud Braſilienſes, excitat hanc ſpeciem, quam ipſe paſſus eſt et expertus *D. Couplet* Acad. Reg. Pariſin. Socius; veſiculae ſcilicet ipſi erupere, aqua flaueſcente turgidae, quaeque tres menſes durauere.

Num ad pauciores ſpecies reduci debeant huius generis morbi, aliis ad indagandum relinquimus.

[6. *Pemphigus cholesepticus.* *Finke* l. c. p. 110 ſq. Phlyctaenae pellucidae, palleſcentes, tenacem humorem profundentes.

7 *Pemphigus plethoricus* ſeu *inflammatorius ſimplex*. *Vogel* p. 116. *Selle* pyr. p. 161.

8. *Pemphigus vlceroſus.*

Ob decubitum in dorſo, quem occupant exanthemata, facile exulceratio e vario morbo nati exanthematis.

9. *Pemphigus arthriticus.* Act. Haun. n. vol. I. p. 8. Tumor oedematoſus totius C. paraphroſyne, ephidroſis.]

IV. RUBEOLA ſic primitus nominata a traductoribus *Haly Abbatis* Practicae lib. 3. cap. 1. de Variolae et Rubeolae medela; *Blacciae Aaronis* interpret. *Morbilli* a Latino-Barbaris, in plurali, dicti, quaſi parui morbi; *Haſaſin*, nec non *Roſeola Caſtelli* Lexic. Medic.; *Hureſchin Maabak* Arabum ex Golio; *la Rougeole*.

Cognoſcitur ex papulis, pulicum morſus aemulantibus, aſperis, in ſquamulas furfuraceas abeuntibus, quam eruptionem praeceſſit tuſſis ſicca, ſternutatio, lacrimatio et febris catarrhalis.

1. *Rubeola vulgaris* Piens; *Morbilli regulares Sydenhami* ann. 1670; *febris morbilloſa* Frid. Hoffmanni. *Rougeole ordinaire*.

Infantes infra et ſupra ſeptimum annum maxime adoritur; in eadem vrbe nunc a ſeptentrionali ad meridionalem plagam, vel reciproce, progreditur epidemia, ſaepius terminanda intra

ſex menſes. Morbus intra octo dies deſinit, verum aliis morbis ſaepe peioribus viam ſternit. *Praeludium* eſt catarrhale; primo ſcilicet die, rigent, horrent, calent, et frigent alternatim; ſecundo die febris maior, aegritudo vehemens, ſitis, inappetentia, lingua alba, humida, tuſſicula ſicca, capitis et oculorum grauedo, ſomnolentia perpetua, coryza, oculorum ſplendor, humiditas, aut lacrimatio cum ſternutatione, palpebrarum deinde tumore, vomitu, diarrhoea, deiectione in dentientibus viridi; omnia ingraueſcunt vſque ad eruptionem: quarto die eruptio, maculae ſcilicet paruae, rubrae, in fronte et facie, pulicum morſibus perſimiles, in corymbos congeſtae; in ſingulis ſuccreſcunt papulae, tactu, non viſu, diſcernibiles, quae dein pectus, ventrem, et artus, afficiunt, in quibus maculae ſunt tantum non prominentes, ſed latiores et magis rubrae, quam in facie. Eruptione facta, nullus vomitus, ſed tuſſicula, et febris cum dyſpnoea, intenduntur, defluxio in oculos, ſomnolentia et inappetentia perſeuerant. Die ſexto frons et facies aſperaſcunt puſtulis exſiccatis, dum in reliquo corpore papulae rubiculae permanent. Octauo die in facie euaneſcunt et in reliquo dein corpore. Nono die papulae totius corporis in farinam tenuem atram abeunt, ſed febris, dyſpnoea, et tuſſicula quandoque augentur, non ita tamen, ac in maligna rubeola.

Si quarto die ſuperueniat phrenitis, malum, in quo caſu pulſus eſt exiguus, et hirudines temporibus feliciter admouentur. Si verminoſos Rubeola aggrediatur, ſtatim lumbrici ſurſum et deorſum egrediuntur omnes, vel ſaltem a cathartitis et emeticis, deinde nullus lumbricus videri poteſt. Circa finem rubeolae, ſi creſcat febris et ardens euadat, cum ſiti intenſa, malum. Cathartica, phlebotomiae, ptiſanae emulſionatae, vix proſunt. Poſt vomitiones virideſcentes ſuperueniunt diarrhoea aut dyſenteria, quae finita Rubeola perſeuerant; hae catharticis abſorbentibus reſiſtunt, phlebotomiae vero cedunt. Rubeola per ſe raro ſummi momenti eſt, verum morbi eam ſequentes ſaepe funeſti.

Dantur Rubeolae benigniſſimae, quae vix tres, vel quatuor, dies infantes lecto addicunt et fere ſine febri ex tuſſicula ſicca et maculis rubris tantum ſe produnt, quaeque vti variolae benignae ſoli naturae commiſſae, breui ſanantur, maxime quae ſunt ſporadicae.

2. *Rubeola anomala*; *Morbilli anomali Sydenhami* cap. 3. ann. 1674 pag. 143. *Morbilli epidemici et maligni Mortoni* de febrib. inflammatoriis cap. 3. *Rougeole maligne.*

Differt a regulari, ſeu benigna, 1° quod eruptio ſerius fiat, quam in benigna, ſcilicet a 5° ad 7um diem, imo iuxta *Sydenhamum* quandoque ocyus, ſeu ante quartam diem; 2° Quod grauia ſint, tum praeludii, tum eruptionis, ſymptomata; 3° Quod non ita a facie exanthemata, ſed potius ab humeris et trunco incipiant; 4° demum ſequelas periculoſiores adducit. Symptomata ante eruptionem ſunt rigor, oſcitatio, pandiculatio, virium proſtratio, nauſea, vomitio, iactatio inquieta, vertigo, cephalalgia, lumbago: morbis grauibus haec communia, ſed et ſunt exanthematicis iſtis magis propria, vt pulſus, frequens et exilis, reſpiratio frequens et breuis, hypochondriorum oppreſſio, vrinae pallidae, ſopor, ſubſultus tendinum, ſpaſmi, deliria cum oculorum rubedine, aquoſitate, palpebrarum grauitate, punctura cutis dolorifica; angina etiam accedit cum raucedine clangoſa, tuſſi moleſta, ferina, in qua pueruli veluti ſuffocantur, ingeſta euomunt, nigreſcunt facie; cum autem poſt tam acrem luctam eruptio facta eſt, febris malignitatem ſuam partim deponit, morbus in ſtatu eſt, et homotona febris vſque ad exſiccationem papularum, quae tamen non ſemper in farinam abire viſae ſunt *Sydenhamo*. Euentus autem huius ſpeciei ſaepe eſt triſtis et funeſtus, nam papulis recedentibus febris et dyſpnoea intenduntur; datur *peripneumonia morbilloſa*, in aliis vero *diarrhoea morbilloſa*, quae non eſt innoxia vt ſaepe fit in benignis, ſed acris, dyſenterica, aut torminoſa; quandoque tuſſis, dyſpnoea, et febris, hecticam arceſſunt, alias ſuccedit phlegmatia et *anaſarca*, ſaepe ophthalmia.

Differt Rubeola 1° ab *ſcarlatina* per interualla anguloſa, quibus in pectore potiſſimum ſeparantur corymbi papularum rubeolae, cum in ſcarlatina eſt vniformis veluti rubedo, quaſi vino rubro perfuſa foret cutis; 2° a *purpura* ſeu *petechiis*, quia maculae petechiales ſunt magis circulares: verum rubeoloſae ſunt magnitudinis et figurae incertae, variae; vnde etiam, 3° ab incipiente variola diſcrepant: variolae enim naſcentes maculas exiguas, ſed rotundas, referunt; in *purpura ſcorbutica* maculae ſunt liuidae, non ſanguinei aut ſcarlatini ruboris, vt in Rubeola et ſcarlatina, atque incipit circa tertiam diem in benignis. In *malignis* quidem Rubeolis color papularum a rutilante rece-

dit, ſed acuties ſymptomatum eam a purpura ſcorbutica ſatis diſterminat.

Quae morbillis ſuperueniunt, aut ſuccedunt, peripneumoniae, anginae, tuſſes, diarrhoeae, anaſarcae, ophthalmiae, phthiſes, cet., vulgari methodo reſiſtunt, et propriam Rubeolae curationi affinem exigunt.

Curatio Sydenhamia. In adultis regimen calidum peius eſt, quam in infantibus, maxime in pituitoſis, frigidulis, inde enim liueſcunt et dein nigreſcunt exanthemata.

Aeger ſe contineat in lecto, ſaltem per biduum, poſt primam eruptionem; decocti pectoralis cum ſyrupo variolarum et capillorum veneris ſumat vncias tres, vel quatuor, quarta quaque hora, intermediis iuſculis; ex eclegmate cum oleo amygdalarum, ſyrupis bechicis et ſaccharo parato, ſaepius lambat, dum tuſſis vrget; ſingulis noctibus ſumat paregoricum vſque dum conualuerit.

Papulis euaneſcentibus, febris, dyſpnoea, peripneumonia, ſi ſuperueniant, indicantur phlebotomiae cum decocto pectorali et eclegmate; circa diem duodecimam ab inuaſione purgetur aeger.

Methodus Barbeyraciana eadem eſt in Rubeola, ac in variola, ita vt ineunte Rubeola, ſi pulſus plenus ſit et aeger plethoricus, a phlebotomia initium ducatur; dein primae viae ante eruptionem, imo poſt eruptionem expurgentur; atque in pituitoſis, frigidisque per diaphoretica cardiaca eruptio promoueatur, ſuſtineatur; cum e contra ſec. *Sydenhamm* bechicis tantum inſiſtendum, nec niſi duodecimo die purgandum ſit. Cathartica magis indicantur, cum verminoſae, aut putridae, febris ſigna ſimul ſe produnt, quod aliquoties vidimus.

3. *Rubeola variolodes*; *Febris lenticularis Boneti* Poliath.; *Variolae hermaphroditicae* Fehrii; *Rougeole boutonnée.*

Eſt ea ſpecies, Pariſiis familiaris, in qua poſt praeludia Rubeolae, ſcilicet tuſſim ſiccam, coryzam, epiphoram, cet. ſuperueniunt papulae acuminatae, multo maiores, quam in Rubeola vulgari, quaeque veſtigia ſui relinquunt. An vero ad variolam referenda ſit, dubito; quippe notum eſt, variolam etiam mali moris non raro incipere a catarrhali affectu, ſeu tuſſi, lacrimatione, oculorum ſplendore, vti Rubeola vulgaris: de his vide *Vandermonde* 1758 Juill. pag. 81. *Buxiere* obſeruauit Rubeo-

lam variolodem, cuius eruptio vel praecedebat, vel immediate conſequebatur, variolam benignam in iiſdem ſubiectis; ſed in hoc diſtincta eſt variolodes a lymphatica, quod apud eos, qui paucas variolae puſtulas habuerant, puſtulae Rubeolae variolodes in farinam faceſcebant, cum lymphaticae variolae puſtulae intra diem circiter in ſuppuratum abeant, relicta quandoque cutis foueola. Haec eſt eruptio, quae pro variola recidiua apud plurimos habetur, non ſecus, ac variola lymphatica.

4. *Rubeola anginoſa*, *Eſſais d'Edinbourg*, Tom. 4. p. 617.

Curatio Rubeolae. Methodus *D. Gonthard Journ. de Medec.* 1758 p. 338. Non eadem methodus in variola et Rubeola debet adhiberi; in Rubeola ſcilicet, maxime apud adultos, poſt vnam alteramue phlebotomiam, ſiue eruperint, ſiue non, papulae, vomitus eſt excitandus, et dein alternis diebus purgandum, interpoſitis bechicis, ac veſpere anodynis pro diuerſis rei adiunctis. Saepiſſime poſt emeticum papulae vbertim erumpunt, et fere ſemper tertia poſt eruptionem die, papulae, febris, omniaque ſymptomata, euaneſcunt; inter emeticum et catharſes ſequentes phlebotomia pro circumſtantiis iterabatur; ſi pulſus mollis, paruus, diſſuaderet phlebotomiam, emetica et dein catharſes repetitae ſufficiebant, quod numeroſis obſeruationibus Auctor confirmat. Hanc ego methodum dudum ſecutus ſum, maxime cum rubeoloſos, *vermibus ſcatentes*, curarem.

[5. *Rubeola torpida.* *Fr. Hoffmann* M. R. S. de morb. obſ. 7. *Morton* ex. 3. S. 4. p. 28 ſq. et pyret. c. 3. p. 12.

Eruptio lenta: facile eclampſia, ſub eruptione, aut a tardante, aut impedita, et phthiſis.

6. *Rubeola putrida*, *anomala.* Sauv. ſp. 2. a. anom. *Foreſt.* l. 1. obſ. 17. *Huxham* T. l. p. 216. 273. 277. 319. *Stoll* R. M. T. 3. p. 129.

Eruptio difficilis, ab humero et trunco incipiens, facile liueſcens, angina. Flaua, brunnea, laete roſea, obſcure rubra, caſtanei coloris, liuida, roſea.

7. *Rubeola choleſeptica.* *Quarin* infl. p. 203.

8. *Rubeola bilioſa.* *Sydenham* T. I. p. 32. *Morton.* pyr. c. 3. p. 12. *Tiſſot* av. au p. §. 222. 252. *Roſenſtein* p. 223. *Quarin* infl. p. 203. *Schroeder* d. de ampl. febr. bil. p. 51. et var. diſtr. p. 13 ſq. *Selle* pyr. p. 225. *Stoll.* R. M. T. II. p. 52. *Grant* de febr. p. 375. Rec. per. T. 6. p. 142.

Eruptio retardata, adiuta emetocatharſi.

9. *Rubeola bilioſa, catarrhoſa.* *Stoll.* R. M. T. 2. p. 240. 243. 249. 256.

10. *Rubeola verminoſa.* *Sauv.* T. I. p. 433. 435.

11. *Rubeola plethorica.* *Selle* pyr. p. 154. *Eller* l. c. pag. 154. *Huxham* T. I. p. 265. *Roſenſtein* p. 2 ſq. Benigna.

12. *Rubeola purulenta.* Medicus de exſtirp. var. p. 50. Suppurat vſurpato Cort. peruu. poſt eruptionem, febri moderata.

13. *Rubeola catarrhalis.* *Lentini* memor. p. 65. Frequentior.

14. *Rubeola ſcorbutica.* *Lind.* p. 149. 173. Poſt ſigna exanthematum die 3. 4. pruritus cutis, die 5. 6. eruptio rubeolae, epiphora dolorifica die 8. vel ephidroſis, vel diarrhoea. Criſis per ſputa, aut vrinam.

15. *Rubeola laruata.* *Febris morbilloſa absque exanthemate* Auct. Hiſt. de l' ac. des Sc. obſ. 5. a. 1756. Comm. Lipſ. vol. XI. p. 387. cf. variolam ſimilem.]

V. Miliaris. *Febris Eſſeroſa* Zacuti Luſitani; *Puncticularis, culicaris* Petri a Caſtro; *Febris veſicularis* diuerſorum Auctorum; *Purpura alba*; *Purpura puerperarum*; *Febris puerperarum miliaris*; *Febris purpurata* Fr. Hoffmanni; *Purpura maligna*; *Purpura miliaris*; *Febris miliaris*, et *Morbus Miliarium Allioni* Tract. 1758; Taurinenſibus *Miarola*; *das Frieſel* German. Gallis *le Millot*, *Maladie miliaire*, *la Miliaire*, *Pourpre blanc*, *Millet*, *Suette*. [Cf. *Chr. Molinarii* de miliar. exanthem. ind. et tractat. diſquis. Vind. 1764. 8. D. *Schulz v. Schulzenheim* Preiſsſchr. v. Frieſel. m. e. Vorr. v. Z. *Vogel*. a. d. Schwed. Lüb. v. L. 1772. 8. *M. Collin* d. med. de miliaribus rectaque his med. ratione Vind. 1763.]

Genus eſt morbi inflammatorii, ſeu febrilis exanthematici, in quo minutae, rubrae et milii granis aequales puſtulae, per cutim ſparſae, occurrunt, quae cito veſiculae, ſero plenae, euadunt, grano milii non maiores, pellucidae vel lacteae: rariſſimus morbus apud nos? [*Miliaris* colore et pelluciditate medicos diu terruit, num *critica*, an *ſymptomatica* eſſet, ingenia eorum diu exercuit, vt vel ex ſola rat. med. *A. de Haen.* diſcas; et plures m-

men vmbram pro corpore videntur amplexi eſſe. Quidni enim videbis ex ſequentibus, morbum protopathicum mire praeteruidiſſe, aut complicationum theoriae nimium dediſſe. *Miliaris* exanthematum leges ſequitur, nec ſingularia multa habet, quae acumen medici non poſſit facilius componere. Id ſingulare eſt, quod medici, ab initio bene curantis, negotium fugiat ſere miliaris, et ſit magis progenies neglecti aut male curati morbi, vt, videris, negotium omnino cum morbo habeas, vt in ordinem redigas, quam cum miliari. Ne itaque nimia miliari tribuas, quae morbo tribuenda ſunt. Vt de mea experientia quidquid adiiciam, non vidi ſaepe miliarem, rariſſime accedentem ad aegrotos, a quibus cito conuocatus eram, vidi tamen in aegrotis ſe negligentibus, qui perperam ſe curauerant, donec peruerſae curationi finem imponeret exanthema, plebem terrens. Et ſi dicendum quod res eſt, vix aliquoties criticum vidi, pler. ſymptomaticum, vt morbo congrua curatio hunc facile fugaret. Certe benignitas et malignitas diiudicanda ex morbo protopathico, et viribus aegroti ſuperſtitibus, ex antegreſſis, rel.]

In *ſcarlatina* aequali rubore tota cutis perfunditur abſque puſtulis. *Rubeolae* puſtulae in pectore, facie, promte, agminatim, prorumpunt, nec in veſiculas abeunt, et maiorem ruborem faciunt, quam Miliaris. Praeterea ſudor olidus, ſymptomata conuulſiua, pulſus contractus, vrinae aquoſae, exigua febris ante eruptionem hoc genus ab aliis diſtinguunt. Morbus hic anno 1650 Lipſiae primum obſeruatus eſt, qui totam Germaniam, Angliam, Heluetiam, Sabaudiam, Longobardiam hodie per interualla afficit, nec adultis parcit.

1. *Miliaris benigna*; *Purpura rubra* Germanorum; *noua Febris Sydenhami* Schedula; *Febris miliaris* Hamiltoni; *ſimpliciſſima* Allioni de miliar. -

Ante eruptionem prima die horror, ſine calore inſolito ſequente, caput vix dolet, febris leniſſima, pulſu depreſſo, duriusculo, vrina ſana, nullus dolor, nec ſitis, appetitus viget, ſudor importunus. Secunda die pulſus celerior, vrina aquoſa, metus et triſtitia, ſcrobiculi cordis compreſſio ſuſpiria cogens, ſubitanei motus inuoluntarii, ſenſus in digitis ſtuporis cuiusdam pungitiui, [Ita et *Allionus* ni fallor, quod Germanorum *Krampf*, ſpaſmus eſto, crampi nomine inſignitus etiam!] *Granf* dicti, ſomnus interruptus ſpectris, ſudores acidum corruptum olentes aſſidui cum

pulſu magis contracto. Tertia vel quarta die, raro ſerius, vehementer ſudoris impetus, alterni horrores et calores, praecedentibus puncturis, neque raro pruritu in collo, pectore, dorſo, raro in facie efflorefcunt rubrae, aut albentes, minutae puſtulae.

Poſt eruptionem. Hae puſtulae cito grandeſcunt, limpido ſero replentur, baſi inflammata, vbi cutis plenior et tumefacta perſentitur; intra 30 horas fere abſoluitur eruptio, et tunc ſymptomata conuulſiua miteſcunt, euaneſcunt, ſudor perſeuerat, ſed parcior, vrinae colorantur. Septima die pulſus mollis, aequalis, exanthemata exſiccantur, cuticula ſquammatim decidit.

Extiſpicia. Cadauera, quae miliari pereunt, cito intolerabiliter foetent et intumeſcunt. *Bianchi* phlogoſem in vtero puerperae tantum inuenit. *Allionus* vero venas cerebri cruore turgidas. Cadauera calorem diu ſeruant, et ſanguinem e naribus fundunt.

Cura. In prima periodo phlebotomia minime pertimeſcenda eſt; febris, delirium, in altera periodo phlebotomiae non cedunt; imo conuulſiones ab ea, morsque, accelerantur. Emetica promtiorem, non minorem, eruptionem mouent; ante eruptionem purgantia antiphlogiſtica, vt caſſia, repetita, eruptionem vtiliter retardant, imo prohibent; poſt eruptionem nocent. Diaphoretica efficaciora in primo ſtadio eruptionem accelerant cum nocumento, in altera febrim et calorem adaugent pernicioſe. Antiphlogiſtica acida, vt limonata, ſaccharata in prima periodo, venenum corrigunt, in altera nocent. Diluentia, aceſcentia, emollientia, profunt. Fotus tepidi emollientes ad pedes, artus, in ſecunda periodo valde vtiles ſunt. Veſicantia pulſum eleuant, eruptionem ſollicitant; aſt in ſecunda periodo pernicioſa, nec in prima multum profunt.

Conuulſiones, quae puſtularum eruptionem ſequuntur, nec opiatis, nec antiſpaſmodicis, cedunt; diſruptio veſicularum inutilis eſt.

Nimius calor lecti, cubiculi, regiminis, maxime miliare excitat in regionibus frigidis. Practicus Taurinenſis eximius linteis, aqua tepida madidis, corpus fouere conſueuit ad papularum eruptionem promouendam.

2. *Miliaris maligna, acutior Allioni* n° 76 de miliar.

Ante eruptionem omnia, vt in benigna, ſed ſymptomata conuulſiua ab eruptione creſcunt, et in benigna mitigantur. Febris

ſcilicet augetur cum pulſu celeri et contracto; circa meridiem, et noctu grauior eſt; vrinae multae, tenues, aqueae; lingua albida, areſcit; noctes vigiles cum ſomniis terrificis et cephalalgia diſtenſiua interna; facies plenior; calet et inflammatur cutis; ſudores minuuntur: tertio eruptionis die omnia grauiora fiunt, febris ardet, pulſus durus, et celer, tendines ſubſiliunt, ſudores euaneſcunt, puſtulae ſubſident, calor vrens, cutis ſcabra fit, vrina aquoſa copioſiſſima, aegri inquieti, ſitibundi, moroſi, queruli, loquaces, quoquo verſum ſe iactant, dein delirant, conuelluntur; aluus huc vſque dura, iam bilioſa foetida egerit; aliquis ſi redeat ſudor, haec ſaeuities erumpentibus iterum puſtulis miteſcit; ſequenti die copioſiora erumpunt exanthemata, maioraque fiunt, prioribus iam exſiccari incipientibus; verum ſecunda exanthemata circa tertium diem eruptionis ſuae nouas et prioribus ſimiles turbas excitant, mitiores tamen; accedunt tertia, imo quarta, exanthemata, donec ſtadium vltimum, ſeu declinatio accedat ſimilis priori ſpeciei; in hoc vero ſtatu aluus liquida eſt, et bilioſa foetida deiicere pergit cum borborygmis; vrina interdum prodit albeſcens, vt ſerum lactis, non ſubſidens et ardens. Salus ordinario non accedit, niſi poſt 14um et 20um diem; illa eruptio fit in certa die per manipulos et cohortes, eaque ſuppreſſa vel repulſa, turbae recenſitae reuertuntur; typus vero vix definiri poteſt.

Si malum exitum promte morbus habeat, hiſce turbis comites accedunt delirium et conuulſiones; ſcilicet aegri inquieti nullo ſitu ſe continent, toruo et defixo obtutu obiecta per caliginem, aut duplicata vident. Loquaces etiam cum delirant aut caligant, ſe recte loqui et videre pertinaciter aſſeuerant; ſe aegros eſſe vix concedunt; magna eſt, rara et ſuſpirioſa reſpiratio. Sunt, qui repente et ſine cauſſa lacrimis et moerore ſe conficiant, e lecto ſurgere tentent, ad motum omnem promti, ingeſta vomant, in adſtantes etiam exſpuant, adde ſtrepitum potus, cum deglutitur; hinc iactationes in conuulſiones abeunt, imo in eclampſiam, et ſtertore adueniente, pulſuque deficiente, mors aduenit. Quo numeroſiores puſtulae et praecociores, eo finis funeſtus promtior eſt.

3. *Miliaris recidiuans Allioni* n° 82, *diuturnior* aliis.

Haec eſt malignae varietas, ſed quae in longius tempus diſtrahitur, in qua puſtulae propter cutis denſitatem, aut lymphae viſciditatem non bene efflореſcunt, aut in cute ipſa ſubſident, aut retro-

cedunt; tunc enim morbus diuturnior euadit, recidiuam alio tempore daturus, valetudine lente redeunte; interdum et mors ſequitur; ſed paulo diuerſa ratione morbus procedit.

Si itaque puſtulae non eleuatae ſint, ſed tantum rubor aliquis cum minutiſſimis puſtulis in cute conſpiciatur, et profundius haereat venenum, pulſus velocitas tanta non eſt in ſtadio ſecundo, ſed altitudo et frequentia inaequalis, aliquando pene intermittit; vrinae nunc tenues, nunc coloratae, ſaepius turbidae, parcae; calor inſignis, non tamen acerrimus; tendines continuo ſubſiliunt; lingua tremula, delirium et identidem conuulſiones: haec dein paulatim miteſcunt, ſudore viſcido, foetido oborto, qui et maiores aliquot veſiculas et puſtulas varorum inſtar maiuſculas affert.

Aliquando vero poſt hunc ſtatum iam deſcriptum aegri in ſoporem incidunt, aſſiduis tendinum motibus, aut conuulſiuis ructibus, detenti; ſtupidi, obliuioſi, lethargici, euadunt, et demum poſt varias conuulſiones, ſtertore lente accedente, intereunt.

Haec varietas, ſi aegri reualeſcant, reuerti ſolet anno ſubſequente, eodem tempore, quo primum acceſſit; mulieribus id ſaepe accidit poſt quodlibet puerperium, et ſaepe relinquit diſpoſitionem ad ſudorem, furunculos, memoriae debilitatem, ſummam procliuitatem ad timorem, hyſteriam; accedit rheumatiſmus; ſanguis extractus in ſecundo ſtadio poſt ſudores eſt coccineus et ſine ſero; ante ſudores gelatinam concretam, et paucum ſerum habet.

Duratio huius varietatis eſt circiter trium ſeptimanarum, cum maligna ad duas vtplurimum excurrat, et benigna poſt ſeptimanam cito terminetur.

Dantur plura ſymptomata miliaria, ſeu quae adſcribas miliari laruatae, vt ſynochus, amphimerina, tertiana, peripneumonia, pleuritis, cynanche, eryſipelas, eclampſia, odontalgia, tuſſis, coryza, ſternutatio, apoplexia, triſmus, melancholia, crampus, iſchias, arthritis, quae omnes ſpecies curam generi propriam et miliari communem ſimul exigunt; ſed euaneſcunt, aut mitigantur facta eruptione miliari. Si vero non recedant eruptis miliaribus, tunc ſignum eſt, epigenemata, aut paſſiones comitatas, eſſe, ſeu a duobus diſtinctis principiis pendere, vt arthritis, peripneumonia, ſynochus, purpura, variola, rubeola.

Prognoſis miliaris in genere. Periculum reſpondet, 1° veneni copiae; 2° humorum viſciditati; 3° cutis denſitati: 4° irritabilitati.

Robuſti, ſanguinei, ſtrigoſi, herpetici, podagrici, bibones vini, melancholici, magis periclitantur, quam feminae molles et viri laxi, imbecilli, hydroporae, blando ſanguine donati. Si abeuntibus ſymptomatis conuulſiuis, pulſus mollis, et amplus reddatur, puſtulaeque grandeſcant multo ſero plenae, bonum. Cephalalgia ante quartam diem euaneſcens, maxime in ſanguineis, malum. Pulſus contractus, poſt eruptionem contractior, cum tenſione et frequentia creſcente, conuulſionem et perniciem portendit. Sudores quo magis diffuſi et praecoces, eo peiores, maxime ſi pulſus vna ſit valde contractus. Vrina, quae cito ex rutila fit aquoſa aut conſtanter aquoſa, mala; albeſcens, vt ſerum lactis, longitudinem morbi denotat. Stupor pungitiuus, *Granf* dictus, in plurimis locis magnam aegritudinis vim arguit; ſed ſi leues ſint ſtupores cum vrinis aqueis, ſudoribus, pulſuque contracto, perniciosum eſt ſignum exanthematis erumpere non valentis. Eruptio quo citius aduenit, eo peius. Quae tertio, aut quarto die exeunt puſtulae, ſaepe ſunt ſeptimo et octauo die letales; minus funeſtae, quae ſexto die accedunt, ſeriores etiam tutiores; quo citius apparent puſtulae, eo morbus diuturnior et magis recidiuus. Minutae puſtulae mali ominis ſunt, ſi multae fuerint: malae, quae erumpentes non pungunt, ſed pruriunt; eas recedere peſſimum; tum aegros vomere, male videre, cum ſtrepitu deglutire, ſingultire, loquaces balbutire, peſſimum. Quo copioſiores et prominentiores puſtulae, eo promtior, iis ſubſidentibus, mors accedit; quae modo ſubſident, modo efferuntur, longam aegritudinem ſignificant. Poſt eruptionem fortiter vexantia ſymptomata conuulſiua ominoſa ſunt. Si aeger maxime timeat, ſpem abiiciat, territus expergiſcatur, periculoſum. Cutis ab eruptione non tumefacta, vel ex epiſpaſticis, aut cucurbitulis non affecta, malum eſt. Conuulſiones, quae morbum inchoant, aut eruptionem praecedunt, benignae: quae puſtularum ſubſidentiam ſequuntur, exitiales. Stillae ſanguinis e naribus quouis tempore funeſtae. Sanguis extractus ſi continuo coccineus eſt ſine ſero, malum. Si morbo ſoluto cutis deſquammatio nulla eſt, aut pauca, perſiſtentibus ſymptomatis conuulſiuis, recidiua exſpectanda.

4. *Miliaris Boïa*, *Miliaire de Cuſſet en Bourbonnois* par M. *de Breſt* Med. Journ. de Med. Juin 1756.

Puſtulae huius morbi ſunt veſiculae 6ª die erumpentes poſt cephalalgiam, aſtheniam, febrim acutam, nauſeas, vomitiones,

agrypniam; eruptionem anteiuere phlebotomia, emetica, die ſeptima pulſus paruus, frequens, variabilis. In paroxyſmis pulſus vegetus, ita vt ſeptemdecim phlebotomiae [ne imueris!] intra 23 dies celebrari potuerint; delirio tamen creſcente, acceſſere parotides, haemorrhagia narium larga, longus agon, mors. Nulli aetati, exceptis ſenibus, nulli ſexui parcit. Methodus Hamiltoni non feliciter ceſſit. Methodus typhi vulgaris pauciſſimos liberauit. Temperamenta debilia, delicatula, facilius euadebant.

5. *Miliaris critica Guilbert.* Journ. de Med. 1756. Juin.

Ab arſenici, prauis effectibus aegrum liberauit tandem miliaris, deſquammans totum corpus aegri.

Ab arſenici dragmis duabus, ore aſſumptis a viro vinolento, ferme phthiſico, ſuperuenere vomitio, pulſus frequens, debilis, conuulſiuus, irregularis, reſpiratio laborioſa, ſuſpirioſa; obtutus ferox, oculi prominentes, lacrimoſi, lacrimis genas corrodentibus; facies conuulſa, vox tremula, lingua arida, labia maculis nigris aduſta, ardor viſcerum, ſitis inexhauſta, meteoriſmus ingens, deiectio anum adurens, inuoluntaria, ſudor foetidus, iſchuria, paraphroſyne; ea per ſex dies permanſere, aſſumptis affatim oleo, lacte, iuſculis adipoſis, mucilaginoſis. Sexta die eruptio miliaris copioſa, vniuerſalis, priora ſymptomata ſedauit, per quindecim dies identidem renouata eruptio, ſudoribus excitatis, vlceribus ad talos fluentibus, demum ſquammae farinoſae cutis delapſae ſunt, et lacte aſſumpto conualuit aeger; excepto quod debilior ſit, tremore vniuerſali et ophthalmia laboret.

6. *Miliaris lactea; Miliaire maligne laiteuſe, Puzos,* Traité des accouchem. pag. 378. *Eruption laiteuſe à la peau*: rectius multo Cl. *Bonté* Journ. de Medec. Janv. 1757. [*Ludwig* clin. n. 244. *Levret* acc. p. 169.]

Miliaris puerperarum eſt alba, puſtulis aciculae capita aequantibus, per pectus, abdomen, collum, ſparſis, cum pruritu importuno, et inde quandoque peruigilio, non turbatis inde lochiis; epidermidis deſquammatione; feliciter terminatur; hic affectus aeſtate ſaepius, quam hieme, accedit, a ſtragulis denſioribus fouetur; aëre liberiori iuuatur puerpera, cet.

Varietas huius ſpeciei eſt eruptio miliaris febri, calore vrenti, et manuum, digitorumque, tumore cum puſtulis ſtipata; cum puſtulae creſcunt, decreſcit febris et cutis tumiditas, fit effuſio ſub cutem panaritio ſimilis, quae maturata foras effluit ſine dolore

et periculo; verum miliaris vere lactea maligna eſt, eruptio tarde procedit, intereaque ſebris et cephalalgia vigent; febris initio mediocris, lochia ſeroſa, remiſſiones in febri dantur; ſed poſt aliquot dies caput incaleſcit, aegra obſcure delirat, ſomnus inquietus, eruptio languet, febris acuta continua euadit, lochia ſupprimuntur, et aegra in periculo verſatur, quod praeuertere oportuit ope diaetae ſeuerae, lenium diaphoreticorum, de quibus, dum de miliari puerperarum.

7. *Miliaris noua febris Sydenhami* Sched. monit. de nouae febris ingreſſu.

Eſt ea ſpecies, quae anginoſae initio affinis videtur, ſed ad carum et phrenitidem ſponte, aut leui data occaſione, vergit, et initio pulſus ſano ſimilis eſt. Aeger per vices calore et frigore tentatur. Paroxyſmi parum regulares quotidie verſus noctem ingruunt; initio caput et artus dolore vexantur, cum tuſſi, dolore colli et faucium, quae ſymptomata eo minora ſunt, quo magis tempus recedit ab hieme. Sanguis pleuriticorum ſanguinem aemulatur. Lingua eſt alba vndequaque, et cruſta aſpera tegitur, humida tamen: ſudores ſunt inſalubres, non critici, ſi aeger iugem in lecto decubitum ſeruet, a fortiori ſi regimine calido vtatur; febris carum arceſſit, aut phrenitidem, ſed in qua tranquille deliriat, incongrua ſubinde effutiens: ab eodem regimine petechiae et puſtulae morbilloſae, ſed quae in ſquammas non abeunt, effloreſcere ſolent; lingua fuſca et ſicca euadit, ſudores proliciuntur effuſi ſine leuamine; vbi vero phreneſis inualuit, pulſus nunc citatior eſt, nunc tardior, demum inordinatus euadit, ſubſultusque membrorum mortem praenuntiat.

Haec febris eſt ſimplex ſanguinis inflammatio, quae tamen paucis phlebotomiis, ſed aliquot catharticis, iulapiis refrigerantibus, et abſtinentia a lecto per diem, compeſcenda eſt. Phlebotomia repetatur, ſi dyſpnoea, cephalalgia, tuſſis, intendantur, epiſpaſticum nuchae applicetur, cathartica mediocria alternis diebus vſurpentur ad tertiam circiter vicem ex infuſo ſennae, rhei in decocto tamarindorum, addita manna, et ſyrupo roſarum ſolutiuo; die purgationis ſomniferum veſpere, non vero aliis diebus praeſcribatur, ad vitandum ſoporem caroticum, quem agitatio ſanguinis ſecus excitare poſſet.

Aphthae, ſingultusque, ſi ſuperueniant, nullum periculum inferunt; quae ſi non ſponte recedant, fugantur vſu kinkinae cum

ſyrupo papaueris rhoeados, modo aeger e lecto ſurgat; vel ſi debilis ſit, veſtitus et capite elato ipſi incumbat, quod per morbi decurſum obſeruandum eſt.

Diebus a purgatione liberis, aeger ſumat iulapium acidulatum ſyrupo de limonibus et violarum; vel vtatur limonada pro potu; ſi ſudores nocturni accedant, caueat aeger, ne plus, vel minus, tegatur ſtragulis, quam cum ſanus erat; victus ſit ex cremoribus auenae, hordei, decocto albo, et poſt ſecundam purgationem iuſcula ex pullo, vituloue, permittantur. Febri ſubacta, modo in intermittentem non abierit, vinum ad vires reſtaurandas permittatur.

8. *Miliaris ſudatoria; la Suette miliaire; Fièvre putride maligne*, appellée *la Suette*, qui a régné à Guiſe durant l'été de 1759, par M. *Vandermonde*, Journal Avril 1760. *Fièvre Helode*, ou *Suette de Meyzerey* Tom. 2 n. 250.

Praeludium. Gaſtrodynia grauatiua, laſſitudo, cephalalgia grauatiua, vel tenſiua, pectoris oppreſſio, dyſpnoea ſuſpirioſa, feruor corporis accedit, ſudor acer, copioſus, ſaepe accedunt nauſeae, oculi ſcintillant, facies accenſa, lingua alba humida, polydipſia, pulſus frequens, vndoſus, ſubrenitens.

Augmentum. Poſt dimidiam diem pruritus ferinus; puſtulae ſphaericae miliares, denſiſſimae, ſemine ſinapis non maiores; anxietas et agitatio; dein foetor oris et perſpirationis putridus; aluus ſtricta ſaepius, quandoque diarrhoea ſeroſa putris, peruigilium, delirium; vrina, nunc cruda et copioſa, alias pauca et rubra. A ſecunda ad tertiam diem, pulſus durus, tenſus, magnus, dyſpnoea praeceps, laborioſa; hinc ſudores creſcunt, pulſus debilitatur, vires muſculares minuuntur, vrina ſupprimitur, ſanguis ex naribus, mariſcis, vtero, fluit, et conuulſio maxillae ac tendinum mortem praenuntiat.

Conſtantiſſima ſymptomata ſunt, 1° ſudor continuus et vber; 2° eruptio miliaris; 3° dolor acutus cardiae; 4° cum laſſitudine vniuerſali, et 5° pulſu duro, tenſo, frequentiſſimo. Duratio morbi, cum letalis eſt, ad ſeptem dies vix excurrit; cum natura victrix eſt, ad 14um extendi ſolet et vltra. Epidemia eſt aggregatum morborum diuerſi generis, ſed ab eodem viru miliari et putredine ſynochali pendentium; combinatae ſiquidem ſunt in Miliari ſudatoria ſynochus putris cum Miliari; aſt in epidemia eadem intercurrebant, vt pleuritis, diarrhoea, tertiana, amplime-

rina, menorrhagia, haemorrhagia narium vel ani, eryſipelas, cet. Subiecta huius morbi adulti, robuſti, laborioſi, fuſci, non ſenes, nec infantes, tempeſtas media, aeſtas, aër impurus.

Partes miliari eruptione exaſperatae, pectus, abdomen, extrema. Hic morbus ab ephemera ſudatoria genere diuerſus, licet nomine Gallico idem ſit.

Curatio infelix, ſi vltra biduum, triduumue, differatur, ſi cardiacis, ſudorificis, vino, vtantur aegri, ſudoris ſuſtinendi aut prouocandi gratia. Diarrhoea, ſudoribus iuncta initio morbi, letalis, niſi mature antiſeptica et mucilaginoſa adhiberentur, non phlebotomia, nec antiphlogiſtica. Qui rite tractati ex grauiſſimo morbo ſubito conualeſcentes ſibi videbantur, febri et ſymptomatis, ante ſigna coctionis, ſedatis, ſequenti die phrenitide correpti, conuulſi, moriebantur; qui robuſtiores erant, illos ſymptomata grauiora et acutiora vexabant, illis promtiora auxilia neceſſaria erant. Menorrhagia, vel haemorrhagia, a tertia ad quartam diem diſſolutionem ſanguinis periculi plenam indicabat; ſudor foetidiſſimus, tenuis, puſtulae atro-rubrae letales; ſi ſudor copioſus, et diarrhoea vber, vrina flammea, foetens et pauca, cum pulſu vndoſo, paruo, ſint, conclamatum eſt. Vrina citrea cum copioſo ſedimento, pulſu molli, forti, elato, reſpiratione liberiori; ſudores pauciores, minus olidi, ſitis minor, puſtulae pallidae, cuticula ſquammoſa vel farinoſa, calor lenis, boni ominis erant.

Curatio. Phlebotomia bis, vel ter, repetenda: ſequatur vomitio ope tartari ſtibiati, magna aquae copia diluti, ſimul ac gaſtrodynia permiſerit. Si his praemiſſis ſymptomata perſtent, decoctum tamarindorum exhibeatur limonada, vel acetum in aqua, adhibeantur; ſedata febri purgetur ex tamarindis et ſale Epſomienſi; iuſcula ex vitulina carne cum borragine, bugloſſo; ptiſana ex hordeo torrefacto, gruto. Cum vires non permittebant phlebotomiam, acida, et dein incraſſantia mucilaginoſa, conueniebant. Ad ſudores compeſcendos vapore aceti lectulus perfundebatur; ad diarrhoeam decoctum album, limonum ſyrupus, eccoprotica. In delirio vena pedis ſecabatur, pulueres temperantes, clyſmata; in ſumma putredine kinkina, contrayerua, camphora cum acidis: in aſcite ſecundario iuſcula ex radicibus fragariae, foliis agrimoniae, ſuccis naſturtii aquatici, borraginis.

Cauendum a ſudorificis et a veſicatoriis.

9. *Miliaris Germanica Waltheri* Med. Germanorum p. 151.

Inuaſio varia eſt.

A. Plurimi menſe Ianuario friguerunt per plures horas; frigori ſucceſſit magnus calor, redibat frigus cum calore alternans per duos tresue dies, dein permanſit febris cum aeſtu, cephalalgia, dyſpnoea ſeu anguſtia pectoris, pulſu non ſtricto, mox pleno, aſthenia notabili, polydipſia, agrypnia, nauſea, aliis vomitione, vrina per totum morbum ſana, poſtremis diebus ſudor.

B. Miliaris in aliis *intermittentem febrem* vltra ſeptimanam mentiens, ſymptomata in paucis arthritica.

C. Miliaris apud plures pleuritidis ſchema ſumſit cum tuſſi feroci, vrina rubra, horrore praeuio, aeſtu ſubſequente, pectoris anguſtia, aſthenia ineffabili; intra ſeptimanam aliquot exſtinxit.

Progreſſus morbi.

A. Cephalalgia immanis, paraphroſyne, facies rubens, turgida, lingua ſicca, polydipſia magna, tremor artuum ſpaſmodicus.

B. In paucis maculae petechiales pectoris, in aliis tantum minuta puncta rubra, quae poſt biduum vel triduum euaneſcebant, tuncque miliaria alba per triduum ſuccedebant ſine deſquammatione euaneſcentia; in multis miliaria 11ª, 15ª, vel 16ª die apparuerunt.

C. Apud omnes fere narium haemorrhagia, diarrhoea per tres, imo octo, dies continuata, qua ceſſante miliaria exanthemata ſuccedebant cum remiſſione tremoris et paraphroſynes. Subiecta feminae prae viris, iuuenes prae adultis, adulti prae ſenibus. Principia, tempeſtas frigida, victus crudus, miasma acre, neruis infenſum, contagioſum, aëris ſubita mutatio; quo maior tremor, eo peior exitus.

Haemorrhagia ſtillatitia narium moderata, et iterata omnia ſymptomata mitigabat; effraenis vero letalis. *Paraphroſyne*, vltra triduum durans, ſiue cum, ſiue ſine exanthematis miliaribus, non remittens, letalis. *Sudor*, vel ephidroſis continua, optima, ſiccitas cutis funeſta; exanthemata veſiculoſa, minuta, quae videri poterant, ſed non increſcebant, nec leuamen in aditu afferebant, funeſta. *Tuſſis* ad ſeptimanam durans, vtilis; in hoc caſu vrina ab initio rubra et ſaturata circa diem quintam, vel ſedimentum craſſum, vel flocculos ad fundum vitri deponebat, clara ſupernatante vrina; quibus nulla tuſſis fuit, vrina erat ſanae

ſimilis. *Vrina* cocta cum ſedimento, ſiue criticae ſimilis, primis diebus morbi, peſſimus erat nuncius. *Diarrhoea* minime metuenda, etiamſi pertinax, modo non ſuffocata foret, ſeu remediis repreſſa. *Cruſta gelatinoſa*, ſanguinem extractum obducens, ſalutem certo portendebat, ſanguis dilute ruber; tenuis, minus bonus. *Cophoſis* optimum in hoc morbo ſignum. *Eryſipelas* cum genarum, orbitae oculorum, circa aures tumore, criſis optima cum ichore largo inde fluente. Pauci defuncti ſunt.

Praxis. Phlebotomia initio citra ſeptimam diem, etiam fluentibus menſtruis, abſentibus adhuc exanthematis, mire profuit.

In Miliari, *intermittentem ſimulante*, ſanguis mittebatur, praeſcripſi emeticum ex ipecacuanha cum ſero lactis acidulato, idque repetebam etiam ſi opus foret, vt oris amarore et nauſea ſuadentibus; tartarus emeticus non bene ſucceſſit.

In progreſſu morbi, cum febris eſt continua, ſudores ſunt diluentibus, minime vero aeſtuoſis, ciendi aut ſuſtinendi, vt infuſo foliorum cardui benedicti: vel emulſiones diapnoicae, ac mixturae temperantes ſunt praeſcribendae toto morbi decurſu.

Potus ordinarius ſit decoctum lene radicum ſcorzonerae, cornu cerui cum pauxillo ſeminum foeniculi; iuscula ſint ex carne vitulina et bubula, vel ſubſtituantur panatellae, neutiquam gelatinae, niſi vrgeat diarrhoea.

Diarrhoea miliaris ſi ſiſtatur, pediſequas habet febrim, polydipſiam, dyſpnoeam grauatiuam, cephalalgiam grauatiuam, vel eorum augmentum; fouetur autem emulſionibus amygdalinis intra iuscula, et decocto kinkinae pro potu; externe ſacculi calidi, hb. p. fomentat. ſemipleni, abdomini admoti, diarrhoicos debiles ſubleuant, miliariumque expulſionem ſollicitant.

Miliaria in ſyphiliticis lente procedebant, et per duas ſeptimanas perdurabant ſubſequente cutis deſquammatione; in hoc caſu madorem continuum ſollicitare opus eſt.

Cum poſt phlebotomiam, diarrhoea perſeuerat, nec febris remittit, perſtatque delirium loquax, vel ſopor profundus, nec miliaris eruptura eſt, tranſeo ad veſicatoria duo magna ſuris applicanda, atque inde intra biduum exanthemata efflorescunt et delirium euaneſcit, intus vero emulſio leuiter diaphoretica adhibetur.

Vitentur eſſentiae, elixiria, omniaque ſpirituoſa, praeter liquorem anodynum Hoffmanni, vel ſpiritum nitri dulcem.

Polydipſia exigit aquam frigidam aceto anaticis partibus mixtam pro collutorio, et ſi deſit diarrhoea, detur ſerum lactis affuſo vino albo praeparatum:

Cephalalgiam mitigabat epithema ex aceto, aqua roſarum et albumine oui.

Alui laxitas primis diebus ciebatur enematis, quibus deinde abſtinebant.

10. *Miliaris nautica; febris nautica Huxham.* opp. T. I. p. 42. *Morbus carcerum Lind.* de ſcorbuto p. 181. *Ludwig* clin. n. 230 *Miliaire ſcorbutique.*

Eſt Miliaris etiam purpurata, vt prior, a qua diſcrepat ſcorbuticis ſymptomatis combinatis; febris adeſt, eruptio copioſior in tibiis, ſenſim liueſcit, nigreſcit, vt miliaris eryſipelacea; ſequuntur vlcera gangraenoſa, ſanioſa, ſordida, hinc ſpina ventoſa, caries pertinaces ſurſum, non deorſum, in parte ſerpentes, gingiuae molles, vix tumidae, ſaepe cruentatae, maxillae carioſae, dentium lapſus, ſitis continua, cutis ſicca, vrens; pulſus paruus, frequens; oculi ſaepe fixi, quandoque errantes, torui, viuidi; aeger inquietus interdum delirat; lingua humida, tremula; hic morbus cito trucidat: ſi vero tardius, non minus certo, orta per metaſtaſin carie tibiae infra genu, ibi vlcera cancroſa, ſumme dolentia, letalia; *Lind.* Parum differt ab illa febris nautica *Huxham.*

Differt miliaris carcerum et nautica ab amphimerina Hungarica per eruptionem miliarem eryſipelaceam; forte ſpecies nullae ſunt in his adhuc fixae, quia miliaris cum purpura et ſcorbuto combinari multis modis poteſt, aut nondum ſatis obſeruatae ſunt differentiae eſſentiales.

11. *Miliaris purpurata; febris carcerum Huxham* de aëre pag. 82. *Ludwig.* inſtit. clin. n° 150; *jail-diſtempers* Anglis, *Pringle* diſſert. of the jail-diſtempers.

Febris eſt putrida contagioſa ac peſtiſera valde, cum ingenti virium damno, maxima praecordiorum oppreſſione, tremore, tendinum ſubſultu, vigiliis, delirio, lingua nigra et ſaepe arida valde, faucibus ſqualidis, halitu fetidiſſimo; pulſus vacillat plurimum, mox ab initio morbi, idque vel in robuſtis, vrina eſt plerumque lurida et vappida, ſaepe ſubnigra et olida, raro aliquid ineſt ſedimenti, interdum vero continet furfuroſa quaedam, inaequaliter ſparſa; in ſtatu febris erumpunt petechiae atrae, ſaepe papulae aut puſtulae liueſcentes cum oleoſo fetido ſudore; puſtu-

lae floridae in morbi acme ſalubres; liuidae et ſubnigrae letales; petechiae ſemper malae; aluus nigra, fetidiſſima, citiſſima plures ſub finem abripit; phrenitis quandoque, alias carus ſub ipſo morbi initio accidit quibusdam. Si inſciis his oborta eſt alui deiectio, certiſſima ſecuta mors eſt, biduo vix exacto.

Hic morbus vix vllam tolerat phlebotomiam; prima vice extractus ſanguis eſt rutilus, valde floridus, ſecunda vice liuidus, aut niger, non concreſcens.

12. *Miliaris Britannica*, Journ. de Med. Juill. 1759 pag. 57. *Febris inflammatoria, catarrhalis et putrida* D. Moucet. Maladie contagieuſe qui regne en Bretagne entre Breſt et Rennes, ſurtout à Plenée depuis 1757, par. M. *Moucet.*

13. *Miliaris puerperarum*; *purpura puerperarum Ludwigii* Inſt. Clinicae n° 244; *Eruption laiteuſe à la peau* Puzos; *Miliaire des femmes en couche.*

Miliaris puerperis ſuperueniens, vt et aliis, eſt vel alba, vel rubra; miliaris alba ſi tertio, quartoue poſt partum die erumpit cum deliriis, aeſtu ſummo et aliis grauibus accidentibus, ſemper ferme funeſta eſt, inprimis ſi ſudor copioſus eam praecedit; ſi metritis cum ſenſu refrigerii in abdomine, ſi petechiae cum miliari ſimul erumpant; quodſi febris cum largo fluxu materiae fetidae ex vtero remittit, ſpes ſalutis aliqua ſupereſt. Multo mitior eſt miliaris in puerperis, ſi rubra quinto, ſeptimo, vel nono die demum erumpat, ſi ſymptomata mitiora ſint, et lochia ex voto ſuccedant.

Curationem videſis apud *Puzos* Traité des accouchemens, pag. 377, qui huius duas ſpecies diſtinguit. Leuia diaphoretica ex infuſo theae, croci, millefolii hb. et oleum amygdalarum tantum ſuadet *D. Puzos* in ſimplici, quae ſaepius a ſtragulis denſioribus, quibus onerantur puerperae, ortum ducit.

Obſerv. Clariſſ. *Bonté* Journ. de Med. Janv. 1757, haec miliaris a lactis euagatione et acore pendet, hinc odor aceti putris ex his aegris exhalat; phlyctaenae ſtatim limpidae ſucceſſiue ſerum lacteum turbidum admittunt, hinc albeſcunt; eruptio inconſtans eſt, aliquot a partu diebus accidit, maxime ſi lochia ſupprimantur; aſthenia et animi abiectio totalis ſunt ſymptomata inſeparabilia. Legi certe merentur, quae de his ſcripſit Auctor. cit.

14. *Miliaris Scorbutica. Purpura ſcorbutica Ludwigii*, Inſtit. Clinicae n° 230.

Miliaris ſcorbutica in corporibus, quae impuris humoribus ſcatent, ſaepius ſine febri euidenti, aeſtiuo potiſſimum tempore accidit; nonnumquam vero aliis leuioribus morbis, v. g. amphimerinae catarrhali, ſuperuenit; in vtroque caſu ſemper chronica eſt, et aegros diu exercet, rubras oſtendit puſtulas et aſperam reddit cutis ſuperficiem cum pruritu multo, in primis ſi corpora incaleſcant; cum hac morbi ſpecie nec languor inſignis, nec anxietas praecordiorum, nec alia grauia ſymptomata, occurrere ſolent.

Cauſa in acrimonia ſeri poſita eſt, quae a ſalſo et aromatico victu in corporibus ſedentariis frequens eſt; potus copioſus calidus, abuſus tabaci cum defectu exercitii, et alui conſtipatione huic anſam praebent; diluente et non fermentato potu, cibis blandis, exercitio ſufficienti in aëre puro, frictione et balneis multum ſolatii aegro affertur. Ptiſanae demulcentes ex ſcorzonera, china, bardana, praemiſſa phlebotomia et leui catharſi, conueniunt; euitentur alexipharmaca, adhibeantur aeſtate aquae acidulae; ſuperato morbo balneis frigidis cutis roboretur. *Ludwig.*

Vrina in hac ſpecie valde colorata, cito fetida, ſi ſeruetur, cruſta oleoſa et ſalina tegitur; aegri torminibus loborant et feces ſetidas eiiciunt, pulſus in hac febre rarior eſt et lentior, quam in ſanitate. *Lind. de ſcorbuto.*

[15. *Miliaris torpida.* Huxham T. 2. p. 87. *Glaſs* comm. p. 95. *Selle* pyret. p. 299.

Poſt reſpirandi difficultatem, anxietatem, ephidroſin acidulam, pruritum, eruptio critica, vel leuans.

16. *Miliaris periodica.* *Morton* p. 260.

17. *Miliaris putrida.* *Morton* l. c. ex. 3. c. 3. *Plenciz* de ſcarl. in opp. de *Waſſerberg* T. 3. p.

Puſtulae liueſcentes cum ephidroſi oleoſa, petechiae interſperſae.

18. *Miliaris cholcſeptica.* *Glaſs* comm. p. 98. *Brüning* hiſt. conſt. epid. *Ludwig* adu. T. I. p. I. p. 39. *Selle* pyr. pag. 238. Journ. de med. 1779. et Med. chir. Ausz. T. I. p 98.

Puſtulae rubrae, raro albae, cum petechiis.

19. *Miliaris bilioſa.* *Fr. Hoffmann* opp. T. 2. med. rat. S. I. c. 3. obſ. 3. *Sydenham* opp. T. I. p. 356. *Allioni* §. 143. v. *Swieten* Comm. T. 2. p. 398. *Glaſs* l. c. p. 126. *Zimmer-*

mann v. d. Ruhr. p. 26. 63. 458. Journ. de med. T. 7. p. 78. *Bruning* hiſt. conſt. epid. Eſſend. p. 11. *Selle* pyr. p. 227. *Sauv.* T. I. p. 443. *Lentin* memor. p. 47. *Geſners* Beobacht. T. 3. p. 185. T. VI. p. 122.

20. *Miliaris catarrhoſa bilioſa.* *Stoll.* rat. med. T. 2. p. 32. 160. *Baker* de catarrho. Comm. Lipſ. vol. XIV. p. 142.

21. *Miliaris verminoſa.* *Sagar* l. c. p. 590. *Beircis* de var. p. 23.

22. *Miliaris plethorica.* *Sydenh.* ſch. mon. T. I. p. 354 ſq *Fr Hoffmann* opp. T. I. §. 1. cap. 9. *Allion* §. 75. *Selle* pyr. p. 158.

a. *chronica, periodica.* *Held's* Ausz. T. I. p. 244.

Ab amenorrhoea.

23. *Miliaris purulenta.*

Accidit, vt ſuppuret.

24. *Miliaris ſeroſa.* Huc lactea auct. Sp. 6.

25. *Miliaris atrabilaria.* Comm. Lipſ. vol. XIII. p. 505.

Puſtulae ſeroſae, prurientes, conſtantiores ad aëris acceſſum, quin refrigerium, vt pauliſper tantum recedant: abeuntes ſequitur noua copia, ſicque ad 3 menſes vidi durantem. Angina etiam ſtipatur, vt chirurgus ſcarlatinam putaret. Spero pictam te videre.

26. *Miliaris toxica.*

a. Ab arſenico, critica. Journ. de med. Juin. 1756.

b. Ab exutorio, cort. mezer. diutius perſiſtente. *Bergii* mat. med. p. 305.

Brachium, caput, quin totum corpus, occupat, diſcreta, vel confluens in plagas, moleſtiſſima. Salus, ſepoſito cortice, a balneis tepidis.

27. *Miliaris ſymptomatica.* *Schulzenheim* l. c. alii.

a. Febrium comes.

α. Intermittentium. *Allion.* l. c. *Schulzenh. Collin.* l. c.

Timendum, ne ſub frigore retrogrediantur exanthemata, hinc praeſtat, hanc febrim in continuam mutari.

β. Continuarum.

b. Phlegmaſiarum, vt peripneumoniae, pleuritidis, colicae, enteritidis, metritidis cet. comes.

c. Exanthematum in ſpecie, vt variolae, rubeolae, ſcarlatinae comes.

d. Dyſtociae. *Schulzenh.* p. 15.

e. Dyslochiae. *Schulzenh.* ib. p. 18 ſq.

28. *Miliaris absque febri.* An potius alia paſſio? Collin. pag. 28.]

VI. PVRPVRA, *Porphyra* Graecorum; *Petechialis febris* Germanorum; *Petechiae*, *Peticulae* cet. aliorum; *Petechiales verae*, Frid. Hoffmanni cap. 11; *le Pourpre.* Cf. C. *Strack.* tr. de morbo c. petechiis.

Genus eſt phlegmaſiae, cuius notae ſunt potiſſimum maculae ſubrotundae, morſibus pulicum ſimiles, ſed purpurei quandoque, liuidi, aut atri, coloris, ſine tumore et pruritu: adde amphimerinam vel tritaeophyam duplicem.

Differt 1° *a pulicum morſibus*, qui in febribus illudere poſſunt, ex eo, quod preſſione euaneſcit rubedo horum morſuum, non vero Purpura, et defectu ſtigmatis, vel puncti, ab inſectis pertuſi; 2° *a maculis ſcorbuticis*, quod ſcorbutus ſit ſine febre, Purpura vero febrim acutam comitem habeat, praeterea ſcorbuticae maculae aliis ſcorbuti ſignis adiunguntur, vt ſtomacaci, quae hic deficiunt; 3° in *rubeola erumpente* adeſt affectus catarrhalis, erupta [ad viſum ſupereminet epidermidem] horum nulla ſunt in Purpura, ſi Viennenſem anni 1758, ab *Haſenöhrlio* deſcriptam, excipias; adde, quod maculae rubeoloſae ſint incertae figurae, purpuratae vero magis magisque circulares; 4° in *ſcarlatina* eſt rubedo quaſi vniformis in trunco, velut a vino rubro affuſo, in Purpura ſunt maculae liuidae, ab inuicem diſſitae interuallis, cuti omnino concoloribus et apprime diſtinctis, nullusque pruritus, qui ferinus eſt in *ſcarlatina*.

Purpura accidentalis, quam ſymptomaticam dicunt, concurrit quidem cum variola maligna, rubeola maligna, miliari maligna, peſte vulgari, cet. aſt ab illis omnibus exanthematis diſcrepat; de cetero petechiae faciei parcunt, truncum vero maxime infeſtant.

1. *Purpura benigna Ludwigii* Inſtitut. Clinic n°. 145 *Petechiae benignae* ipſi dictae; *Fièvre pourprée*: Vide *Foreſti* obſerv. 59. lib 6.

Cognoſcitur ex febri, quae more aliarum incipit ab horrore, frigore, ſubſequente calore, et circa quartam diem per truncum potiſſimum efflorescunt maculae non liuidae, nec atro-purpureae,

ſed roſei coloris et paucae; vbi apparent per totum corpus poſt ſigna coctionis, inſtar criſeos morbum ſoluunt. Verum ſi reprimantur, vt in caſu *Foreſti*, diros alios morbos excitant, vt gaſtrodyniam diriſſimam cum anguſtia praecordiorum et dyſpnoea.

2. *Purpura maligna*; *Febris purpurata Sennerti* lib. 4. cap. 11; *Riuerii* Cent. I. obſ. 21; *Febris peſtilens eiusdem* Pr. Med.; *Febris peticularis* R. Fortis; *Febris lenticularis* Germanis; *Febris petechialis Juncker* Tab. 72. *Ludwigii* inſt. clin. n° 146; *Tabardillo* Hiſpanis; *Fiévre pourprée maligne.*

Vnicum datur ſymptoma, ait *Riuerius* Lib. XIII. Sect. III. Cap. 1, febri peſtilenti proprium et peculiare, quod in reliquis febribus non contingit; maculae nimirum purpureae in toto corpore, ac praecipue in lumbis, pectore et dorſo apparentes, morſibus pulicum plerumque ſimiles, quae *peticulae* ſeu *petechiae* ab Italis vulgo nominantur.

Riuerius obſ. 18. centur. 2, vidit quadragenarium, purpura maligna laborantem, cum ſiti intenſa, praecordiorum aeſtu, et inquietudinibus; praeceſſerat cholera, tertio die haemorrhagia copioſa, pulſus erat paruus, maculae liuidae; praeter iulepos cardiacos cum ſale prunellae ter in die exhibendos, praeſcripſit is puluerem ex ſalis prunellae vncia ſemiſſe, camphorae dragma ſemiſſe, ſumſit quartam partem tertia quauis hora; eadem die melius habuit aeger, et his remediis iteratis intra paucos dies conualuit.

Idem obſerv. 21. centur. 1. refert hiſtoriam febris purpuratae remittentis iam octo dies durantis, in qua aeger ſemel purgatus et tres phlebotomias paſſus; pulſus erat frequens et inaequalis, et totum corpus exanthematis purpureis refertum; vrinae laudabiles, paululum coctae; inuitis cucurbitulis, ptiſana de cornu cerui, inunctionibus ex oleo ſcorpionum, vndecima die delirium cum conuulſionibus acceſſit; decima ſexta circa veſicatorium dorſi apparuerunt puſtulae plurimae quaſi varioloſae, quae ſequenti die ruptae exſiccabantur; aſt in parte anteriori pectoris infinitae prodiere papulae perexiguae, pellucidae, humore ſeroſo refertae, verbo miliares, vnde febris valde remiſſa, et delirium imminutum; purgatus aeger decima ſexta, iterumque vigeſima ſecunda conualuit. Succeſſum tribuit Auctor potiſſimum ptiſanae, in cuius ſingulis cyathis miſcebat ſalis prunellae dragmam vnam et ſpiritus vitrioli guttas decem.

SCHOLIVM. A petechiis diſcrepant, me quidem iudice, vibices ſeu maculae amplae violaceae, aut liuidae, quae in peſte ſporadica, nec non epidemica, per cutim diſperguntur: *vibices* dicuntur, ſi virgatae, quaſi a flagellis inflictae. Vide *Riuerii* cent. 2. obſ. 64. vbi refertur nomine febris malignae, peſtis ſporadica, parotide terminata circa diem vndecimam.

Huius morbi hiſtoriam *vide* apud *Frid. Hoffmannum* de febribus petechialibus veris cap. 11. n° 3.

3. *Purpura ſymptomatica, les Petechies accidentelles, Pourpre accidentel. Huxham* lib. I. pag. 105–108.

Ea eſt, quae aliis morborum generibus ſuperuenit, nec eos iudicat, nec in illis conſtans eſt, nec in morbi incremento obſeruatur; morbi, quibus illa iungitur, non petechiales, ſed *petechizantes* a *Junckero* et *Nentero* cognominantur, et tales ſunt omnes febres remittentes, potiſſimum typhi, hemitritaei et tritaeophyae, omnes phlegmaſiae exanthematicae, vt peſtis, variola, rubeola maligna, miliaris, quae etiam reciproce puſtulas, aut papulas, ſuas ſymptomatice admiſcent purpurae, et ſibi mutuo; ſic in obſeruat. 21. centur. 1^ae^ *Riuerii*, puſtulae varioloſae et miliares papulae purpuram malignam ſymptomatice adornarunt; ſic in peſte Maſſilienſi petechiae, puſtulae carbunculoſae, vibices, aliaque exanthemata bubonibus ſe comites addebant. Peſtis ſporadicae cum petechiis hiſtoriam vide apud *Riuerium* centur. 2. obſeru. 64; morbus enim, qui parotide ſoluitur, nomine peſtis ſporadicae videtur deſignandus.

Aliis aegritudinibus, maxime febribus, potiſſimum exanthematibus, peſti, variolae, rubeolae, rel. ſuperuenit, aut conſtituit rudimenta exanthematum tardorum. An poſſit dici ſymptomatica vltro diem 7. morbi comparere, dum *eſſentialis quaſi* iam diebus 3 ad 7 compareat, dubito.

a. *peſtis. Samailowiz* ed. germ. praef. p. 30. conſueta, ſed et ad nummum maiorem, *Rubel* d. vel rariora, vel corpus totum obſidet, loco bubonum et anthracum ſaepe, mortis, ſaepe inſtantis, prodromi.]

Vtrum purpura maligna ſit contagioſa, vt contendit *Ludwigius*, valde dubito, cum de peſtis contagio maximi in arte viri dubitent, in qua tamen purpura peſti coniungi ſolet; venenum tamen multiplicatiuum in ipſius principio morbifico admitto, idque tenuiſſimum, halituoſum, acre, ſepticum. In hoc morbo

phlebotomia raro adhiberi poteſt ob pulſus debilitatem; emetica vero et cathartica feliciter adhibentur; dein lenia diaphoretica, antiſeptica praeſertim, vt camphora, chamaemelum, ſerpentaria, cet. vſurpantur.

4. *Purpura verminoſa.* Hiſt. de l'Ac. des Sc. 1714 pag. 14. v. *d. Boſch* h. c. ep. v. p. 56 ſq. 87. 91. A.

Aegri multos lumbricos reiiciebant, cum mature ſuccurrebatur illis, et tunc Purpura erumpebat; quicumque ab ea euadebant epidermide ſpoliabantur; ceteri intra triduum obibant et tanta erat putredo cadauerum, vt veſpillones ſaepius contagio afficerentur. Morbus circa Tullum in Lotharingia epidemice graſſabatur. *Geoffroi.*

[5. *Purpura neruoſa.*

Vtcumque hinc inde apud ſcriptores occurrit.

6. *Purpura ſeptica.* Huc *Sauv.* ſp. 2. *Stoll* rat. med. T. 3. p. 122. Act. Suec. vol. XXVIII. pag. 322. 326. *Rigler* l. c. pag. 8. 9.

Maculae purpureae, liueſcentes, potiſſ. et fere omnes in pede vidit *Rigler.*

7. *Purpura choleſeptica.* *Strack* de morb. c. petech. pag. 133 ſq. *Glaſs* l. c. p. 110. *Huxhami* febris nautica T. I. p. 134. Hiſt. morb. Vratisl. 1700. p. 3 ſq. *Ludwig* inſt. clin. p. 38. *Brockelsby* p. 134. et *Selle* praef. ei. l. et p. 239.

Leuamen a diarrhoea ſpontanea.

8. *Purpura bilioſa.* *Sauv.* ſp. 3. *Ludwig adv.* V. n. I. pag. 13. *Huxham* op. I. p. 105 ſq. *Selle* pyr. p. 228. *Rülings* Beſchr. v. Northeim p. 216 ſq.

9. *Purpura catarrhoſa, bilioſa.* *Wagler* de m. muc. p. 18. 68. 73.

10. *Purpura inflammatoria.* *Selle* pyr. p. 162. *Stoll.* rat. med. T. 3 p. 107. 130. Huc *Sauv.* ſp. 1.

Rubra, laete roſea, ſubinde cinerei coloris, liuida.

11. *Purpura purulenta.* *v. Swieten* T. 2. p. 405. *Schroeder* d. op. T. 2. p. 186.

Non raro in morbo putrido: aut exanthemata alia v. g. variolae, morbilli, mali moris pro petechiis ſuppurantibus habentur. Sed et comparet in pyogenia ſpontanea, vt *Schroederus* videret cum magna laſſitudine, febri parua, lingua impura, vomitu bilio-

ſo virideſcente, animi magna deiectione, *et typhi ſignis* reliquis, per *enureſin purulentam ſolutae.*

12. *Purpura ſcorbutica.* *Eugalen.* n. 36. *Brambilla* v. d. Phlegmone. T. 2. p.

Maculae purpureae, ſubliuidae, ſubnigrae.

13. *Purpura intermittens.* *Strack* l. c. c. 8. p. 184 ſq. et c. 10. p. 247 ſq.

Aut inter petechias excitatur intermittens, aut intermittenti petechiae ſuperueniunt.

14 *Purpura eminens Sagar* ſp. 2. *Haſenöhrl.*

Vidit vterque a 1758. et 1772. purpuram, cutim ſupereminentem magnitudine ſeminis papaueris albi, roſei coloris, benignam.

VII. ERYSIPELAS. *Roſa* Sennerti, et *Ignis Sacer*; *Eryſipelas pernicioſum Moroni* Direct.; *Febris eryſipelatoſa Sydenhami* pag. 174, 655. *Fr. Hoffmanni* Tom. 2. *Fiévre eryſipelateuſe*; vulgo *feu de S. Antoine. Mezeray* Hiſt. de France. A.

Cognoſcitur ex pyrexia acuta et tumore diffuſo, coloris rubro-roſei, cum ſenſu ardoris.

Differt ab exanthematicis prioribus, quod non per puncta exigua et maculas, pulicum morſibus ſimiles, erumpat, ſed in latas, amplas, pollicares, aut maiores, areas ſubtumidas, ſe diffundat; [Si puſtuloſum excipias.]

1. *Eryſipelas Roſa Sennerti* de febrib. lib. 2. cap. 15: *Febris eryſipelatoſa Sydenhami* Sect. VI. cap. 5; *Febris eryſipelacea Fr. Hoffmanni* T. II. cap. 13; *der Rothlauf, die Roſe*, Germanis; *Eryſipèle.*

Phlegmaſia eſt cum febri continua ſynocha; cum alicuius partis, potiſſimum faciei, erythemate iuncta; iuxta *Sennertum* definitur febris continua a ſanguinis parte tenuiore corrupta et inflammata, qua vt natura ſe liberet, eam in aliquam partem externam expellit forma tumoris aut maculae rubrae, latae, quae a parte in partem ſerpit.

Praeludit ab horrore, rigore et ſequenti circiter die inuadit, potiſſimum ſub finem aeſtatis, dum aeger ſub dio verſatur; ſummus ſubitusque rubor ac dolor exoritur in quadam parte, apud Germanos in inguinibus, alis, femoribusue cum praeuio glandula-

rum, vel axillarium, vel inguinalium, dolore, ita, vt aeger ſe peſte correptum iudicet; apud Anglos vero et Gallos, quin Germanos, ſaepius faciem occupat hic tumor calore acri, rubore roſeo, cum ſumma cutis tenſione et eleuatione exigua, lata, diffuſa non circumſcripta; febris intenditur cum calore, ſiti, anxietate, non raro apud nos linguae albedine, oris foetore. Si vehementius ſit malum, phlyctaenae ſupra tumorem [tuncque *Hieropyr* audit] eleuantur, aqua ſublutea turgidae, hinc per frontem, palpebras, capillitium, collumque circuit, atque ſi male tractetur, accedit gangraena, delirium, vtplurimum vero morbus intra ſeptimanam terminatur.

Sexagenaria menſe Februario magna debilitate cum ſomnolentia ac pulſu paruo corripiebatur, praemiſſo frigore et horrore; illico potionem cardiacam adhibui, ſequenti die phlebotomia e brachio fuit inſtituta, poſtridie catharſis ex duobus cyathis ptiſanae regiae cum pauxillo tartari ſtibiati; ſaepius enim praecedunt nauſeae, nec quidquam felicius in hoc morbo ſuccedit, quam vomitorium; eodem veſpere iterum vena ſecta fuit, tunc ſeu tertia die eryſipelatoſus tumor in parte dextra faciei apparuit, caput ſenſim intumuit, nihil applicui; ex aure ſerum ſanguinolentum effluxit, bullae apparuerunt et cito crepuerunt, pulſus maior et frequentior euaſit, phlebotomia iterata eſt, et ptiſana regia ſine tartaro ſtibiato alternis diebus ſumpta, lingua, quae erat ſicca et nigra, humida euaſit, ſeptima die nitida fuit; eryſipelatoſus tumor, qui palpebras in magnum tumorem ſubalbum inflauerat, eaſque dein deſeruerat, reſedit, exſiccatus eſt, et magnis ſquammis cuticula delapſa eſt.

[In eryſipelate faciei inflammatorio, praeſente cephalalgia et delirio, vidit *Stoll.* R. M. T. IV. p. 65. inſtantanee profeciſſe ſcarificationem nuchae.]

2. *Eryſipelas choleſeptica* ſeu *typhodes; Fièvre maligne eryſipelateuſe.* [Journ. de med. T. 7. p. 55 ſq. T. 10. p. 449. T. 12. p. 354. *Selle* pyr. p. 238. *Finke* l. c. p. 55.]

Eſt febris maligna, initio typhodes, deinde bilioſa, alternis diebus paroxyſmum fortiorem, ſed vnum quotidie inferens, in qua cum delirio, ſumma virium proſtratione, tertia die erumpit tumor eryſipelatoſus faciei, vel humerorum, colli, brachii, febri tunc temporis viuida, ardente, quae primis diebus ex pulſu vix poterat cognoſci.

Domina de Graſſer, triginta annos nata, menſe Februario e templo exiens, horrore, frigore, cephalalgia, corripitur, lecto poſt tres dies tantum ſe addicit, febris erat remittens, tritaeophya duplex, quae creſcens cum frigore, et dein calore ſummo exacerbans, delirium afferebat; tertio die tumor eryſipelaceus faciem affecit, aſt recedens ob mutatum lectum, dein in humeris, collo, pectore, apparuit, mox brachium dextrum ac manum inuaſit; vena nouies ſecta fuit, ſanguis erat coriaceus; diebus a paroxyſmo fortiori vacuis, purgata cum ptiſana regia et tartaro ſtibiato; die decima ſeptima, ob iram ſuſceptam paroxyſmus vehemens cum horrore aquae, lucis auerſatione, et lacrimatione exigua ſine ratione; vena pedis tuſa fuit; ſequenti die vini emetici puri vncia vna ſumpta, eryſipelas, quod receſſerat, iterum faciem infeſtauit; delirium imminutum eſt; interea in manu, brachioque quouis mane tumores molles, albi, ſeſe oſtendebant ſine praeuio rubore aut dolore; his apertis pus effluebat, vulnus cito ſanabatur; noua apoſtemata die ſequenti apparebant, et illico aperiebantur; trigeſima die ſenſim paroxysmis debilitata e viuis exceſſit: [quidni venae ſect. 10! repetitas accuſas!]

Vidi ſimilem morbum Nemauſi in muliere quadragenaria, in qua per tres quatuorue dies ex pulſu et delirio obſcuro hyſtericum inſultum tantummodo incuſandum putabant, aſt repetita phlebotomia eryſipelas in dorſo apparuit, emeticis et catharticis febris illa tritaeophya intra 14um diem receſſit.

Sunt, qui linteolum aequal. vini et aquae tepidae partibus madidum, alii vero decocto florum ſambuci in aqua tinctum, et quauis hora renouatum, erythemati imponunt, aſt nihil imponere, ſatius eſt.

3. *Eryſipelas a veneno.*

Anno 1752, menſis Auguſti nono, ſutor oppidi *Vias* dicti, eius vxor, duoque nati, frixum hepar ſquali catuli *Linnaei* manducarunt, tertius natus nihil ex eo attigit, puella perparum; ſtatim a paſtu, qui manducauerant hepar, ſomno correpti decumbunt per biduum, triduumue ſomno, et delirio detenti; vicini admoniti accedunt, et hos aegros eryſipelate vniuerſali citra calorem tamen, ſed cum acri pruritu correptos, ac velut ebrios contemplantur; foemina prima exſurgens cutemque exagitans, cuticulam totius corporis a cute ſecedere ſenſit; maritus aegrius cuticulam depoſuit non ſine violentis pandiculationibus; tota epidermis vxo-

ris intra ſex dies omnino auulſa eſt, aſt viro intra menſem; interea Agatham ego arceſſitus ad aegram nobilem, ſutorem et eius vxorem arceſſo, et fruſta ampla epidermidis ab illis accipio; ipſe a calcaneo viri fruſtum amplum adhuc haerens auello; puella partim tantum deſquammata furunculum in femore paſſa eſt. Hepar illius piſcis ſemper reiici ſolet ab ipſis piſcatoribus; piſcis vero ille non proſtat niſi menſe Auguſto in noſtris oris, vulgo *catulus marinus* vocatur; hepar conſtat ex duobus lobis, pedem longis, inſtar lori coriacei complanatis, ex luteo variegatis vel punctatis.

Simile vero eryſipelas, collum et faciem tantum infeſtans, corripuit Monſpelii tres adoleſcentes, qui alterius generis piſcem manducauerant. Idem Agathae de alterius etiam piſcis eſu factum dicunt: forte illi piſces venenum hoc concipiunt cum fruſta carnis putridae, hamis affixa, vorant. Hic morbus a mytulorum eſu ſaepe productus fuit, *Werlhofio* teſte, tr. de morb. a comeſtis mytulis. in opp.

4. *Eryſipelas ambuſtio; grande brulure.*

Aegritudo eſt valde periculoſa, cum magna pars corporis, praeſertim vero faciei, oleo, aqua, aut aliquo liquore feruenti, comburitur; lebete effuſo, lapſu in calcem viuam, recenter aqua ſolutam, aut in ignem, qui conflagrat, aut pulueris pyrii exploſione, attingitur; inde dolor atrox, pertinax, febris acuta, peruigilium, et quandoque cita mors, aut etiam ſphacelus partium combuſtarum, amplae phlyctaenae, cet.

Pro arcano eſt apud mulieres vnguentum ex aqua ſecunda calcis et oleo; ſed ceratum Galeni ad dolores demulcendos aeque valet, vbi partes eroſae ſunt. Si vero nulla excoriatio, ſedato primo dolore, vinum tepidum aquatum continuo admotum optimum eſt. Vide *Gangraenam* 5^am^ *eiuſque curam.* Caute vtaris ſaturninis.

5. *Eryſipelas Peſtilens; Ignis ſacer; Feu S. Antoine, Feu ſacré:* Mezerey *Hiſt. de Franc. ann.* 1090. *Mal des ardens en* 1130 *ſous Louis VII.* Aegri *ardentes.* vid. *Anthrac.* 3.

6. *Eryſipelas ſymptomaticum Frid. Hoffmann.* de febri eryſipelacea n°. 4.

In anaſarca, aſcite, imo aurigine et melaſictero accedit haud raro ſymptomatice eryſipelas et cito aegrum iugulat.

Complicatur etiam vulneribus partium neruoſarum, praeſertim cranii et fracturis oſſium, et tunc aeger in ancipiti verſatur.

7. *Eryſipelas Chinenſe du Halde* Hiſt. de la Chine p. 317.

Operarii, qui vernicem extrahunt ex arbore, quae *Rhus vernix* Linnaeo dicitur, ſi exhalationes huius excipiant, eryſipelate vniuerſali intra diem afficiuntur, facies deformatur, corpus intumeſcit, quaſi lepra infectum videtur; cutis vbique crepat, vnde multum ſeri effluit, demum cutis exſiccatur, decidit et noua ſuccreſcit.

Cura petitur ex hydragogo vehementi, dein balnea in decocto comarum abietis, corticis caſtanearum cum nitro et baſella, ſtuphae huius decocti adhibentur, et cinis baſellae vulneribus adſpergitur.

8. *Eryſipelas Zoſter Plinii* lib. 26. cap. 11. *Langii* Epiſt. pag. 110. *Zona Frid. Hoffmanni*, de febre eryſipel n°. 6. *Ruſſelli* de tabe glandulari, pag. 125. Anglis *the Shingles*, pag. 23.

Hic corporis truncum infeſtat, modo thoracem, modo ſcapulas, modo latera et coſtas occupans; frequenter etiam inferius oritur et medium corpus tamquam cingulum cingit atque totum amplectitur, in quo caſu, teſte *Plinio*, enecat. Subnaſcuntur veſiculae quaedam flaueſcentes nonnumquam, ſed ſaepius liueſcentes, quae ad inſtar herpetis, cuius ſpeciem maxime referunt, corrodere ſolent. Hinc *Herpes* Scribonio Largo dicitur; febricula tantum ſtipatur, et ſi reprimantur veſiculae, magna ſymptomata enaſcuntur. Vide Hiſtoriam a *Ruſſello* traditam, in qua grauis dyſpnoea ſucceſſit.

Duo in cura ſunt obſeruanda, 1° vt maturationem vlcuſculorum adiuuemus; 2 vt a purgando nos contineamus, donec ſe per cutim euacuarit eruptio; tum autem vel ſale Glauberi, vel aqua marina venter ſubducendus eſt. Vide curam fuſius apud *Frid. Hoffmannum*, S. 1. cap. 13. *de febri eryſipelacea.*

9. *Eryſipelas contagioſum Deslandes* Hiſt. de l'Acad. des Sc. 1716.

Aegritudo Toloſae epidemica, et, vt ferunt, contagioſa fuit anno 1716: epidermis faciei, apud eos, qui conualeſcunt, decidit. Simile, eryſipelas phlegmonodes, nuper concepi, ex aegrota, quae tum alii, tum mihi, obtulit dum viſitarem decumbentem prope fornacem in lecto, labo antem eryſipelate facie typhode billioſa, putrida. Et in me faciem, maxillas, occupabat, et ſcio duo alias ſanos, probabiliter a me ſuſcepiſſe, quorum vnus cum barba abſtulit a conualeſcente.

10. *Eryſipelas a veſpis.*

Vidi militem caluum, qui apum examine ita fuit inuolutus, et laceſſitus, vt caput, collum et manus quaſi eryſipelate vniformi mire intumeſcerent, cum rubore et atroci dolore, ex quibus fere exanimatus fuit; veſparum morſus repetiti eumdem morbum producunt et atrociorem; nullum tutius auxilium eſt quam frigida continuo renouata partem abluere, teſte *Reaumurio.*

VII. Erythema, Eryſipelas apyreton.

Erythema eſt vox Hippocratica, qua rubores eryſipelatoſos deſignauit *Auctor in Coacis*, et *Epidemiis*. Erythema crica nares, ait *Hippocrates*, profuſiorem aluum ſignificat; *Duretus* erythema vertit per ſuffuſionem eryſipelatoſam.

Differt ab herpete, quod ſit fugax, herpes vero pertinax; quod ſit vniformis, herpes vero papulis, vel guttis rubris, diſtinctus. Non raro criſis inſtar a leui frigore, ſubſequente calore, erumpit nummi magnitudine circiter, vel iuxta vulnera adnaſcitur; pendet a materia acri, cruore fluxili, et, vt aiunt, bilioſo, in vaſis reticularibus cutis collecto, minime vero in glandulis. Hinc fit, vt preſſione recedat, eaque ceſſante velociſſime reuertatur rubedo, quod nullam ſanguinis haerentiam arguit; omnes membranae corporis vltima vaſa ſanguifera habent reticulata, et hoc reticulum eſt ſedes eryſipelatis, vel cutanei, vel introuerſi. Materiam erythematis introuerti, eo peius eſt, quo acrior eſt; ſi ſerum acre ſub cuticula effundatur, fit phlyctaena, quae exſiccata abit in cruſtam; hinc erythema cruſtaceum.

Sola natura ſpontaneum eryſipelas ſaepe ſanat; quippe materies acris, calore reſoluta, perſpirat, et quod craſſius remanet, cutis deſquammatione demum foras emittitur; Medici itaque officium eſt, hanc excretionem ſuſtinere, iuuare, quae felicius ſuccedit praemiſſis generalibus auxiliis, ſcilicet phlebotomiis et catharticis; raro cruor eductus in patella concreſcit, quod in phlegmone frequentiſſimum; ſaepius thrombus ſero flaueſcenti innatat; facies ab erythemate prae aliis locis afficitur: abſtinendum eſt ſedulo a repellentibus frigidis; acria et calida dolorem, feruoremque intendunt; liquida vtcumque initio tepida cito refrigeſcunt, et nocere poſſunt, ita vt ſaepe tutius ſit, abſtinere a topicis; interea decoctum aquoſum florum ſambuci, linteum vino aquato madidum,

applicari poſſunt. Potus diluens et diaphoreticus, non acer, iuuat perſpirationem; intra paucos dies epidermis fruſtulatim ſeparatur, et ſic ſanatur erythema.

11. *Erythema ambuſtio, Heiſter.* Chirurg. lib. 4. cap. 15; *brûlure.*

Differt ab erythemate ſpontaneo, quod a principio euidenti, ſeu feruore corporis admoti, pendeat. Partes igneae, vbertim admiſſae, intra cutis textum ſanguinem inflammant, ſerum rarefaciunt; hinc phlyctaenae, ſeu ampullae, cutis rubor intenſus, dolor acerrimus, tumor diffuſus.

Quoniam particulae igneae adhaerent corporibus frigidioribus et denſioribus fortius, quam calidis et raris, ſubleuatur pars ambuſta a ventilatione, ſeu admotione aurae frigidulae; aquâ etiam frigida, ſaepius renouata, partem immergendam eſſe, docet *Godefroy Miſcell* et ſedato dolore vtendum linimento ex ceruſſa, oleo, ſpermate ceti. Nos, vbi nulla eſt excoriatio, vtimur vino tepido mero, vel aquato, vel ſucco cepae contuſae, vel atramento, vel oleoſis, vt oleo cum aqua conquaſſato ad vnguenti ſpiſſitudinem, aqua ſclopetaria *Theden*, raro *Goulardi.* Phlyctaenae minime ſunt aperiendae, inde enim dolor atrocior; his apertis emollientia tantum vſurpanda, vt albumen oui cum oleo lini, oliuae, vel amygdalarum, pulpa pomi cocti, pulticula ex hordeo, oryza.

Si vlcus adſit, aut eſchara, vide *vlcus* et *gangraenam.*

In grauibus et valde extenſis combuſtionibus diaeta tenuis, refrigerans, potus ſpiritu ſalis acidulatus, narcotica, phlebotomiae, diuerſaeque cautelae requiruntur, ſummumque vitae periculum imminet; ſi oculi amburantur, caligo multiplex, ſi collum, obſtipitas, accedere ſolent; ambuſtio ab oleo bulliente, a calce viua, a metallis fuſis, periculoſior eſt, quam a ſtramine, ſpiritu vini, cet.

12. *Erythema volaticum; maculae volaticae* Sennerti, *aeſtus volaticus*; vulgo *feu volage;* L. an *der ilug* Gabelchoueri?

Pueri lactentes non raro erythemata habent in facie pertinacia, conſtantia, intenſe rubra, vniformia, circularia, monetae minoris magnitudine, circa genas, labia: in maculae centro non raro vidi foramen fuſcum, ſiccum.

Si hae maculae euadant cruſtoſae, an ſunt quid diuerſi a cruſta lactea? *Sennertus*, ſe numquam vidiſſe, fatetur, atque ma-

culas ori, oculis, auribus vicinas pro letalibus habendas profert, quod a vero aberrare docet *Verducius*: huius deſideratur accurata hiſtoria; ſi calore, dolore, careat, ad guttam roſeam attinet. Quas vidi, cruſtoſae non erant, vnde a cruſta lactea differebant.

13. *Erythema pernio*, vulgo *engelure, mule aux talons*; L.

Eſt rubor cum tumore glabro, pruriginoſo, pertinaci, extrema, potiſſimum hieme, [et maxime ſub tempeſtatis viciſſitudinibus] afficiens, vt pedes et manus; calens, quandoque excoriatus, qui nec ſuppuratione, nec deſquammatione, ſolet terminari. (De naſi pernione vide Biblioth. Medic. *Mangeti*, *T.* 3. *pag.* 492.)

Fouetur ab acrimonia ſanguinis, [Inde mallem ſpecies ſeu varietates conſtituere, vidi enim a) *plethoricas*, b) *ſaburrales* c) *verminoſas*, *atrabilarias*, vt v. g. epidemicas quaſi in hieme leniori tollerem vno, alteroue purgante in ſingulis] et excitatur a calefactione ſubitanea pedum manuumue dum algent; gradarie etenim calefactae partes minus pernionibus ſunt expoſitae: perſpiratio acris retenta ruborem, calorem, pruritum excitat, pruritus vero ille calore lectuli intenditur.

Perniones *integri* [Integris opponis cum ſucceſſu linim. volat. diſp. Edimb., (vt alii placeat, loco olei oliv. ſumere oleum aromat., ſcio.) deinde aquam leniter adſtringentem ex fol. quercus, aut cort. ei. coriaceis.] optime curantur frequenti irrigatione partis cum ſpiritu ſalis, qui acrimoniam (alkalinam) materiae morbificae innocuam reddit, at perniones excoriati debent emplaſtro mucilaginoſo defendi, imo cerato Galeni cum aqua Saturni deliniri in integris; loco ſpiritus ſalis ſolutio aluminis conuenit, item fomenta aromatica vino, rubro mixta, nec non adſtringentia tonica, decoctum baccarum iuniperi, decoctum caſtanearum cet. Rapa cocta pernioni applicata, pellis leporina, nix applicata, muria etiam a diuerſis Medicis laudantur. Vide *D. Tiſſot* Avis au Peuple. *Ch. XXX. n.* 462.

14. *Erythema intertrigo. L.*

Rubor femorum et perinaei apud infantes ab vrina, faſcias, quibus inuoluuntur inficiente; hoc lactentibus eſt familiare, vnde anxii, et inſomnes euadunt, ſaepe etiam excoriantur maxime in plicis, ſeu angulis.

Curatur adſperſo bis in die [ſemine lycopodii]; alii ſalicis carioſae teredinem adſpergunt; ſumma praeterea requiritur tuni-

earum mundities, et frequens deterſio lixiuialis, dein ablutio in aqua, ſecus lintea laedunt.

15. *Erythema paratrima, paratrima* Graecis. B.

Rubedo clunium in equitantibus, pedum in peditibus, manuum in operariis, dorſi in decumbentibus aegris, procedens a contuſione vel aſſidua partium compreſſione, vnde excoriantur, dolent, adhaerent veſtimentis, linteis; hinc cruciatus a ſitus mutatione in coccyge; etiam rubedo illa liueſcit, et gangraenam poſt ſe trahit. Illa ſpecies fugax eſt, et ablato principio procatarctico aufertur, niſi a principio interno pendeat, et tunc non gangraena eſt, ſed necroſis, quae, ſi imperite tractetur, letalis eſt ſaepius, quam neglecta. *Vide Necroſin Claſſ. X.*

Attriti pedes viatorum ſubleuantur foliis viridibus alni; ſi excoriatio accedat, ſebo fuſo.

Attritus coccygis ſubleuatur puluinaribus excauatis, quibus lumbi, et femora ſuſtineantur, nec non decocto petalorum roſaè rubrae in vino rubro, aqua vitae camphorata, mixt. *de Haën* ex alb. ouor. ſpir. vini coagulato. rel. Abſtine a ſaturninis, vires proſternentibus magis magiſque.

16. *Erythema gangraenoſum* D. *Queſnay* de la Gangréne; pag. 40, 325, 333. A.

Eſt coloris minus intenſe rubri, qui cito in liuidum abit, cum circulo in ambitu partis gangraenoſae rubro, qui procedens gangraenam repentem anteit: nullus eſt tumor, nulla ad ſuppurationem tendentia; pars eſt quidem firma, ſed cum mollitie paſtacea, quae digiti veſtigium ſeruat, ſi preſſa fuerit; illud Erythema ſuperuenit vulneribus a catapulta, a contuſione; nec non ſine vulnere praegreſſo, nulla eſt tenſio, nec vllus calor notabilis. Cura eadem eſt, ac gangraenae, cuius eſt ſymptoma: Accedit etiam puncturis venenatis.

17. *Erythema volans, Flamma volans Tulpii* lib. 3. Obſ. 97; *Feux du viſage* B.

Eſt accidens fugax, hyſteriae et menoſtaſiae non raro comes; ſubitus ſcilicet calor et rubor, vt in verecundia, identidem a pectore ad faciem aſſurgit, cito tranſiturus, quandoque leuem ſudorem et vertiginem excitans.

18. *Erythema a punctura.* B.

Eſt illud, quod puncturae venenatae infert, ſcilicet puncturae apum, veſparum, crabonum, culicum, tabanorum, libel-

lularum, ſcorpii, cet. maxime ſi palpebrae vel reſiduae faciei partes pungantur. Succus venenatus ab aculeo fiſtuloſo in vulnus infunditur, inde tumor ruber, glaber, diffuſus, maculoſus; cum numeroſae ſint puſtulae, dolores acuti, pyrexia, peruigilium, ſyncope, conuulſio, quae tamen ſymptomata neminem e medio tollunt, ſed intra paucos dies euaneſcunt.

Cum *Reaumur* diuerſa medicamina expertus eſſet, nullum aptius eſſe concludit, quam partem punctam aqua frigida continuo renouata eluere. Suadet *Tiſſot* Avis au Peuple n. 284 1° aculeum inſecti auellere: 2° ſucco cerefolii, vel petroſelini, vel geranii Robertiani, vel floribus ſambuci partem fouere, vel horum florum decocto pannis laneis excepto tepido tegere, cui pauxillum theriacae addi poteſt; vel cataplaſma ex mica panis, cum lacte, melle et pauxillo theriacae adhiberi poteſt: addit et 3° pediluuia, et 4° potum ex infuſo florum ſambuci cum nitro.

[19. *Eryſipelas*: *Erythema periodicum* C. L. N. 1737. pag. 60. A. N. C. vol. 5. p. 41.

20. *Eryſipelas ſepticum.*

α. *anginodeum.* *Huxham* T. 3. p. 105. *Fothergill* l. c. praef. et p. 5 et 33. *Tiſſot* av. au peuple. Tumoris corruptio putrida, cum angina.

β. *Macula lata.* F. *Plateri* opp. T. 2. p. 23.

Sub papilla et in cordis regione ſedes, vel in manubus rel. mox liuidum, atrum, cito letale.

γ. *a fetu mortuo.* *Sagar.* Sp. 2.

Intra vmbilicum et ſpinam oſſis ilei ſiniſtri cum amphimerina.

δ. *gangraenodeum.* Journ. de med. Aout. 1767. p. 121. Synochus, die 8. eryſipelas colli, capitis, et coma vigil, gangraena eryſipelacea. Salus ab emet. catharticis, veſicatoriis, antiſepticis.

21. *Eryſipelas choleſepticum.* vid. ſp. 2.

22. *Eryſipelas bilioſum.* *Galen.* m. m. l. 14. c. 1. de ſympt. cauſſ. l. 3. c. 2. rel. *Foreſt.* l. 5. obſ. 22. ſch. obſ. chir. p. 1. l. 3. obſ. 1. *Sydenh.* opp. c. 6. *Freind* comm. VII. in l. *Hipp.* *Mead* mon. m. p. 17. *Bianchi* h. h. T. I. p. 432. *Huxham* T. I. p. 313. Journ. de med. Tr. 7. p. 55. Febr. 1766. p. 178. *Tiſſot*, §. 238. et op. T. I. p. 125. *Schroeder* d. de febr. eryſip. §. 7.

Brockelsby verſ. germ. p. 91 ſq. *Quarin* infl. p. 110. *Selle* pyr. p. 226. *Grant.* p. 377. *Stoll* Rat. med. p. 119.

Plerumque hieropyr. Neglectis euacuantibus abit in ſuppurationem: pus non laudabile.

23. *Eryſipelas catarrhoſum bilioſum.* *Lorry* de morb. cut. ſp. 1. p. 197.

24. *Eryſipelas verminoſum.* v. d. *Boſch* l. c. p. 179.

25. *Eryſipelas plethoricum.* *Sagar.* ſp. 1. *Selle* pyr. p. 134. 158. *Sydenham* T. I. p. 174. v. *Swieten* T. 2. p. 400. *Eller* l. c. p. 156. *Quarin* infl. p. 110. *de Haen* febr. div. p. 20. *Vogel* de m. cur. p. 192. *Monro* p. 295. *Schroeder* l. c. p. 46.

26. *Eryſipelas ſeroſum.* *Lorry* de morb. cut. p. 197 ſq. ſp. 2. Debilibus accidit, vix criticum, longum inſigni pruritu moleſtum, dolores acuti, vagi, anomali, vix in tumorem ſe attollit, non raro *hieropyr.*

a. *Zoſter.* *Fr. Hoffm.* opp. T. 2. p. 104. nov. act. Havn. vol. 1. p. 142 ſq. Soluit vertiginem periodicam.

b. *lacteum.* *Lorry* de m. cut. p. 280 ſq. Affectus cruſtoſi lactei puerperarum ei.

Poſt pyrexiam intumeſcit tota cutis, et induratur, exiguis cellulis, materia indurata turgentibus, fit tota quaſi coriacea: eryſipelatoſi quidquam erumpit, hieropyr, non leuans. Poſt diem 4. 7ue deſeruefcit, et cutis rhagadibus fiſſa et dura, aſpera et coriacea ſolutionis ſpem per eruptionem puſtularum facit. Puſtulae inſtar ſcabiei humidae, humorem tenuem, ſeroſum, elicit, et cruſtas leues, facile tollendas, format, noctu praecipue prurientes, et cutim nitidam deturpantes. Macies, dyſpepſia, phlegmatia pedum, tuſſicula, phthiſis, niſi hydarthrus, ſuccedunt. Salus a cura, contra lacteas metaſtaſes dicenda.

27. *Eryſipelas ſcorbuticum.* *Eugalenus* c. 38.

28. *Eryſipelas atrabilarium.* *Quarin* febr. p. 112.
Habituale ex obſtructione hepatis.

29. *Eryſipelas arthriticum.* *Musgraue* de arthr. cap. 17. *Lorry* de m. cut. ſp. 3. p. 198.

30. *Eryſipelas ſcrophuloſum.* *Lorry* l. c. p. 482 ſq.
Craſſities cutis acute aucta, cum ſtupore, adiapneuſtia, rel.

31. *Eryſipelas traumaticum.* Journ. de med. Febr. 1760.
Vulneribus partium neruoſarum, potiſſimum cranii, et oſſium fracturis, ſuperuenit, fuit et emphyſematicum, poſt lapſum ex alto.

32. *Eryſipelas phlegmonodes.* v. *Swieten* T. 2. p. 400.
Dicitum cum phlegmone ex parte ſtipatur, vt *phlegmone* vocatur *eryſipelatodes*, ſi hoc ſtipatur illa.]

VIII. SCARLATINA, *Morbilli confluentes Morton* de febr. ſcarlatina, p. 28. cap. 5; Dicitur *Scarlatina* a colore rubro rutilo exanthematum. *Fiévre ſcarlatine; Fiévre rouge.*

Phlegmaſia eſt, exanthematibus maculoſis, rubris, crebrioribus, latioribus, et multo magis rubentibus, at non perinde vniformibus, ac ſunt maculae, rubeolae ſtipata; illae pariter farinoſis ſquammulis terminantur, ſed ſine praeludio catarrhali enaſcuntur, et ad ſecundam, tertiamue, vicem ſe produnt, ac recondunt, viciſſim.

1. *Scarlatina febris Sydenhami*, cap. 2. ſect. VI. et p. 653. *Rubeola confluens.*

Haec febris vtplurimum ſub aeſtatis finem accidit; integras familias et praeſertim infantes aggreditur, ſine tuſſi, epiphora, vnde diſtinguitur a rubeola; ſed praeterea in rubeola dantur in trunco corymbi macularum interuallis cutis albis inuicem diſcreti; in ſcarlatina maculae ſunt vniformiter diſſeminatae, quaſi vino rubro tinctae forent partes. Die quarta facies intumeſcit, exanthemata ſe produnt, et poſt tres, vel quatuor, dies euaneſcunt; incipit cum horrore et frigore; aegritudo eſt mediocris.

Cura ſimpliciſſima eſt. A phlebotomia, catharticis et magis etiam a ſudorificis, et cardiacis abſtinendum; carnium eſus interdicatur, foras non prodeat ſcarlatinus, nec ſe lecto iugiter addicat; deſquammatione peracta, vtatur leni cathartico. Si coma, eclampſiaue, initio ſuperuenerint, vt infantibus accidit, epipaſticum amplum nuchae applicetur, et paregoricum quauis nocte vſurpetur; pro potu ſit hydrogala, ſeu lac cum aquae triplo coctum.

2. *Scarlatina vrticata; altera eryſipelatoſae febris ſpecies Sydenhami* Sect. VI. cap. 6. *Purpura vrticata Iunckeri* Tab. 74. pag. 599; *Fiévre rouge prurigineuſe; Fiévre ortiée de Meyzerey* T. 2. pag. 252. P.

Incipit cum ſenſu refrigerii, ſequitur moderatus calor, ſitis, cephalalgia, dein cum multo pruritu, et cutaneo rigore exanthemata tam in facie, quam in reliquo corpore, ſe produnt, quae

cutim ſuperant et cito accreſcunt, et papulas eminentes coloris ex pallido roſei, vrticarum puncturis ſimiles referunt, quandoque cum protuberantiis ferme eryſipelaceis et aſperitate ſerpiginoſa; febris, ſi adeſt, mitiſſima eſt; exanthemata interdum euaneſcunt febre remittente, aſt circa veſperam denuo prodeunt, cum febre, pruritu moleſto et ardenti: intra tres aut quatuor dies ceſſat affectus, minutiſſimis ſquammulis ex cute ſecedentibus. Vide *Tertianam vrticatam*.

3. *Scarlatina porriginoſa*. *Tertia eruptionis ſpecies Sydenhami*, Ibid. pag. 176. cap. 6. P.

Haec rarior eſt antecedenti, ſaepius in pectore ſe prodit, ac aliquo loco determinato ſe figit; vix cutim ſupereminens ac latiorem maculam prae ſe ferens, niſi quod aliquantulum porriginoſa, ac ſquammulis flaueſcentibus diſtincta; hac apparente aeger bene ſe habet, recedente aegrotat, vrinam turbidam ac rubram mingit. Haec poſtrema eruptio curatur vt ſcarlatina vrticata, aſt quandoque non, niſi aquis ferrugineis diu epotis, redit.

4. *Scarlatina intermittens*, *Morton* Pyretol. pag. 33, 97, 98. P.

5. *Scarlatina variolodes* Journ. de Med. Juill. 1763. pag. 275. B.

Ea eſt ſpecies, quae, poſt epidemiam varioloſam accedens, praeludit non ſecus, ac variola, ſcilicet cum pyrexia, delirio, nauſea, vomitione, haemorrhagia narium, tuſſi; accedit dein in trunco rubedo qualis cancri cocti; morbus intra tres dies recedit, aſt rubedo quandoque reſiſtit.

Curatur phlebotomia, potu copioſo, leuiſſimis cardiacis, et catharticis pluries in conualeſcentia repetitis; ſaeuiit Pariſiis vere anni 1712; anno etiam 1763 menſe Auguſto, ſcarlatina ſtipabatur ante quartam diem puſtulis variolarum aemulis, ita vt Medici deciperentur, ſed puſtulae multo citius ſuppurabant et exſiccabantur, nec cruſtas relinquebant, nec maculas rubras.

6. *Scarlatina anginoſa anni* 1765. A.

Hac aeſtate Monſpelii viget apud infantes ſcarlatina, in qua totus truncus intenſe rubet cum voce rauca, et angina vlceroſa, imo in quibuſdam gangraenoſa, qualis ante biennium ſola ſine ſcarlatina plures infantes abſtulit. Curatur emetico, quod nauſeae indicant, dein catharticis, mox vero deterſione faucium ope mellis

et decocti hordei, cum pauxillo acidi marini; dein, remiſſa pyrexia, lixiuio calcis viuae cum melle vlcus exſiccatur; verum ſaepius infans e medio tollitur, niſi angina ſimplex fuerit, et docilis aeger remedia admittat. Morbus hic contagioſus apparet, vt et cynanche maligna ante biennium fuerat.

[7. *Scarlatina ſeptica.* *Morton* pyr. ex. 3. c. 3. *Plenciz* tr. de ſcarl. in *de Waſſerberg* op. F. 3. p.

Eruptio tardans, color exanthematum purpureus, vel liuidus, angina maligna.

8. *Scarlatina choleſeptica.* *Bruening* hiſt. conſt. epid. Eſſ. pag. 28. *Fincke* l. c. p. 115 ſq.

9. *Scarlatina millioſa.* *Plenciz* l. c. §. 71. p. 163. *Roſenſtein* l. c. p. 419. *Stoll* rat. med. T. I. p. 361. *Lentini* mem. p. 31. 33.

10. *Scarlatina catarrhoſa bilioſa.* *Stoll* l. c. T. II. pag. 34. 171.

11. *Scarlatina verminoſa.* Vidi.

12. *Scarlatina plethorica* ſeu *inflammatoria.* Sydenh. T. I. p. 162. *Plenciz* §. 3. de *Haen* R. med. Cont. T. I. c. 7. *Roſenſtein* p. 423.

α. *anginoſa.* *Fothergill* tr. Ed. 1751. *Withering* tr. Lond. 1779. Auserl. Abh. f. pract. Aerzte. T. 5. p. 279.

Maxime auctumno ſtipatur angina, vox naturalis, anima calida, non fetida: nulla diarrhoea. Solutio die 3. 5. 8. 11.

13. *Scarlatina ſcabioſa.* Journ. de med. Juin 1763. pag. 509.

14. *Scarlatina abſque exanthemate.* *Roſenſtein* pag. 324. *Sagar* ſp. 7. p. 584. aut. T. 2. p. 318.]

IX. Essera, *Porcelaine.*

Phlegmaſia eſt vtplurimum apyreta, vitiis aeque, ac morbis, accenſenda, in qua maculae rubellae, pollicares, plures, diſcretae, in diuerſis corporis partibus ſubito erumpunt, poſt diem vnam, aut alteram, recedunt ac reuertuntur.

Differunt a purpura vrticata, ex eo, quod multo latiores ſunt, nec vllatenus pruriginoſae; vix dolent, febriculam minimam comitem habent. Illae maculae vix ſupra cutim eminentes raro phlebotomiam poſtulant, et ſaepius poſt quatuor dies re-

cedunt, ſub regimine moderato, cauendo a frigore, abſtinendo a vino et carnibus. Vidi Eſſeram, cuius exanthemata pollicaria diametro, ex intenſe rubris demum albeſcebant, cuticula ſcilicet nummi parui magnitudine a cute ſemota, nullo fluido interpoſito, deinceps exſiccata, et fruſtulatim delapſura. Harum ſpecierum plerarumque deſunt accurati characteres.

[Sp. 1. *Eſſera bilioſa.* Journ. de med. T. 10. *Vogel* de cogn. m. p. 114. *Selle* pyr. p. 226. Interdum febrium bilioſarum prodromus.

2. *Eſſera plethorica.* Auct. m. citt.

X. Aphtha; *Pemphigodes* Galeni finit. Medic.; *Puſtulae oris* Haly Abbatis; *Algola* Arabum; *Vlcuſcula oris* Fel. Plateri; *Veſiculae gingiuarum* Sennerti de aphthis; *les Aphthes*, *Chancres; Breſegue* Occitanis. cf. Cl. *Starcke* lib. ſing.

Definitur a *Galeno* febris, quae per caloris intenſionem puſtulas in ore, quae Graecis *phlyctides* dicuntur, excitat.

Eius itaque character eſt eruptio phlyctaenarum, interiorem oris ſuperficiem occupantium; ſunt vero papulae ſubrotundae ſemilineares in palato valde dolentes, in lingua concolores, apice pertuſae, quae vlcuſcula, abraſa cuticula, ſerpunt, et acriter dolent; inde deglutitioni, ſuctioni, et apud adultos maſticationi, valde nocent: pyrexia vero ſaepius nulla, aut exigua, niſi Aphtha complicata ſit cum variola, tritaeophya, cet. Color eſt varius, vulgo albus in medio, ruber in ambitu; vidi in lingua ipſi linguae concolores. In maligna Aphtha papulae ſunt brunneae, flauae, nigrae, liuidae. Infantes ſaepius, quam adulti, aphthoſi ſunt.

Duplex eſt itaque ſtatus in papulis. Initio tumor eſt, ſeu eleuatio epithelidis inſtar grani milii, ſed apice foraminulum gerit; haec vero veſicula nil continere videtur, ſed alba eſt, quia non cohaeret partibus ſubiectis, vt accidit in ambuſtione epidermidis; dein lateſcit haec eroſio maxime in Aphtha ſyphilitica, mercuriali, cet.; et vlcuſculum merum eſt, vulgo *chancre* dictum, cuius fundus eſt albus, ſordidus.

Efflorefcentia illa tribuenda videtur ichori cuidam alkaleſcenti in glandulis miliaribus oris depoſito, halituoſo, corroſiuo; haec eroſo apice veſiculae relinquit vlcuſculum, acute dolens,

quoties cibis, potuue attingitur; auxilia vero in genere ſunt antialkalina ſpecifica, vt acida, ſpiritus ſcilicet ſalis, ſulphuris, alumen, vitriolum cypreum, cet.; vel edulcorantia, vt oleum raparum, butyrum, radix althaeae; demum ſanguinem depurantia generalia, cathartica, cet.

I. *Aphtha lactucimen Mangeti* Bibliothec. Med. Pr. *Mauriceau* lib. 3. cap. 34. *Aphthae infantiles, efflorescentia oris alba ſine febre.*

Vocatur illa ſpecies *lactucimen*, tum quia lactentibus familiaris eſt, et a lacte corrupto oriri creditur, tum quia ſub forma papularum albarum fundum oris obſidet haec efflorescentia.

Hanc ſuſpicantur nutrices, ex eo, quod lac fugere recuſent, vel nequeant infantes, valde anxii, peruigiles, febrientes ſint; papilla in os immiſſa, nutrices calorem oris infantis etiam ſentiunt, tum aperto eorum ore vident maculas albas, ſemilineae diametro, inuicem cohaerentes, quae palatum, genas internas, aliasque oris partes, obſident.

Apud adultos anticam ac ſupernam palati partem obſident, aſperam reddunt et albidam, cum acri dolore et difficillima maſticatione. Verum apex et latera linguae etiam puncto hic et illic pertuſa videntur, quod acerrime dolet etiam colore vix mutato.

Curatio obtinetur lacte blando, dulci, adeoque electione nutricis, vel edulcorato prioris ſanguine per diaetam conuenientem, catharſin, iuſcula refrigerantia, ptiſanam ex oryza, balnea, cet. necnon collutione oris infantis frequenti ex decocti hordei, vnciis tribus; mellis roſati et ſyrupi de moris, ana, vnc. I. miſce, fiat collutorium; imo purgetur infans; dein abſorbens puluis, vt corallorum gr. x. in cochleari lactis praebeatur; purgari poteſt cum mannae vnc. I., rhei gr. octo; vel alternis diebus cum ſyrupo de cichorio compoſito.

Si eroſio papularum creſcat, remediiſque reſiſtat, ſumma cum cautela, collyrio (Lanfranci maxime diluto,) ope penicilli, tangantur vlcuſcula, dein os abluatur, et inclinato capite reſiduum exſpuatur. Apud adultos ſi ſunt papulae, paucae, ſufficit eas appreſſo vitrioli caerulei fruſtulo contingere, vel penicilli ope eas ſpiritu ſulphuris vel ſalis vrere, vnde ptyaliſmus vber: ſi copioſae, vt in epidemia anni 1759 obſeruaui, phlebotomia vtilis eſt, dein catharſis, oris collutio ex aceto, decocto hordei cum melle; victus

humectans et refrigerans; oleum raparum cum ſaccharo, mel cum tantillo aluminis ori admouetur; Germani aqua, in qua ferrum candens exſtinctum eſt cum ſaccharo et croco ope linteoli rigidioris puſtulas aphthoſas abſtergunt.

2. *Aphtha febrilis; Aphthae in adultis Sennert.* lib. 2. pag. 1. cap. 18.

Eſt pueris, necnon adultis, familiaris cum febri, oris inflammatione, vlcuſculis eius albis ad oeſophagum quandoque extenſis; ea ſpecies vero eſt phlegmaſia; atque ſi hae papulae interiora oeſophagi, ventriculi, cet. afficiant, inde anginae, vomitus, dyſenteriae excitantur peſſimae, dein vero peruigilium, dyſphagia, ptyaliſmus, ſumma macies et debilitas, vnde quandoque mors.

Filius L. Riverii quadriennis fluxionem acerrimam patiebatur in linguam et fauces, cum infinitis vlcuſculis albicantibus dolorificis, et magna inflammatione; cibum capere, nec lac ſugere, poterat; die ac nocte eiulabat, inſomnis, macilentus, ac fere conſumtus; alui fluxus erat copioſus, quo bilem porraceam reiiciebat; mel roſaceum cum ſpiritus vitrioli guttulis aliquot, quod alias mirifice conducit, non profuit; veſicatorium ſcapulis admotum valde profuit, ſed dolores et clamores perſeuerabant; aeger per os humorem ſeroſum et acrem emittebat; tandem narcoticis magna doſi ſedatus eſt; hinc adhibita catharſi conualuit. *River.* obſ. 43. cent. 2, et obſ. 35. cent. 3.

In adultis a phlebotomia et catharſi cura ineunda eſt.

3. *Aphtha maligna; Aphthai cacoëthes* Graecis; *Pauli Aeginetae* libr. 1. cap. 10. An *Aphtha* Belgarum Aug. Blondel?

Aphthae ſymptomaticae in febribus malignis, liuidae, foetidae, gangraenodeae cum tritaeophya, aut ſimili febri maligna citam mortem praenuntiant, teſte *Auicenna*. In dyſenteria non ſunt melioris ominis, monente *Sydenhamo*, Sect. IV. cap. 3.

Aphthae, quae ſuperueniunt miliari febri debellantur catharticis, ſanguinem contemperantibus; deinde vero vſu kinkinae, et gargariſmate ex ſucco pomorum agreſtium, et ſyrupo de rubo idaeo. Vide *Sydenham.* pag. 523. Aphthas eſſe puſtulas ipſas miliares ad interiora conuerſas exiſtimant *de Haen. v Swieten.*

4. *Aphtha ſyphilitica*; *vlcuſcula venerea oris* Aſtruc; Gallice *Chancres vénériens de la bouche. Mauriceau*, Malad. des femmes, art. 34. *Roſenſtein* p. 662. *Andre* d. n. v. p. 139. 143.

Illa ſunt duplicis ordinis; alia enim ſunt ſpontanea, et a viru ſyphilitico iam inueterato, aut ſi recens, per baſia ſuſcepto, oriuntur; vel tum ſanis, tum ſyphiliticis ab hydrargyroſi, aut remediorum mercurialium vſu copioſiori oriuntur.

Aphthae ſyphiliticae ſunt exulcerationes ſuperficiales, muco albo vel griſeo obductae, quae ſaepius velum palatinum, vuulam, eiuſque columnas, partemque poſticam faucium obſident, et a parte in partem ſerpunt cum paraphonia, ſtomadyſodia, ptyaliſmo importuno, et ſi diutius durent, cum vomeris oſſiumque vicinorum eroſione, carie, [glandularum ſubmaxillarium et colli tumore ſcirrhodeo. *Labiorum* aphthae gaudent labiis calloſis, eae oris labiis phlogodeis, *linguae* cauae, quaſi pars exciſa eſſet.]

Aphthae *mercuriales* ſunt vlcuſcula dolorifica, ſordida, fetida, quae potiſſimum ad latera et baſin linguae, ad interiora genarum in extremo ductu Stenonio confertim erumpunt ob fortiorem hydrargyroſin, aut repetitum panaceae, aquilae albae, cet. vſum, cum dolore, foetore, ptyaliſmo, linguae intumeſcentia, angina, oris aperiendi difficultate, et ſequenti ſtrictura, qua aegri dicuntur capiſtrati, Gallice *bridés.*

5. *Aphtha ſcorbutica, Vlcères de la bouche ſcorbutiques. Macbride* T. II. p. 1013.

Vidi purpuram ſcorbuticam cum pertinaci narium et gingiuarum haemorrhagia, oris foetore praegreſſo, pyrexia; poſt aliquot dies ab inuaſione, maculis atro-purpureis, circularibus, vel oualibus lineae diametro per totam cutim reſperſis, ptyaliſmo ſanguinolento et phlyctaenis in ore copioſis: in ſcorbuto grauiore accedunt vlcuſcula gingiuarum cum ptyaliſmo, phlyctaenis ruptis enata, rodentia, quae veram ſcorbuticam aphtham conſtituunt.

Conducit, tangere oleo vitrioli puro, aqua Rabeli et ſimilibus.

[6. *Aphtha periodica. Sydenh.* T. I. p. 358. *v. Swieten* T. 3. p. 214. Diuturna cum ſingultu; tranſit in intermittentem.

7. *Aphtha putrida. Vogel* de cogn. m. p. 119. *Rigler* p. 8. *Sauv.* ſp. 3. huc pertinet. Fuſca, liuida, cinericia et nigreſcens.

8. *Aphtha choleſeptica. Huxham* T. I. p. 313.

9. *Aphtha bilioſa. Stoll* rat. med. T. 3. p. 6. *Selle* pyr. pag. 228.

10. *Aphtha catarrhoſaillioſa.* *Stoll* l. c. T. 2. pag. 166. *Wagler* l. c. p. 16. 17.

11. *Aphtha plethorica.* *Vogel* l. c. p. 118. *Selle* pyr. pag. 161.

12. *Aphtha purulenta.* Coll. Havn. vol. 1. p. 111 ſq.

13. *Aphtha gaſtrica.* *Sagar* ſp. 14.

Inteſtinalis etiam. Inſpiciendo fauces aphthae comparent, anxietas, dyſpnoea, gaſtrodynia, ſomnolentia, rel. Salus ab emeto-catharſi, ſero lactis, emulſ. camphor. kinkina.

14. *Aphtha critica.* v. *Swieten* §. 983.
Remittentium febrium.]

ORDO TERTIVS.

PHLEGMASIAE MEMBRANOSAE.

Morbi inflammatorii viſcerum membranaceorum, vt meningum, pleurae, ſtomachi, inteſtinorum, veſicae, cet.

INVADVNT cum horrore, frigore, ſi a principio interno procedant; dein calor, laſſitudo, aſthenia, pyrexia, et ſymptomata, viſceri affecto propria, ſuccedunt, creſcunt, in ſtatu perſeuerant, cum pyrexia ſaepius continua, in quibusdam remittenti, et tunc in paroxyſmo ſymptomata cetera adaugentur, potiſſimum pulſus frequentior, arteria plenior, vel magis tenſa, dolor viuidior, calor maior: ſi terminentur per reſolutionem, ſudores, diarrhoeae, perirrhoeae, in morbis pectoris anacatharſes ſuccedunt: ſi in ſuppuratum abeant partes affectae, febris euadit hectica, lenta, chronica, ſudores colliquatiui; accedunt tabes, phthiſes, cachexiae, aſcites, aliique morbi chronici vltimae claſſis.

Licet b. *Hallerus* ſenſum deneget ſanis membranis, eas, tamen, inflammatione correptas, acerrime dolere, ſuadent experimenta, [ratio, conſenſus obſeruatorum,] dolores autem ſunt in hoc or-

dine intenſiores, quam in ſubſequenti, vbi viſcera farcta, parenchymatoſa dicta, vt cerebrum, pulmo, cet. afficiuntur.

XI. PHRENITIS, *Phrenitiaſis Caſtelli* Lexicon; *Sirſen* Arabum; *Phrénéſie: Tranſport au cerveau.* [cf. *Brendelii* d. de phrenitide et paraphrenitide, in opp.]

Eſt genus phlegmaſiae, acuta pyrexia et delirio perpetuo inſignitum, a cephalalgia atroci vtplurimum incipiens: definitur vulgo *mentis alienatio continua cum febri acuta.* I. R. Fortis.

Diſtinguitur a paraphreneſi, [Mallem coniungere, quam promiſcue obſeruatores ſtabiliuerunt, *phrenitidem et paraphrenitidem.* Neque diſcernunt locus adfectus, *huius* diaphragma, *illius* cerebrum, nec ſymptomata: quin cadauerum inciſiones ſaepe oſtenderunt, mutua ſymptomata communia confundi. cf. *Morgagni* de ſed. et c. morb. rel.] quod primis etiam morbi diebus pyrexia vehemens et cephalalgia meninges inflammari deſignent; a cephalitide per vigilias et dolores, cum in cephalitide ſit delirium ſoporoſum. Phrenitis, paraphreneſis et cephalitis a veſaniis differunt per pyrexiam, qua ſtipantur. Delirium in illis eſt inſomnium a vaſorum cerebri fortiori pulſatione et infarctu determinatum, vnde anima ideis ab interno cerebri ſtatu determinatis, minime vero ad externas circumſtantias accommodatis detinetur, percellitur, vt in inſomnio dormientium; cum autem anima roboris, quo pollet phreniticus, conſcia ſit per ſenſum confuſum, delirium [Sunt, qui memores, a mania non deficere febrim, licet celeritate et frequentia pulſuum non indicet ſeſe, *audaciam delirii* maniae potius vindicent, et *delirium mite* in phrenitide ponant. Alii phrenitidi in his paraphrenitidem, maniae phrenitidem ſubſtituunt. In his arbitrium et cl. virorum conſenſus eſt, quoquo te vertas. De phrenitide eadem fere valent, quae de febri maligna, typhoque edixi, vt morbi neglecti et male curati progenies ſit, et difficulter ad congrua genera referatur] audax eſt; audacia enim pendet a roboris ſui conſcientia.

Quod anima, inſomnio illo morboſo detenta, negotiis vitalibus ſimul inuigilet, mirum non eſt, cum quotidie accidat, vt inſcii, et aliis ideis attenti, ambulemus, manducemus, imo quod magis mirum, preces ſolitas lingua et labiis deblateremus, quaſi mirum loquelae opus foret automaticum.

1. *Phrenitis vera Boerhaave* aph. 771: *eſſentialis* R. I. Fortis; *Phrenitis idiopathica Iunckeri* tab. 62.

Illa eſt ſpecies, ceteris rarior, in qua meninges primario inflammantur, et delirium ſimul cum febri adoritur, cum in paraphreneſi delirium in decurſu febris accedat. In illa itaque eſt ferox et aſſiduum delirium à cerebro, ſeu meningibus primario affectis, cum pyrexia acuta continua, ſeu, vt ait *Willis*, deſipientia cum febri ſynocha.

Antecedunt calor et dolor inflammatorius capitis cum oculorum et faciei rubore, ſomnis turbulentis, leui deſipientia; vigiliae, ira, proteruia, obliuio, apud adoleſcentes calidos, bilioſos, liquoribus ardentibus, inſolatione abuſos, per aeſtatem iter facientes, ſolent accedere.

Stipatur pulſu duro, frequenti, veloci, ideis deprauatis, vnde pathemata et actiones inconcinnae, vox mutata, tonus audax, loquela temeraria, ferocitas, inquietudo, ſommi turbulenti, oculi truces, protuberantes, ſtillicidium ſanguinis e naribus: tertio, vel quarto die, necat, praegreſſo ſopore profundo vel conuulſionibus: cadauera exhibent piam potiſſimum meningem inflammatam.

Curatur largis e brachio, dein e pede, imo e collo tandem, repetitis phlebotomiis, ſi pulſus in fine debilis ſit, hirudinibus ad tempora admotis: potus emulſionatus, vel acidus, nitroſus, laxantia eccoprotica, clyſmata, raſio capitis, demum narcotica, proſunt.

Phrenitides ſymptomaticae. Quantum variet phrenitidis curatio pro indole morbi primarii, a qua pendet, patet ex obſeruatis *Sydenhami* circa diuerſas ſpecies phrenitidis; et maximi ad praxin momenti eſt hoc *van Swieten* monitum, vt nempe in harum ſpecierum cura attendatur ad genium morbi primarii, ex quo phrenitis orta fuit; vtplurimum vero delirium in his morbis non, niſi in decurſu febris, ſuperuenit, cum in vera initio febris appareat delirium. [Singularis Auct. diſtinctio eſt in veram, et ſymptomaticas, phrenitides. Vere auct. h. num. loquitur de phrenitide inflammatoria. De reliquis in ſequentibus ſermo eſt.]

2. *Phrenitis ſynochi pleuriticae; phreneſis Sydenhami* pag. 142. *Phrenitis in febre continua* annor. 1673, 74, et 75, *Sydenham.* pag. 136. *Hippocrat.* Aphor. 12. Sect. VII.

Haec febris pleuritidis epidemicae genium imitabatur, et vocatur *ſynochus pleuritica*, licet ſine dolore lateris fuerit. In- cipit morbus a dolore capitis, et dorſi ſatis atroci, ſtupore item et dolore articulorum, artuumque tenſiuo, imo et totius corporis fere rheumatiſmali; lingua ſubalba, diſpoſitio ad ſudores, ſitis mediocris, vrina ſanae ſimilis; febris duratio ad 14um, raro ad 20um diem, extendebatur, nulli ex hac febre in *carum* incide- bant febrilem; aſt apud alios erat phrenitis valde diuerſa a vera; ſiquidem aeger tranquille delirabat, nec eo excandeſcentiae et furoris adſcendebat, quo ſolent illi, qui phrenitide vera, aut etiam variolosa, corripiuntur; nam per interualla aeger abrupte dormie- bat, ſtertebat etiam profundius, illudque ſymptoma erat diutur- nius, minus acutum: pueris etiam hoc plerumque accidebat, aſt adultis maxime, potiſſimum ſi regimen calidum adhibitum fuiſ- ſet; cum vero aeger ſine ſtupore delirabat, nec vlla ratione regi poterat, tunc acutius erat hoc ſymptoma, nec dabat inducias, et aegrum intra paucos dies tollebat. In hoc caſu potiſſimum prae- ſidium tulit ſpiritus vitrioli, quem poſt venae ſectionem, atque enematis vnius, alteriusue iniectionem, cereuiſiae tenui inſtilla- tum pro potu ordinario concedebat *Sydenham*, qui intra paucos dies, et ſomnum conciliabat, et ſuperatis ſymptomatibus aegro ſanitatem reddebat, quod nulla alia methodo effici potuiſſet.

3. *Phrenitis miliaris.* *Frid. Hoffmanni* obſeruat. 3. et 5. pag. 131. *Phreneſis nouae febri ſuperueniens*, *Sydenham* Schedu- la monitoria, pag. 517.

Hic morbus *noua febris* dictus *Sydenham*, eſt ſpecies milia- ris morbi, monente *Mead*, quae prae ceteris caput petit, nec ſi- ne ingenti tum molimine, tum aegri periculo, inde valet detur- bari. Praecauetur maxime haec phrenitis ac petechiae, regimi- ne temperante et a lecto abſtinentia, quantum vires permittunt, ſaltem ſitu ſemi-erecto, et ſtragulis imminutis. Haec phreneſis vbi ſemel inualuit, nec ſubito deleri poteſt, nec repetita vltra li- mites praeſcriptos in miliari vel phlebotomia, vel purgatione eius curationem aggredi tutum eſt. Ad hoc nil aeque confert, niſi aegri caput radi; hac methodo cerebrum refrigeratur admodum, ita, vt ſenſim phrenitis euaneſcat, non ſecus, ac cataphora, huic ſuperueniens.

4. *Phrenitis ſynochi ſanguineae*; *Phrenitis ſymptomatica fe- bris continuae* annor. 1661, 62, 63, cet. Sydenham pag. 40.

Huic febri, ob regimen vel temperamentum calidius apud iuuenes vegetos, ſuperuenit phrenitis, vel quod proxime illuc accedit, aeger omnino non dormit, ſaepe exclamat, inconditis vocibus vtitur, vultu ac loquela ferocit, potum auide raptimque bibit, vrina ſupprimitur.

In hoc caſu liberalius mittitur ſanguis, clyſteres ac medicamenta refrigerantia vſurpantur, eo vſque quo phrenitis in diuturnitatem aliquam excurrat, et tunc non erit difficile, aegrum a phrenitide et febri liberare, ſcilicet ope narcotici, quod neque in morbi principio, neque augmento, tuto datur, ne ſecretiones remoretur, aut inutile eſt, imo experientia teſte noxium; oblati in declinatione, vt poſt 12. febris diem, imo melius poſt 14. d. maxime vero ſi antea purgari poſſit aeger. Narcoticum autem eſt vel laudanum liquidum ad guttas ſexdecim, vel ſyrupus de meconio cum ſyrupo limonum, aut caryophyllorum; de cetero aqua roſarum fronti cum ſucceſſu imponitur ope lintei, hac madidi.

5. *Phrenitis varioloſa Sydenhami* Variolae reg. anni 1669 pag. 85 et 96 et 398.

A nimia ſanguinis ebullitione, tam in diſcretis, quam in confluentibus variolis, phrenitidem ſuperuenire, quotidianum eſt, atque in hoc caſu a regimine calido ſaepe malum oritur; quocirca clyſmatis, imo phlebotomia, ſtragulorum imminutione, huic ſymptomati occurrendum eſt; verum prudenter cum phlebotomia agendum eſt, nec fere vſurpari poteſt poſt eruptionem, niſi cum phrenitis in diſcretis variolis ideo accidit, quia facies non turgeſcit, et puſtulis copia ſatis magna comparentibus; ſanguis adeo efferus eſt, vt inducias ferre nequeat, donec medicamentis paregoricis, et aliis, ad id facientibus, ad debitam temperiem reduci poſſit; facies autem turgere debet circa octauum ab inuaſione diem, et deinde manus; facies vero vndecima die detumeſcit; quod ſi ob regimen calidius variolae non erumpant, ſed phreneticum delirium accedat, in hoc caſu *Sydenham* iubet, 1° vt aeger e lecto eximatur, et eum non, niſi nocte, ingrediatur ante lapſum ſextum diem; 2° vt ſyrupi de meconio doſin aſſumat largam, et ſi ea poſt horae ſpatium nil egerit, iterum nouam aſſumat, et ſic deinceps, atque ſic frenato morbi impetu, tantum ſemiuncia quouis veſpere pro puero decenni quotidie repetatur. *Sydenh.* diſſert. epiſtol. pag. 398.

6. *Phrenitis morbilloſa Morton* de febri ſcarlatina, hiſt. 1ª, 5ª, et 6ª, *Hoffmann.* T. 2. de Phrenitide.

In rubeola, imo ſcarlatina (quae videtur *Mortono* nihil aliud eſſe, niſi rubeola confluens) delirium, cum febri acuta, corripit ante eruptionem, in quo caſu *Mortonus* venam ſecari iubet, epiſpaſticum dein nuchae applicari, et ſuo more cardiaca bezoartica, ad expellendum, quod fingit, venenum, conſueuit, methodo ſane a Sydenhamia longe diſcrepante.

7. *Phrenitis verminoſa* Sennerti; Gallis *le Vercoquin.*

Phrenitidem in febri verminoſa apud puellam vrbis *Cette* memorat *Ioan. Bauhinus* in obſ.

Hippiatri contendunt, equos in furorem agi, a verme, intra cerebrum genito, et hunc morbum *Vercoquin* vel *Verſequin* nominant, teſte etiam *Furetieri* Dictionario. Hanc hiſtoriam confirmat *Paracelſus, libr. 2. paramiri n. 2.* dicitque phrenitidem ortam eſſe a verme, vtramque meningem perforante.

8. *Phrenitis a plica Frid. Hoffmanni* de febr. phrenetica n. 4. *Stabel* de plica, hiſt. 2.

Familiaris eſt apud Polonos, tum ob inopportunam capillorum plicatorum reſectionem, tum ob illius virus retentionem; haec vero phrenitis erumpente plica ceſſat.

9. *Phrenitis aphrodiſiaca* Dan. *Winkleri,* in *Mangeti* Bibliotheca Med. Pr,

Adoleſcens, amore percitus, incidit in febrim, cum vehementi delirio, in quo ſe nunc Caeſarem, nunc Dei Filium eſſe, ſomniabat, aciem inſtruebat; nunc vincebatur, nunc reſiſtebat; ad ſe reuerſus vibices monſtrabat, quas a latronibus accepiſſe ſe referebat. Balneum popoſcit, quo conceſſo ad ſanitatem ſenſim reuerſus eſt.

10. *Phrenitis apyreta* Theodor. *Collado* aduerſ. libr. 1. c. 20.

Phrenitis eſt ſine pyrexia cum inflammatione cerebri et meningum. Hic Auctor ſancte affirmat, ſe vidiſſe aliquot aegros, omnibus ſymptomatis phrenitidis affectos, excepta febri; atque cadaueris vnius horum apertura, cerebri et meningum inflammationem comperiiſſe; verum forte typho laborabant illi phrenitici, in quo pulſus ſanorum ſimilis eſt.

11. *Phrenitis calentura* Philoſophical. Tranſact. abridged Vol. IV. Oliver: Gallice *Calenture* Encyclopédie lettre C. *Pringle* Maladie des Armées T. I. pag. 269.

Ea eſt, quae ſubito in delirium phreniticum aegros inducit; familiaris illis, qui longa itinera per regiones calidas inſtituunt, aut qui nauigant ſub linea aequinoctiali. Furor ille, potiſſimum noctu, cum naues vndique clauſae aeſtuant, ſubito exoritur; plures eo correpti in mare ſe proiiciunt ceteris inſciis: hoc accidit in tritaeophya anguiſa et cauſo.

Nauta, triginta annos natus, procerus, macilentus, tam violenta calentura correptus fuit, vt quatuor viri vix eum continere poterant; obtutus ferox et vagus; pulſus ita velox, vt nulla pulſatio diſtingui poſſet; ardor corporis ſummus; e lecto exilire et diuagari volebat; ſanguis ex brachio, fronte, iugulo, eductus fuit, ſed parce fluebat, et poſt aliquot vncias ſiſtebatur, ſanguis autem fuit floridus; praemiſſis phlebotomiis febris deferbuit, furor imminutus, obtutus magis conſueto ſimilis, pulſus diſtinctior; ſanguinis vnciae quinquaginta vlterius eductae ſunt, tunc ſanguis liberius effluebat; diacodium praeſcriptum eſt, vnde placide dormiuit, et cum ſumma laſſitudine ac debilitate conualuit.

Conueniunt in hoc caſu iuxta *D. Shaw* 1° phlebotomiae; 2° poſt decem horas emeticum; 3° epiſpaſticum nuchae; 4° iterum phlebotomia, noctu vero paregoricum; ſedato morbo catharſis alternis diebus ad duas, treſue, vices iteranda. Epidemicam calenturam, qua rabioſi inoriebantur, narrat *Mezeray* Hiſt. de France.

12. *Phrenitis Indica Bontii* de Medicina Indorum.

Febris eſt putris continua, delirio phrenitico continuo ſtipata, quam tribuunt odori arborum ſantali recens caeſarum, aſt ipſi tribuitur tritaeophya mimoſa; haec apud Tymorenſes familiaris eſt.

13. *Phrenitis a dolore.*

Non omnes, ſed atroces, dolores phrenitidem inducunt, quales ab otalgia inflammatoria, obſeruante *Hippocrate*. Aurium dolor, ait ille in Prognoſticis, cum febri continua ac vehementi difficilis eſt, periculum enim delirii et mortis imminet; natu minores ſeptimo die, aut citius, ab hoc morbo interimuntur: natu vero maiores multo tardius; febris enim ac delirium minus eos infeſtant.

Talis eſt etiam dolor a paronychia perioſtei, aut tendinis, ortus cum graui manus et brachii inflammatione et febri acuta, ex quibus delirium ortum memorat *van Swieten*. Numquid

etiam videmus ab odontalgia deſipere, febrire, imo furere quoſdam homines.

14. *Phrenitis a Tarantiſmo Baglivi* diff. hiſt. 6.

Qui per tres dies ſaltat cum ſuſpiriis terrorem incutientibus, frondes arundinis et vitis geſtans, is certe non ſine acuta febri eſt, nec ſine delirio, maxime cum inuehatur in adſtantes rubro colore ſibi infenſos, aut alia deſipientiae et furoris ſigna edit. Tales autem ſunt multi tarantati, ſiue a tarantula demorſi ſint, vt vulgo fertur, ſiue ab alio principio veſania ea pendeat, vt putat Serao Academ. Neapolitanae a Secretis.

15. *Phrenitis hydrophobica.*

Certe plurimi hydrophobi, licet aquam, aërem, ſpecula, horreant, illisque viſis contremiſcant, conuellantur, ſunt ita prudentes, vt adſtantes admoneant, ab illis ſibi vincula iniici deprecentur, vt vidi, atque ſine febri ſint. Verum non minus conſtat obſeruatis, *in mea de rabie diſſertatione* relatis, quosdam vehementi febri per duas, aut tres, vltimas vitae dies, ferocique delirio laboraſſe, adeoque vere phreniticos fuiſſe. In paroxyſmo tritaeophyae aquae horror quandoque obſeruatur.

16. *Phrenitis inanitorum De Meyzerey* Malad. des armées Tom. II. art. 249. A. Vide n. 17. *α*.

Superata amphimerina Hungarica aliiſque acutis febribus, non raro ſuperuenit phrenitis iis, quos longa diaeta tenuiſſima, pluresque euacuationes debilitarunt; pulſus mollis eſt et debilis, calor natiuo non maior, lingua nitida, ſapor nullus in ore prauus, nec aluina excreta inſolitum odorem ſpargunt. Cum haec paraphroſyne phrenitica ab inanitione procedat, abſtinendum eſt a phlebotomia, a catharticis, imo a clyſmatis: e contra vires reparandae cremoribus hordei, oryzae, offis, ſale et nuce myriſtica conditis, vt in ſanitate; imo vinum vel cereuiſia, moderate ſumta, proſunt. Cum confirmata ferme fuerit conualeſcentia, moderate purgandum erit; ſic vires et ratio ſenſim reſtituentur, vt monet *Sydenham*. Haec ſpecies paraphroſyne potius, quam phrenitis eſt. Si plebem audiamus in ipſa phrenitide vera cerebri vacuitas incuſanda eſt, et aeger cibandus. *

* Atque in hoc plebs adeo delinquit, vt, placentas aegris omnibus offerre ſolita! carnem fumo, ſale, induratam, eiuſmodi piſces, offerat! credo, de vacuitate cranii eiuſdem ſermonem eſſe.

[17. *Phrenitis maligna ſeu neruoſa.* *Selle* pyr. p. 273.

Vigilium pertinax cum obliuione eorum, quae audiunt, aut ipſi dicunt: delirium furioſum, conſtans, difficilis et conuulſiua deglutitio; ſalus a haemorrhagia, diarrhoea.

α. Phrenitis languida. Huc *Sauv.* ſp. 16.

18. *Phrenitis ſeptica.* *Sydenh.* febr. contin. a 1673 ſq. op. T. I. p. 136. 142.

19. *Phrenitis choleſeptica.* *Sauv.* ſp. 12.

20. *Phrenitis billioſa.* *Sauv.* ſp. 11. *Galen.* C. 3. in l. 3. Hipp. m. vulg. aegr. 4. *Paull. Aegin.* l. 3. c. 6. *Stoll* rat. med. T. 1. p. 38. T. 2. p. 54. 90. 94. 98. T. 3. p. 173. ſq.

21.* *Phrenitis catarrhoſa, billioſa.* *Wagler* de m. m. pag. 19. 39.*

22. *Phrenitis plethorica.* *Sauv.* ſp. 1.

α. comes ephemerae. *Vogel* med. Beob. n. 11. Syſt. aegr. T. 2. p. 60.

β. comes ſynochi. *Sauv.* ſp. 4.

ββ. pleuriticae. *Sauv.* ſp. 2.

γ. comes exanthematum.

a. *variolae.* *Sauv.* ſp. 5.

b. *rubeolae.* *Sauv.* ſp. 6.

c. *miliaris.* *Sauv.* ſp. 3.

23. *Phrenitis purulenta.*

a. Abſceſſus cerebri. *Loſs.* l. 1. obſ. 9.

b. e vomica ſub pia membrana. *Petzold* obſ. 66.

c. *ex vlcere cerebelli.* *Patin. Briſſeau* obſ. 3. apud *Haller* el. phyſ. T. 4. p. 351.

d. pneumophthoica. Comes pneumophthoës; non raro praecurſor mortis, vt antecedat dies 8. 6.

24. *Phrenitis ſeroſa.* *Sarcone* m. epid. §. 535 ſq. *Stoll* rat. med. T. I. p. 92.

Poſt pyrexiam continuam cum rheumatiſmo vago in aeme tertii paroxyſmi accedit, cum anodynia, agrypnia perpetua, cephalaea, paraphroſyne conſtanti. Peripneumoniam aut praecedit, aut comitatur. Salus a diarrhoea, aut ephidroſi, die 7. enata

a. *Phrenitis lactea.* *Baldinger.* Syſt. aegr. T. 2. p. 148.

b. *Phrenitis pituitoſa.* Comes pneumophthoës pituitoſae.

25. *Phrenitis ſcabioſa.* Journ. de med. Sept. 1760. pag. 211. *Sagar* ſp. 22.

26. *Phrenitis ſcrophuloſa.*

27. *Phrenitis ſcirrhoſa.* A ſcirrhoſis glandulis arytaenoideis.

28. *Phrenitis comes pectoris paſſionum.* *Sarcone* m. epid. §. 565 ſq.

a. pneumophthoës. vid. num. 22. 23. 24.

29. *Phrenitis comes abdominis paſſionum.* *Sarcone* l. m. c. *Sauv.* Paraphrenit. ſp. 3.

XII. PARAPHRENESIS; *Paraphrenitis Boerhaave* aph. 907. *Fièvre maligne cerebrale*, *De Meyzerey* Tom. II. n. 232.

Differt a phrenitide ex dolore obſcuro lateris, vel ſenſu cinguli, praecordia ſtringentis, vel oppreſſione graui pectoris, ſputo ſanguinis, quae omnia latentem pleuritidem, vel peripneumoniam, delirio coniunctam, deſignant.

Varia fuit huc vſque nominis acceptio apud Neotericos; ſunt, qui diuerſum genus eſſe velint a phrenitide, ſi ſit delirium, vt aiunt, ſymptomaticum, morbuſque primarius ſit peripneumonia, hepatitis, imo tantum tritaeophya, vel ſynochus: verum ſi genera morborum repetantur a cauſis vel a principiis abditis, nulla erit noſologiae certitudo, idem enim ſymptoma, quod ille eſſentiale vocat, alter accidentale reputat pro ſua theoria; nec minus eſt eſſentiale ex eo, quod in decurſu morbi tantum accedat, vt eruptio in morbis exanthematicis; nec diſcrepare debent genera ex eo, quod ſymptomata ſint maiora aut minora, vt delirium ferox, aut mite, quod diſcrimen inter phrenitidem et paraphreneſim aliqui inſtituerunt; conuenientius eſt genera morborum a ſymptomatis diuerſis repetere, modo ea conſtantia ſint.

1. *Paraphreneſis diaphragmatica.* Vide *Boerhaave paraphrenitidem* §. 907: *de Haen* tom. 1. cap. 7. *Huxham* de aëre l. 2. pag. 118.

A diaphragmatis inflammatione primaria, vel a pleura, diaphragma ſuccingente, inflammata, oriri creditur. Qui morbus ſec. *Boerhaave* longe frequentior eſt, quam vulgo cenſetur, licet praeſens ſaepe ignoretur, negligatur, vel alterius morbi titulo tractetur.

Verum non omnis diaphragmatis inflammatio paraphrenitidem ponit, vt cadauerum ſectio et diaphragmatis vulnera com-

monſtrant; requiritur infarctus inflammatorius aut febrilis, tum cerebri, tum meningum, vel, vt aiunt, translatio materiae morbificae ad cerebrum, vt delirium accedat; nec enim ſedes animae, vt crediderat *Plato*, in metaphrenibus ſeu praecordiis eſt reponenda, in qua hypotheſi ex ſolius diaphragmatis inflammatione delirium repetebatur.

Cognoſcitur haec ſpecies ex febri acutiſſima, continua, dolore inflammatorio diaphragmatis, intolerabili ob membranas neruoſas; qui dolor immaniter augetur in inſpiratione, tuſſi, repletione ſtomachi, nauſea, compreſſu abdominis in aluo, vel vrina reddendis; reſpiratione hinc ſublimi, parua, celeri, ſuffocatiua, quieſcente abdomine, ſolo thorace peracta: delirio perpetuo, reuulſione hypochondriorum, riſu ſardonio, conuulſione, furore cet. Vide apud *de Haen* cadaueris aperturam.

Curatio itidem et prognoſis ex *Boerhaave* repetantur.

2. *Paraphreneſis pleuritica.*

Febris maligna cum obſcuro dolore lateris et delirio. Huius morbi, etiam epidemici, plurimae proſtant hiſtoriae. Sic in Journ. de Med. *de M. Vandermonde* Mai 1758. pag. 95. haec lego: Altera ſpecies febris putridae, quae hoc anno viguit Inſulae apud Flandros fuit abſolute maligna. Adoriebatur cum ſymptomatis pleuro-peripneumoniae, et paraphrenitidis; aegri maxime proſtrati dorſo conſtanter incumbentes, facie liuida vel flaua, ſubtumida; cutis ſicca, non ardens; lingua brunnea ſorde onuſta, facile exſiccata, ſicuti dentes; conquerebantur de obſcuro dolore punctorio lateris dextri, de magna pectoris et epigaſtrii oppreſſione, de cingulo dolorifico lumbos ſtringente; vrinae ſuppreſſae erant vel paucae, quod ſymptoma clyſmatis, et potibus nitroſis diu reſiſtebat; interea nullus meteoriſmus, nulla vel pauca expectoratio, niſi ſanitatem quaedam ſputa cocta praenuntiarent; lumbrici mortui eiiciebantur. Subſultus tendinum, conuulſiones, riſus ſardonius, ſingultus, ſtertor, ſuperuenientes adoleſcentem ruſticam robuſtam, nono die poſt eryſipelas, hoc morbo abſtulerunt.

Adoleſcentem ſanauit *D. Boucher*, praemiſſis quatuor phlebotomiis, vſu apozematis facti ex caſſia, tamarindis, nitro et aliquot tartari ſtibiati granis, quo ano et cato fuit multum euacuatus; ſucceſſit dein potio abſorbens cum confectione hyacinthina

et guttis mineralibus anodynis Hoffmanni, dein infuſum aquoſum kinkinae, ſerpentariae virginianae, rutae, ſcordii, nec non linctus, cui addebatur kermes mineralis et oxymelitis ſcillitici pauxillum.

Menſe Martio 1756 vidi aliquot viros robuſtiſſimos, qui tertia die huius morbi periere ſummo furore et conuulſionibus exagitati. Morbus inceperat a dolore lateris punctorio cum pulſu molli, frequenti; poſt tres phlebotomias praeſcribo mannae vncias tres et tartari ſtibiati granum vnum, quo aſſumto ſecunda morbi die, bilem euomuere, et per inferiora vberrimam, celeremque euacuationem experti ſunt; nulla in abdomine tenſio, reſpiratio parum coacta; nox ſubſequens paroxyſmum et dolorem lateris adducit; tertia die poſt quartam phlebotomiam e lecto ſurgunt, veſtes induunt, ſe omnino ſanos dicunt, et vt ſani reſpirant, ambulant liberrime, nemo eos pridie aegrotaſſe dixiſſet, frequentia pulſus nulla, lingua nitida, nulla tuſſis; aſt parentes admoneo, vt aegri rebus illico conſulant, Sacerdotem aduocent; quippe docet *Hippocrates* in Prorrheticis, quod *ſi pleuritico dolor lateris ſine ratione ſufficienti euaneſcat, delirium praeſto eſt, et intra duodecim horas mors oſtia pulſat.* Illos vero, qui ſanos ſe praedicabant mane, ipſo veſpere tertiae diei delirium phreniticum tam vehemens corripuit, vt vix quatuor baiulis in lecto contineri poſſent, et intra paucas horas conuulſi moriebantur.

Anno 1758 eamdem in aliis ſubiectis obſeruaui paraphrenitidem a priori diuerſam, quod febris non erat remittens, ſed ſynochus; exordium, vt moris eſt, a frigore, calore, dolore lateris punctorio. Praemiſſis phlebotomiis vbertim purgabantur, cum manna, tartaro ſtibiato; iterabatur dein phlebotomia; tertia die delirium accedebat; aeger e lecto ſurgebat, doloris, tuſſis, dyſpnoeae expers, quippe delirio accedente reſpiratio rara euadit; pulſus ſano magis ſimilis; cruor extractus paululum coriaceus. Delirium phlebotomia ſexta poſt iteratam catharſin fuit ſedatum, et tunc dolor, dyſpnoea, imo ſputum rubiginoſum reuertebantur, quae redeunte delirio euaneſcebant; ſudor ſexto die exiguus, pulſus intermittens, conuulſiuus, inaequalis, carphologia, ſubſultus tendinum, mors.

Quomodo hic morbus a pleuritide maligna cum delirio diſcrepet, non video. Nuper in hac paraphrenitide, epidemice vigente, inſtituebatur phlebotomia, tam vber, vt aeger ter, vel

bis, animo linqueretur; aegri erant ruſtici: horum aliquot ſanitati reſtituti ſunt.

3. *Paraphreneſis Hepatica.* Vide *Blaſii* obſerv. Med. 2. pag. 6.

Ab inflammato hepate, potiſſimum in conuexa parte, naſcitur, adeſt enim in hoc caſu morbus ita pleuritidi ſimilis, vt hepatitis ſaepe ſaepius pro pleuritide tractetur; tuſſis ſicca, imo quandoque cruenta, dyſpnoea, febris acuta, diaphragma vero ſimul non raro tenditur, incaleſcit, inflammatur. Si itaque diſpoſitio ad delirium concurrat, vt obſeruatur apud mulieres, apud viros etiam ſtudiis negotiiſque multum addictos, viuido et poëtico ingenio praeditos, facile ex his combinatis orietur hec ſpecies, cuius curatio eadem ac diaphragmaticae.

XIII. PLEVRITIS; *Paſſio pleuritica Caelii Aureliani* lib. 2. cap. 13; *Telum* Sereni Samonici; *Pleureſis Gordonii* Lil. Med.; *Phlegmona membranae coſtas ſuccingentis Pr. Alpini* Med. Method. Lib. 7. cap. 11; *Pleura furens* Helmontii; *Pleuritica febris Fr. Hoffmanni; Febris pneumonica* eiuſdem cap. 6; *Morbus coſtalis Verna* de Pleuritide; *Peripneumo-pleuritis Triller* de Pleuritide pag. 12; *Pleuréſie*; *point de coté; Mal di punta* Italorum. Dicitur *pleuritis* a pleura, latus, quia plures ſpecies lateris dolorem inferunt.

[Exſtant apud auctores cel. nomina, *pleuritis*, *peripneumonia*, *pleuropneumonia:* quae arbitrarie ita ſunt adhibita, vt quid hic hac voce, idem altera denominet. Si quaeras de loco adfecto ad pleuram refertur pleuritis, ad pulmones peripneumonia, medium, ſeu vtrumque potius, pleuroperipneumonia denotat. At Auct. alibi ſtabiliuit, aegre locum defectum, ſtricte dictum, denominationem morbi dirigere, ſeu definire, poſſe. Praeterea non deſunt obſeruationes, vbi in pleuriticis inciſis, ſalua pleura, pulmones inflammatione correpti videbantur, aut contra. Minus et plus multo minus rem definit. Poteris itaque cum *Culleno* coniungere tres has paſſiones, et pro loco adfecto thoracem conſtituere, vt tamen laeſos maxime pulmones in peripneumonicis cenſeas, tumque pulſus molliores, rariores cum lingua abnormi magis exſpectes, dum e contrario in pleuriticis pulſus duriores

et frequentiores videas, et cum tuſſi ſicca pler. ſputa minus ſanguine tincta, rariuſque critica, ac in peripneumonicis. Expedit in his maxime genium morbi attendere, et ſimul quaſdam difficultates et diſſimulationes. Scil. tirones maxime fallere poteſt pulſus, linguaeque ratio, an morbo, an paſſioni, peripneumoniae, adſcribenda ſit, numque vere ſubſit peripneumonia, eaque an vere inflammatoria, an biliosa, putridaue, ſit: ſaltem quum aegrotum primis diebus non viderint, vt accidit frequenter. Deinde hepatitis ſimulat peripneumoniam, haec illam. Porro chronica et laruata exiſtunt. De his autem in ſequ. dicam. Id etiam, quod de phlegmaſiis in vniuerſum adnotaui, hic maxime valet, ſaepe primum accendi febrim cum doloribus vagis, tum pectus obſidentibus, vbi initio phlegmaſia adhuc vix obtinet, vt dolorem auferendo et phlegmaſiam caueas. Alibi autem aut ſimul cum febri phlegmaſia locum habet, aut ſtatim ſubnaſcitur cum dolore. Attentus aegritudinum obſeruator caſus hos diſcernet. Moneo etiam, quod non raro plures quaſi ſpecies coëxiſtant ſeu complicatae ſint, vt v. g. *Stoll.* obſeruauit inflammatorias et bilioſas, aut putridas ita ſibi adiunctas, vt tum vni, tum alteri, tum mutuo quaſi cura ferenda eſſet, alternantibus in his antiphlogiſtica et euacuatoria methodo, prout genius epidemiae, aut cataſtaſis, ſubiectum, indicabant.

Congruam magis denominationem *pneumoniae*, quae comprehendat tamquam ſpecies pleuritidem, peripneumoniam, pleuropneumoniam, et iure alibi dicendo etiam haemoptyſin et phthiſin pulmonalem, in aegritudinum ſyſtemate poſui. At hic ab auctore ob methodum artificialem diuulſas, pleuritidem et peripneumoniam ſuo loco inuenies.

Practici ſit, ſeorſim exponere *vim phlebotomiae* in corium pleuriticum, *eius differentiae*, pro loco inciſo, num in parte affecta, an in oppoſita inſtituenda ſit, quorſum ſcripta celebria *, num in brachio, an in pede, quorſum *Trilleri* animaduerſio, de duobus iuuenibus **, et repetitionis, maxime in aliis ſpeciebus,

* Cf. *R. Moreau* tr. de miſſione ſang. in pleuritide cet. Paris. 1630. 8. recuſ. *Halae* 1742. 8. *D. Wipacher* genuina ratio, cur pleurit. vera ſaeu. venaeſectio aff lateris, praeoptanda ſit. Lugd. Bat. 1756. 8.

** Alter, cui brachii vena, pertuſa horas 24 rel. prius, quam alter, cui in pede inciſa, ſanitati reſtitutus, vtrumque ſubiectum et morbus ſimillima.

ac genuina, ſaepe noxiae, vbi dolor, accuſatus principii pleuritidis refraenandus ſit opiatis? *Sarcone* praeeunte: vbi veſicatoria adplicanda ſint, vbi *Stollii* monita audienda, qui in genuina minus admittit, in catarrhali, rheumatica, putrida, commendat, rel.]

Eſt phlegmaſia, ſeu pyrexia acuta, continua ſaepius ſynocha, dolore acuto pectoris, reſpiratione frequenti, difficili, pulſu duro, et tuſſi, vel tuſſiendi conatu, ſtipata; ſeu eſt concurſus quatuor ſymptomatum, pyrexiae acutae, dyſpnoeae, doloris, ſaepius lateralis in pectore, et tuſſis moleſtae. Variant autem haec ſingula ſymptomata in diuerſis morbi ſpeciebus et diuerſis cuiuſque ſpeciei ſtadiis. Initio frigus, horror, laſſitudo, dein calor, tuſſiendi impotentia, et deſiderium, inſpiratio breuis, quia dolore impeditur, frequens. In vigore pulſus vehemens, tenſus, frequens, ſanguis in patella coriaceus, tuſſis quandoque cruenta, ſudatio, genarum rubor, calor intenſior. In declinatione ſudor frequens ſalubris, pulſus mollis, exſpuitio facilis, vber, tuſſis rarior, facilior, dolor lateris minor, reſpiratio minus impedita. Inter dormiendum nullus per interualla dolor, tuſſis nulla, remanente pyrexia et dyſpnoea quoad frequentiam.

Differt a peripneumonia per pulſum tenſum, durum, abſentiam grauitatis in pectore medio, ſputum rarius cruentum. A pleurodyne per pyrexiam acutam, inflammatoriam, ſanguine coriaceo, quae deficiunt in pleurodyne; nec non quod ſaepius in pleuritide dolor a preſſione, contrectatione, non mutatur, nec leuatur, nec intenditur, quod in pleurodyne ſaepius euenit.

Sola pleurae inflammatio non ponit pleuritidem: vidit *Morgagni* Epiſt. XVI. 31. cet., pleurae inflammatae veſtigia in cadaueribus hominum, qui nullum dolorem pleuriticum paſſi fuerant: multae ſimiles obſeruationes proſtant in *Boneti* Sepulchreto. [Num autem haec laruatam pleuritidem attinent?]

Principium morbificum eſt inflammatorius pleurae infarctus, vnde metus eſt, ne ſtaſis gangraenoſa ſequatur, quapropter natura, aliunde dolore irritata, effraenes non raro conatus exſerit, qui penes eam ſunt, et ſimul ſine quibus infarctus tolli non poteſt. [Mallem dicere: *impetus phlegmaſiae* ad pectus directus.]

Infarctus tollitur 1° ſpiſſum fluidum in vaſis minimis impactum reſoluendo, quod calor auctus praeſtat; 2° vaſa dilatando, vt peruia fiant materiae haerenti, quod praeſtat vis truſiua cordis adaucta; 3° vt mechanice atteratur cruor concretus ob moram, quod pulſatio vaſorum aucta efficere conatur, tuſſisque et dyſpnoea concurrunt, ſimulque tuſſis dirigitur ad ſanguinis ſuperflui expectorationem, et frequens reſpiratio ad ſanguinis refrigerium et accelerationem. *Principia proëgumena* ſunt ſanguis viſcoſus et feruidus, qualis in baiulis, adultis; praua pectoris conformatio, pulmonum tubercula. *Principia procatarctica*, frigus aeſtuante corpore ſuſceptum a vento frigido, per rimam potiſſimum feneſtrae illapſo; potus frigidus; ira, vociferatio, vehementes conatus, principia febris ſynochae, vt crapula.

Numerus. Pleuritis et peripneumonia ſimul ſaepius ſunt decima pars morborum in noſocomiis obſeruandorum; ſic in Nemauſenſi noſocomio per menſem Junium, et Julium anni 1757, ex 567 aegris fuere 53 pleuritici, vel peripneumonici, et tamen hi morbi vere ſunt frequentiores, quam aeſtate. Vtinam numerus reſpectiuus diuerſorum morborum a noſtratibus inquireretur!

Cadauerum aperturae a *P. Seruio Romano* inſtitutae in trecentis pleuriticis exhibuere pleurae pulmonaris inflammatae veſtigia, ſeu extrema et ſuperficialia pulmonis vaſa inflammata, quod anacatharſis ſanguinis, puris, febris acuta, dyſpnoea, aliunde ſuadent.

Zeuiani obſeruat pleuritides humidas, ſeu in quibus ſanguis exſpuitur, reſidere potiſſimum in pulmone, adeoque malum eſſe, ſi tuſſis, quae primis diebus erat ſicca, euadat deinceps ſanguinea; quippe ſignum eſt, inflammationem, quae erat tantum in muſculis intercoſtalibus, ad pulmones irrepſiſſe contiguos, quod maxime fit, vbi pulmones cum pleura coſtali ſunt connexi. Peripneumonia primaria eſt vt plurimum letalis quarta die; aſt peripneumonia, quae a pleuritide, ſeu dolore lateris ſine ſputo cruento verſus tertiam quartamue diem ſuperuenit, multo ſaepius ſanatur iuxta eius obſeruata, quia recens eſt corium illud ſanguinis, quod pulmones infarcit et ſputum ſanguinis excitat, adeoque facilius reſoluitur, quam quod a longo tempore praeparatum illico peripneumoniam facit. Ex 70 pleuriticis 35 circiter pleuritide ſemper ſicca, id eſt ſine ſputo cruento vel rubiginoſo, affecti ſunt, et omnes illi euaſerunt, criſi per vrinae vias aut ſudores facta; ex illis

70 fere 66 latere dextro doluere; ex illis vero, in quibus pleuritis in peripneumoniam mutata fuit et ſputum in decurſu morbi acceſſit, dimidia pars obiit; horum vero tot a dextris, quot a ſiniſtris, doluere.

Si toties inuentus eſt pulmo pleuriticorum ſanguine farctus poſt mortem, non minus verum eſt, dari pleuritides veras multas, in quibus pulmones ſunt illibati; aſt paucae ſunt illorum cadauerum aperturae, quia pauci ex hac ſpecie moriuntur; cum vero in peripneumoniam abiit pleuritis, hoc accidit ex connexione pulmonis cum pleura coſtali, quae ex *Diemerbroeckio* in tertia hominum parte familiaris eſt; falſum eſt itaque, omnes fere pleuritides in pulmone reſidere, vt *Seruius* et poſt eum non pauci cogitauerunt.

1. *Pleuritis vera Boerhaaue* aphor. 878; *Sanguinea* Hippocratis; *Pura* Bagliui, *Sydenhami* pag. 163; *Flammoſa Triller* p. 149. *La Punta* Italis. [*Selle* pyr. pag. 115 ſq. *Stoll* rat. med. T. I. p. 69. 72. 90.]

Pleuritis vera, quae, iuxta *Zeuianum*, muſculos intercoſtales tantum eorumque pleuram afficit, raro ſputis repurgatur, raro et pauca ſputa cruenta adducit; ſicca eſt tutior humida et diureſi critica ſaepius terminatur. Si aegri pereant, ſaepe inueniuntur abſceſſus inter pleuram et muſculos intercoſtales, quod bene multis cadauerum aperturis conſtitit; vera dicitur pura, vel putris, aut maligna.

a. Pleuritis pura eſt mere inflammatoria, non a ſynocho ortum ducens, ſed in qua ſine ſignis ſaburrae dolor lateris initium ducit, ſimulque pulſus eſt durus, tenſus, dolor ad coſtas veras, non ad ſpurias, tuſſis initio ſicca, laborioſa, aegri dicunt ſe tuſſire non poſſe, nullae ſunt exacerbationes a frigore orientes, dolor a preſſione non remittit, nec creſcit, cruor extractus corio albo, craſſo, tectus, ſimul et denſo, cum in pleurodyne rheumatica corium eſt craſſum, ſed molle et tremulum.

Illa ſpecies hieme et vere frequentior eſt, infantibus minime accidit, ſenibus et cachecticis raro, aut ſaltem mitis eſt; adultis, exercitatis, ruſticis robuſtis, familiaris, et quo robuſtiores ſunt, eo grauius aegrotant; ſi ante finem ſecundae, aut tertiae, diei ſuccurrantur per phlebotomias et potus diluentes, vix vllus moritur.

In illa ſpecie noxia ſunt cathartica et emetica; leuia tantum poſt ſedatum morbi impetum conueniunt minoratiua; adultis,

quarta quaque hora prima die, bis vel ter ſecunda die, mittendus eſt ſanguis ex brachio quouis; ptiſana ex decocto cichorii et infuſo capillorum veneris, florum papaueris rhoeados, adde ſuccum borraginis ſi ſputa viſcida difficulter expectorentur, veſpere ſyrupum anodynum parca doſi, adde camphorae et nitri grana pauca; veſicatoria lateri admota proſunt etiam ab initio morbi. *Pringle*: Videſis curam apud *Sydenham*. pag. 163. Pura frequens eſt hieme.

b. Pleuritis vera maligna eſt, quae ex improuiſo delirio ſuſpenſa, aut ſedata, videtur, et tamen promtiſſimam infert mortem; ea quidem peſtilente minus letalis eſt, nec epidemica ſemper eſt, aſt valde huic, vt eryſipelatoſae et verminoſae affinis; prima die dolor lateris ſiniſtri vehemens, pulſus durus, frequens, aeger lecto iacet, lingua eſt ſordida muco albido; bis, vel ter, ſecatur vena, et ſubſequenti mane manna cum tartaro ſtibiato aſſumitur; hinc aeger cum impetu ano, vel cato, multum euacuatur, quaſi inteſtina foras proruerent; eadem die aeger e lecto ſurgit, veſtes induit, ambulat, ſanum ſe dicit; nulla eſt pyrexia, nulla tuſſis, dyſpnoea, latet delirium ſub perfidiſſima ſanitatis apparentia; de aegro enim conclamatum eſt tertia die; cum delirio aperto phrenitico, pulſuque febrili exiguo, frequenti, aeger e medio tollitur.

2. *Pleuritis pulmonis Zeuiani* de parapleuritide: *Pleuroperipneumonia*.

Incipit a ſymptomatibus pleuritidis et decurſu aegritudinis peripneumoniam imitatur, dolore punctorio in grauatiuum mutato cum maiori dyſpnoea, oppreſſione, ſputo cruento cet. Caſtro Sarraſini anno 1765 per ſex menſes, hieme ſcilicet et vere, ea pleuritis fuit epidemica, et vix trigeſimus ex ea euadebat. Incipit ab horrore, laſſitudine, cephalalgia vehementi; accedit pyrexia acuta, pulſus durus, ſerratilis, dolor pectoris vagus, vel fixus, ſputa ſanguinolenta, dyſpnoea, faciei rubor, tuſſis; tertia die dolor lateris vel dorſi grauatiuus euadit, quarta aeger moritur. Sudor primis diebus, diarrhoea verſus quartam ſuperueniens mortem accelerant: ſanguis in patella coriaceus, multo ſero flauo innatans; in cadaueribus pleura ſphacelata, pulmo ipſi cohaerens purulentia flaua turgidus, ſuppuratus vel gelatina alba obductus vel ſphacelatus; in hoc morbo vrinae erant rubrae, ſputa ſeroſo-ſanguinea, reſpiratio ſibilans, tuſſis initio inanis, calor pectoris

magnus, dolor ad coſtas veras, ad omoplatam, ad ſcrobiculum cordis, lingua arida cum ſorditie alba vel lutea.

Indicabantur, poſt auxilia generalia et vulgaria, cathartica ex manna alternis diebus, praemiſſo leni emetico, iuſcula optima: quippe frumenti inopia et prauus victus huic epidemiae anſam dederant; dein emulſio camphorata, cochleatim ſumendus quarta quaque hora; pro potu infuſum chamaemeli, limonada cocta, decoctum kinkinae emulſioni mixtum, nec negligenda veſicatoria, ipſi lateri dolenti admouenda, quod proſpere ſucceſſit in ſimili morbo, obſeruant. *Raymondo* et *Rob. Whytt.*

3. *Pleuritis dorſalis Hippocratis* de affectib. *Verna* cap. 8. *Ballonii* de pleurit. dorſali.

Dorſum dolet, velut ex plaga, non punctim; aeger ſuſpirat, exſpuit pauca; tertia, aut quarta die, ſaniem mingit ſubcruentam; dolor dorſi ad ſpinam protenſus; aegrius reſpirant erecti, quam capite ad antica inflexo; tuſſis eſt, pyrexia acuta; quinta die, ad ſummum ſeptima, mors.

Sedes inflammationis eſt in parte mediaſtini poſtica.

Species eſt ita rara, vt ex ducentis pleuritidibus vix vna ſit dorſalis. Huius tres varietates recenſet *Verna* poſt *Hippocratem* pag. 76 et 77.

4. *Pleuritis Mediaſtini Freind* hiſtor. medicinae. de Auenzoare; *Verna* cap. 9; *Salius* curat. morbor. partic. p. 225; Act. Acad. Bononienſ. tom. 2. pag. 188.

Dolor in medio ſterni percipitur non adeo intenſus et acutus, ſed veluti grauatiuus, cartilaginem verſus enſiformen declinans; mediaſtini pars antica inflammatur, pericardio ſaepe ſimul affecto. Adeſt acuta febris, anxietas, ſitis, reſpiratio frequens et celer, ingens in thorace feruor, doloris nihil fere niſi in ſterno, vbi moleſta potius anguſtia et intercluſio in inſpiratione ſentitur, tuſſis numquam abeſt, pulſus durus eſt, multo minor ſpirandi difficultas, quam in peripneumonia.

Cum ſuppurata eſt illa pleuritis *Columbus* et *Barbette* auctores ſunt, vt terebretur ſternum.

Legatur *Rondeletius libr.* de morbis per ſymptomata diſtinguendis cap. 10, *Hildanus* centur. 1. 43.

Hoc morbo in itinere laborauit Auenzoar, et ex arteria podicis ſecta ſibi libram ſanguinis detraxit; hoc breui periit Trombellus Medicus Bononienſis; repulſum fuerat dudum herpes, do-

lor erat in antico pectore, inde ad collum et aurem ſiniſtram extenſus, bis vena ſecta, fomenta adhibita. Trombellus nigra vomuit, febricula tunc eſt orta, ſomno ingruente obiit. Cruor niger in mediaſtino inuentus, mediaſtinum tres digitos craſſum, liuidum, pulmo ſiniſter cruore diſtenſus.

5. *Pleuritis pericardii Zacuti Luſitani* prax. admir. obſ. 138; *Verna* pag. 77. *Freind* hiſt. med. pag. 108. *Le Cat*, Mercure de Novembre 1753. *Salmuth* Centur. 1 obſeru. 13.

Pleuritis illa, ſaepe cum praecedenti combinata, differt ab ea, ſyncope frequenti, palpitatione, cordis tremore.

Quidam in aetate florenti acuta ſebri eſt prehenſus cum ſiti ingenti, anxietate, reſpiratione creberrima, thoracis incendio, tuſſi ſicca, ſyncope, cordis tremore, leui dolore in thorace verſus ſternum cum anguſtia ſumma, pulſu duro, intra triduum obiit; totum pericardium inuentum eſt eroſum, nigrum, miliaribus puſtulis exaſperatum, et in alio caſu pure turgidum.

6. *Pleuritis traumatica.*

Pleuritis eſt, quae a graui coſtarum, ſterniue fractura, pectoris, dorſiue vulnere, contuſione, ortum ducit, ſaepe cum ſputo cruento; ſi tantum vehementer inflexa fuerit coſta, vt a lapſu, tunc dolor atrox, reſpiratio ſuffocatiua ſuppreſſa; ſi effractae ſint coſtae, tunc peripneumopleuritis eſt cum grauiſſimis ſymptomatis, vt vidi factum ab equi calce; pleuritis illa eſt pura, mere inflammatoria, vtplurimum repetitis phlebotomiis, abſtinentia triduana, potu diluente, auxiliiſque chirurgicis tractanda.

7. *Pleuritis biliosa*; *pleuritis a bile Tulpii* lib. 2. cap. 1. *Pleuro-peripneumoniae epidemicae Aumalae apud Normannos*, Marteau de Grandviliers obſeruante. [*Paull.* Aegin. l. 3. cap. 33. *Foreſt* l. 16. obſ. 35. *Ballon.* epid. l. 1. p. 78. Mem. de l'ac. de Par. 1756. p. 129 *Selle* pyr. p. 215. *Geſsners* Beob. vol. IV. p. 124 ſq. *Bianchi* h. h. T. I. p. 236. *Schroeder* ampl. f. bil. pag. 24 ſq. de pleurit. diff. p. 9. *Stoll.* rat. med. T. I. p. 3. 29. 41. 105. T. 2. p. 31. 51. 106 ſq.

Conſtitutio pler. epidemica: dolor inter reſpirandum et tuſſiendum raro auctus, raro cruor, niſi a validiori tuſſi. Sputa glutinoſa, craſſa tenacia, alba, bilioſa, vireſcentia, etiam ante pleuritidem: vomitus, (crit) aurigo, crit. etiam die 7. accedens, diarrhoea critica. Hae in genere quaſi. In ſpecie:]

Initium, horror et frigus mane, pyrexia acuta; ſitis, calor cutis, anxietas, cephalalgia grauans, nauſea, vomitio bilioſa, pulſus latus, durus, ſubfrequens, febris creſcens, facies intenſe rubens, reſpiratio frequens cum ſuſpiriis. Poſt 12^{im} vel 15^{im} horas dolor pungitiuus lateris, nunc fixus, nunc ab vno ad alterum latus, nunc ſurſum ad clauiculas extenſus, aut ambulans. Prima et ſecunda die ſputa cruenta, dein rubiginoſa, crocea, vel brunnea et fluidiſſima. Pulſus quarta die mollis, anguſtus, frequens, praeceps: ſanguis in patella tectus corio craſſo, flauo, molli; vrinae ſaepius brunneae cum nubecula in medio, quandoque turbidae ſine ſedimento, licet primis diebus ſedimentum lateritium inaequale, furfuraceum, vndoſum depoſuerint: gena, ſeu os iugale, e latere doloris rubro violaceum, facies pallido-liuida, lingua humida, ſed albeſcens, vel flaua; alui fluxus, ſi aderat, quarta die ſupprimebatur. Die tertia, vel quarta, dolor lateris nullus, reſpiratio magis aequalis, ſed difficilior et ſibilans, tunc grauitas ſterni, tuſſis ſedata, aegri melius ſe habere putabant, ſputa pauciora, ſpumoſa, meteoriſmus, obtutus vagus; ſi vrinae forent turbidae, delirium vagum, magna agitatio, mors: aliis mens conſtabat; pulſus mollis vndoſus, vel paruus, fugax, inde ſtertor et 5^a die vel ad ſummum 7^a mors. Sudores critici inter 7um et 9um quibusdam profuere, aliis vomica poſt 40um diem crepuit.

In cadaueribus lobus pulmonum dolens, durus, gangraenoſus, atro cruore turgidus, pleurae adhaerens, corio albo, craſſo, intermedio, pleura coſtali ſana; bronchia huius lobi ſanie purulenta plena; lobus oppoſitus mollis, ſed gangraenoſus; in pericardio cyathus ſeri flaui; in cordis auriculis concretum cruoris et concretum lymphae craſſum; in colo gangraena, cetera inteſtina flatu diſtenſa.

Cura. Phlebotomiae ſaltem tres, non plures octo, intra quatuor primas dies, non vltra; poſt primam, emetici tartari grana duo cum manna et oleo amygdalarum, numquam vero poſt tertium diem metu meteoriſmi; initio fotus emollientes et reſoluentes lateri; tertia die pix, olibanum et terebinthina, et, ſi dolor ambulatorius, veſicatorium applicabatur, praemiſſa cucurbitula, quod mature adhibitum ſucceſſit.

Accedente oppreſſione circa quartam diem ſecabatur iugularis ob delirium; ſecta ſaphaena male ceſſit forte ob meteoriſmum. Suppreſſa ſputatione veſicatoria tibiis admouit modo ante dies cri-

ſeos. Si eſcharae pallidae ocyus ſiccarentur, conclamatum erat. Ad praecauendum ſphacelum vſus eſt nitri 24^{or} granis cum camphorae granis quatuor; fiant ſex doſes; ſumat ſexta quaque hora vnam; aliis chamaemeli infuſum praeſcripſit; euentus huius morbi vtplurimum letalis fuit.

Huic affinis pleuritis viguit Monſpelii anno 1753. Phlebotomiae vero a nouem ad quindecim [male, dum vna aut altera ſuffeciſſet,] adhibitae ſunt; febris erat remittens ſine ordine. Vomitorium ſecunda vel tertia die praeſcriptum, dein iterum ad phlebotomias deuentum eſt, ac catharſes alternis diebus iteratae.

[Huc: a. *eryſipelatoſa*. *Sauv.* ſp. 11.
b. *hepatica*. *Sauv.* ſp. 6. et hepatitid. pleur. ej.
c. *miliaris Stoll.* rat. med. T. I. p. 40. 44.
d. *catarrhoſa bilioſa*. *Wagler.* l. c. p. 18. 19.
e. *rheumatica*. *Stoll.* T. I. p. 94. vid. et n. 27.]

8. *Pleuritis verminoſa Quercetani* Pharmac. cap. 7; *Riuer.* Cent. I. Obſ 75; *ſtomachalis Bianchi* pag. 232. *Schenckii* lib. 2. pag. 264, a Gabucino mutuata hiſtoria. *Verna* pag. 3. et 88. *De Meyzerey* Tom. 2. n. 328. [*Morgagni* de ſed. XXI. p. 33. 34. v. d. *Boſch* l. c. p. 107. 190. 288. *Ballon.* epid. l. 1. pag. 170. v. *Phelſum* T. 2. p. 177. *Andry* de gen. verm. praef. Journ. de med. Juill. 1762. obſ. 3.]

Frequens eſt haec pleuritis apud pueros; dolor eſt lateris punctorius, ſaepe ad coſtas infimas, cum tuſſicula ſicca, quandoque ſuffocatiua, vt in amphimerina quinta dicta vel *coqueluche*; pulſus eſt durus, reſpiratio difficilis, quandoque ſingultus; genae nunc calent et rubent, nunc frigent et pallent. Hic morbus frequens mihi occurrit, et ſanatur, ſine phlebotomia ſaltem repetita, leni emetico, catharticis et vermifugis, non neglectis bechicis: lumbricos 377 in hoc morbo deiectos vidit *D. Marteau* Journ. de Med. Juill. 1762. Obſ. 4.

9. *Pleuritis putrida*; vide *Vandermonde* Journal Septembre 1758. pag. 269, a D. *Rouſtan*. *Ingluuioſa Trilleri* pag. 145. *Pleuritis impura*, *ſymptomatica*, *ſecundaria* Auctorum. *De Meyzerey* Tom. 2. p. 314. [*Huxham.* T. 2. p. 230. *Schroeder* de pleurit. diff. p.]

Eſt ea ſpecies Monſpelii frequentiſſima, quae initium ducit a ſymptomatis febris putridae vel bilioſae, cui deinceps, vt ſecunda die, dolor lateris, tuſſis, accedit, cum oris ſorditie, nauſea.

Ea eſt frequentiſſima in regionibus meridionalibus, vt pura, apud monticolas, ruſticos, vegetabilibus tantum nutritos; vocatur vulgo pleuritis ſymptomatica; ſed catarrhoſa, verminoſa, aliaeque ſunt pariter ſymptomaticae; putrida frequens eſt menſe Iunio; febris, cui coniuncta eſt pleuritis, eſt vel ſynochus, adeoque continua, non remittens, et haec eſt frequens; vel tritaeophya, quae pleuritis biliosa dicitur *Biancho* et aliis.

Sic *Brendelius* obſeruauit pleuritides quotidie exacerbantes: ſic in *Eſſais d'Edinbourg t.* 5. *pag.* 32. refertur hiſtoria pleuritidis biliosae epidemicae, in qua dolor lateris ſecundo die febri ſe adiungebat, venae ſectio repetita nocebat, leuia emetica mire proderant; aderat initio bilis, vomitio; dolor erat deſcendens ad vltimas coſtas; ſtomachi aegritudo; pulſus nec frequens, nec plenus erat; ſanguis emiſſus fuſcus, flauus vel viridis, ſine corio illo, quod in pura patellam tegit.

[Salus ab emeticis, dein diaphoreticis, cardiacis, camphora, alcali volat. veſicatoriis.] Febris princeps eſt vere putris cum nauſea, linguae amarore, ſorditie, pulſu ſubmolli, frequenti tamen, ſanguine etiam poſt alteram phlebotomiam non coriaceo, et in hoc caſu parce mittendus ſanguis, et methodus *Rulandi*, quam tantopere execratur *Trillerus*, in vſum venit; ſcilicet miſſo ſemel vel bis cruore, praemiſſo clyſmate, ſecunda die leue emeticum, guttae aliquot ſyrupi Glauberiani cum mannae vnciis duabus, vnde nunc ſurſum, nunc deorſum ſine pectoris laeſione aeger purgatur, quod in pleuritide pura valde noceret; imo ſequentibus diebus, maxime ſi dolor lateris remittat, eadem medicina iteranda eſt, et vt in verminoſa pleuritide, etiam infuſum ſennae eſt catharticis admiſcendum, et alternis diebus iterandum vſque ad morbi finem.

Si delirium accedat, datur paraphreneſis pleuritica.

10. *Pleuritis catarrhalis* Hippocratis; *Peripneumonia epidemica* anni 1565 *Dodonaei* obſ. cap. 21; *Sympathica Bianchi* hiſt. hep. p. 233 lib. 1. [rheumatica, *Stoll* rat. med. T. 3. p. 90 ſq. 153 ſq.]

Eſt ea ſpecies, quae a coryza, raucedine, angina, ortum ducit cum dolore catarrhali pectoris, qui dolor preſſione mutatur, leui etiam tumore externo ſtipatur, et non ſemper puncto eſt affixus, ſed huc et illuc extenditur. Febris eſt amphimerina, quouis veſpere exacerbans, tuſſis moleſta, dyſpnoea grauis, ſaepe

ſputio cruenta, et pleuropneumonia videtur eſſe ob additionem ſymptomatum peripneumoniae hiemalis Boerhaaue; incipit ab horrore et ſrigore vagis, identidem per primas dies recurrentibus: pulſus non ita durus et tenſus, ac in vera, et corium, quo ſanguis in patella tegitur, magis gelatinoſum: exigit phlebotomias iteratas, potusque theiformes calidos, leuia diaphoretica; phlebotomiae tamen parciores multo ſint, quam in vera.

11. *Pleuritis eryſipelatoſa Baglivi* appendic. ad pleuritid. p. 37; *Pleuritis bilioſa Hippocrat.* lib. 3. de morbis; *Bianchi* p. 236. *Pleuritis cum febre ardenti Mocha* conſil. 24. pag. 59; *Pleuritis cum magno aeſtu et ſiti Wolfgangi* Cent. 1. ſol. 7.

Inter pernicioſiſſimas pleuritides eſt pleuritis ſicca, ſiue eryſipelatodes acutiſſima, quae fit a ſero acri, pulmones vrente, lacerante, cum pauco dolore, et aegrum derepente iugulat; ſigna ſunt ſec. *Hippocratem* rubores fugaces genarum, tuſſis inanis, paucus dolor, iactationes, ariditas magna linguae, ardor viſcerum, doloris excurſio in varia loca; ſi dolor lateris obſcurus ſit, aeger decumbat in latus, et fortiter tuſſiat, tunc temporis dolor in latere percipietur.

Diſtinguitur haec ſpecies a vera et ab hepatica, 1° oris amarore aſſiduo; 2° nauſea frequenti, vel vomitu bilioſo et viſcido; 3° doloribus ventris ad epigaſtrium cum diarrhoea quandoque bilioſa, aut teneſmo; 4° ſiti inexſtinguibili; 5° lingua bile ſuffuſa, tamen non aſpera, non ſicca, non hiulca; 6° febre tritaeophya cum calore acerrimo, cum vigiliis et quandoque delirio; 7° pulſus poſt catharſin remolleſcit. Differt ab hepatica, quod dolor ſit ſub mamma ſiniſtra, quod nullus tumor, dolor, durities nulla, aut tenſio ad hypochondrium dextrum; ſputa ſunt intenſe flaueſcentia, licet ſanguine mixta, imo amara, vrinae croceae.

Pleuritidem bilioſam diuerſam facit *Bianchi* ab eryſipelatoſa pag. 251, [an iure?] eamque typhodem eſſentialem nuncupat.

12. *Pleuritis hepatica Bianchi* Hiſtor. hepat. ſpec. 6. p. 234 tom. 1. vel *Hepatitis pleuritica* eiusdem.

Similis eſt verae et bilioſae quoad acutiem febris, dyſpnoeam, pulſus duritiem, tuſſim ſaepe cruentam; differt dolore ad dexteram thoracis partem profundo, genae dextrae rubore intenſiori, tinctura ſubicterica per cutim, oculos, linguam, lotium, excreta omnia; ſitis, ariditas, amarities oris, bilis in ſputo adeſt

cum ſanguine; dolor ad coſtas ſpurias deſcendit, et obtuſe ad dextrum hypochondrium affigitur, vbi ad tactum leuiorem moleſtiſſima ſenſatio; tenſio, tumor, renitentia, durities hepar circumſcribens; calor intenſus, iactatio aſſidua, ſitis, ardor, ariditas.

Vide aperturam cadaueris in *Panaroli* Pentecoſt. 1. obſerv. 37.

13. *Pleuritis conuulſiua Bianchi* Hiſt. hepat. libr. 1. pag. 234. *Sicca Hippocratis* l. 3. de morbis.

Dolore atroci in principio eſt ſtipata, ſed vtplurimum circa quartum diem creſcente febri dolor mitigatur, aut ſi dolor vna, aut altera, die febrim praecedat, febris accedens morbum ſoluit. In hac anguſtiſſima eſt reſpiratio, cum tuſſi rara et inani, ſeu ſicca, et ob doloris vehementiam difficillima. Huius criſis eſt, qualis ſanguineae, ſed ampliori potu humectante indiget, quam aliae, ait *Hippocrates.*

14. *Pleuritis periodica Morton* de intermittentium diagnoſi, pag. 33. *Pleuritis febricoſa Torti* de febribus; *Morton* Pyret. Hiſt. 8. p. 141. *Senac* de recondita febrium natura, cap. 18. p. 102. 1759. *Lauter.* Hiſt. Med. Viennae 1762. [v. *Swieten* comm. T. 3. p. 445 ſq. *de Haen.* rat. med. T. 2. p. 91. et febr. div. p. 139. *Sarcone* §. 165 p. 233 ſq. *Medicus* v. d. period. Kr. p. 218. *Sauv.* trit. ſp. 4. *Strack* de febr. interm. p. 115.]

Per paroxyſmos, a frigore incipientes, ſingulis, vel alternis, diebus inuadit, paroxyſmis, ſudore terminatis, recedit, et rurſus data hora reuertitur, ſeu pendet a fomite febris tertianae, aut tritaeophyae.

Centies obſeruaui, ait *Mortonus*, pleuritidem acutiſſimam et vere ſpaſmodicam, cum ſymptomatis pathognomonicis intenſiſſimis, a veneno febris intermittentis ortam fuiſſe; iſta ſymptomata ſtatis periodis redeunt, vrina redditur lateritia, qualis in intermittentibus febribus effluere ſolet, et hanc febrim, cum vel ſponte ſua, vel arte coacta laruam deponit, kinkina cito ſemper et feliciter curare conſueuit.

Vidit *Anonymus* mulierem, ſanguinis ſputo laborantem, cum dolore lateris punctorio, febri acuta, exacerbationibus variis, in ſummum diſcrimen adductam, quae kinkina aſſumta breui conualuit. Vidit idem virum, pleuritide acerrima detentum cum copioſo ſanguinis ſputo in paroxyſmis periodice recurrentibus,

qui non ſenſim, ſed ſubito impetu, ex improuiſo, inſurgebant, qui ſimili febrifugo, protinus exhibito, ſimiliter euaſit.

Color vrinae lateritius in remiſſione, ſubitaneus, et periodus recurſus ſingulis vel alternis diebus, inuaſio cum frigore, ſudor primos paroxyſmos terminans ſunt ſigna fere infallibilia veneni febricoſi latentis in his morbis, quos *febricoſos* cum *Werlhofio* nomino, nec enim cognomine pleuritidis febrilis quiſquam eius indolem ſingularem ſuſpicaretur.

Eadem eſt cura, idem decurſus rheumatiſmi, febricoſae colicae, vomitus, hyſteriae, ſyncopes, cardialgiae, phriciaſis, cet. febricoſae; ſeu a veneno febris intermittentis, aut remittentis, productae, quae, niſi febrifugo impugnentur, breui aegros e medio tollunt, vt videre eſt apud *Senacum cap.* 17. *Torti* et *Werlhof* paſſim.

15. *Pleuritis hydrothoracica Crendal* obſerv.

Ille Auctor nuperus apud milites, in caſtris degentes, durante quadam epidemia, obſeruauit multoties pectoris cauum, aqua exundans, in cadauere pleuriticorum, qui ſeptima, nona et vndecima morbi die perierant; vnde ſummi momenti eſt huius ſpeciei ſigna habere, vt propria methodus, a vulgari certe diuerſa, obtineatur. [Num hydrothorax ſit effectus pleuritidis, male curatae, an ſpecies vera, dubites?]

16. *Pleuritis peſtilens Schenckii* pag. 751: *Riverii* obſerv. 72. centur. I.

Eſt morbus epidemicus, qui regnauit Foroliuii Gallo-Prouinciae menſe Februario anno 1751, Aquis-mortuis menſe Martio anno 1745, et Melgorii anno 1747: *D. Haguenot* et *D. Fizes* Aquas-mortuas ſe contulerunt hortatu Tribuni Prouinciae; ſeptem vel octo pleuritici quouis die ſubito moriebantur; miſſus ſum etiam Melgorium, ad debellandam eamdem epidemiam; aegri laborabant febri, dyſpnoea, dolore lateris, tuſſi; aegrique turmatim inopinato moriebantur. In cadaueribus Foroliuienſium pulmones erant perfuſi punctis nigris, liuidiſue, milii granum aequantibus, liquore foetidiſſimo plenis; ſimilis liquor in primis viis cum multis lumbricis. Apud Melgorienſes epidemia deſinebat cum acceſſi, nullum ideo cadauer introſpicere valui, ſed ex relatu ſuperſtitum coniectaui a gangraenodea inflammatione in abdomine et pectore multos ablatos fuiſſe. Hieme anni 1764 in oppido S. Jean Dioeceſis Aleſienſis plurimos intra triduum abſtulit haec pleu-

ritis, ad ignem ſedentes, cum pyrexia vehementi, reſpiratione orthopnoica in dies creſcente, dolore lateris punctorio, facie rubro-liuida; fruſtranea erant omnia auxilia; in cadauere reperiebatur pulmo vere gangraenoſus, thoraci adhaerens, liuidus, diſſolutus, foetidus; lumbrici non raro exibant cadauer ipſa die mortis; hieme tamen foetebat admodum. Quinque ſanguinis libris intra primam diem emiſſis quidam ruſticus optime ſe habebat; pyrexia, per paroxyſmos atroces reuerſa, aegros bene conſtantes ſine delirio auferebat. Nitro, camphora, plures vſi ſunt, omnes tamen periere tertia die circiter in paroxyſmo pyrexiae.

17 *Pleuritis lactea*; *Dépôt laiteux ſur la poitrine; Pleuréſie laiteuſe Puzos* Traité des dépôts laiteux 2e partie. Journ. de medec. 1770. T. 34. c. 4. p. 315.

Eſt pleuritis, puerperis, vel grauidis, ante partum propria, nullo ſputo ſanguinis, doloribus in pectore, vel vagis, vel fixis, ſtipata, cum febri remittente, dyſpnoea non continua, calore mediocri, ſine meteoriſmo et ſine delirio.

Nobili mulieri altero a partu die ſuperuenit pyrexia acuta, cum dolore viuidiſſimo ad inferiorem omoplatae angulum, lochia vbertim fluebant; inſtituta fuit ſtatim phlebotomia; huius eadem die iterationem proximi recuſarunt, ſequentibus diebus bis iterata fuit; his ſubleuata fuit aegra, lochia fluxere, abdomen molle; apozemata ex plantis cichoraceis et ſale de duobus aluum laxam ſeruauere; aſt ob retardatam nimis phlebotomiam octauo die aegra obiit, abſceſſus in imo lobi dextri pulmonis repertus eſt.

Viſae ſunt, quae quinque phlebotomiis intra paucos dies repetitis liberatae ſunt. Vide *Metritidem lacteam*.

18. *Pleuritis Polonica*. Vide *Stabel de Plica, hiſt.* 8.

Ea eſt, quam virus trichomatis a plica reſecta, vel ſuppreſſa excitat. Curatur phlebotomiis, et decocto lycopodii capiti admoto, quo euoluatur plica; ſecus abit in phthiſin, eâdem euolutione plicae ſanabilem.

19. *Pleuritis ſplenica*, *De Haen* apud van *Swieten* comm. in Aph. *Boerhave* §. 958. A.

Eſt ſplenitis, quae pleuritidis formam refert, ipſo etiam *de Haen* aegrum curante. Cadauer exhibuit empyema ſplenis.

20. *Pleuritis miliaris Camerarii* diſſert. 1735; *Allioni* de miliari; *Roncalli* Med. Germanor. pag. 131; vide *Miliarem* 8^am^.

Eſt ea, quam eruptio miliaris ſoluit; foetor ſingularis aceſcens perſpirationis eam diſtinguit.

Primus, qui veſicatoria lateri admouenda in pleuritide vulgari ſuaſit, eſt *Doctor Monſpelienſis Turquet de Mayerne*, quae methodus hodie apud Maſſilienſes vulgatiſſima eſt; ipſa autem veſicatoria ab Anglis in miliari, tum alba, tum rubra, paſſim adhibentur, teſte *Mead* Monit. et Praecept. Med. pag. 23.

[21. *Pleuritis maligna ſeu neruoſa.* *Stoll.* rat. med. T. 1. pag. 18.

Oritur ex biliofa, quum phlebotomia et emetocathartica rite adhibita morbum augent. Salus a kinkina, camph. ſerpent. virg. contray. angel., veſicatoriis, ſinapiſmis.

α. cum bubonibus et carbunculis. v. *Swieten.* l. c. T. 5. pag. 152.

22. *Pleuritis Pleuroperipneumonia maligna.* Syſt. aegr. T. I. pag. 316.

23. *Pleuritis putrida.* *Sauv.* ſp. 9.

a. *Spaſmodica.* *Sarcone.* m. epid. §. 186 ſq.

Aſthenia, alyſmus, ephidroſis larga, frigida, diarrhoea freq. pulſus paruus, debilis, lingua humida, reſpiratio debilis, vrina aquoſa, larga, dolor magnus, decubitus moleſtus, cutis frigida. Non raro malo omine paroxyſmus primus fortis et acris eſt, quem excipiunt febricula mitis, pulſus mollis, ephidroſis, vox debilis, rauca, anodynia, tuſſis et ſputorum (quae ſunt merus et diſſolutus ſanguis) euaneſcentia. Salus a veſicat. pectori admotis, cucurbit. acutis, antiſepticis, camphora, moſcho, kinkina.

24. *Pleuritis choleſeptica.* *Schroeder* l. c. p. 9. *ingluuioſa Trilleri.* pag. 145. *Keſsler* de morb. epid. pag. 75 ſq. *Finke* l. c. pag. 126 ſq.

Sequitur tritaeophyam, hemitritaeam, amphimerinam.

a. *Pleur putrida verminoſa. de Hauteſierck* obſ L. 2. obſ 231.

25. *Pleuroperipneumonia putrida.* *Huxham* T. 2. pag. 64. Journ. de med. Juill. 1766. Syſt. aegr. T. I. p. 353.

26 *Pleuroperipneumonia choleſeptica.* *Selle* pyr. pag. 51. *Cleghorn* m. epid. end. p. 245.

27. *Pleuroperipneumonia bilioſa.* *Foreſt.* l. 16. obſ. 17. Sch. 28. 35. v. *Swieten* T. 3. §. 890. *Tiſſot* av. au p. c. 20. §. 286. et epiſt ad *Zimmerm.* p. 17. Journ de med. T. 7. p. 134. 171. 295. *Cleghorn* m. end. Min. p. 242. 245.

a. *catarrhoſa bilioſa. Stoll.* l. c. T. 2. p. 329.

28. *Pleuritis catarrhoſa.*

a. *ſimplex.* v ſpec. 10. *Rheumatica* etiam.

b. *lactea. Sauv.* ſp. 17. *Pleuroperipneumonia lactea Puzos* l. c. pag. 374.

c. *aquoſa. Sauv.* ſp. 15.

d. *pituitoſa. Paull. Aegin.* l. 3. c. 33.

29. *Pleuritis ſcorbutica. Lind* l. c. pag. 153. 173. 175. *Brambilla* v. d. Phlegm. T. 2. p. 336.

In gradu 1 et 3. tuſſis admodum moleſta. Sputa tenacia; dolor vagus, acutus, vehemens.

30. *Pleuritis venerea. Roſenſtein* l. c. p. 687. Comm. Lipſ. T. XIII. p. 17.

31. *Pleuritis dyſarthritica. Sauv.* T. 2. p. 136. *v. Swieten* T. 4. p. 354. *de Hahn* p. 12. *Haartmann* l. c. p. 51.

32. *Pleuritis lithica.*

a. *ex pneumolithiaſi.*

b. *ex nephrolithiaſi Morton* phthis. c. 6. et *Sauv.* ſp. 14.

Lumbago, circa muſculos pſoas ad medias vſque coſtas perueniens.

33. *Pleuritis ſarcomatica.*

a. *a corde aucto, aneuryſmatico.* Phil. Transact. p. LII. p. 1. p. 344.

34. *Pleuritis traumatica.*

a. ex vulnere capitis, metaſtatica aut conſenſualis. *Morgagni* de ſed. m. ep LII. n. 15. cf. pyogeniam.

b. ex vulnere thoracis. *Sauv.* ſp. 6.

c. ex laeſo diaphragmate.

35. *Pleuritis exanthematica.*

a. *miliaris. Sauv.* ſp. 20. *Stoll.* T. I. p. 40. 44. vide et al. ſp.

b. *petechialis. Strack* l. c. p. 16.

36. *Pleuritis anomala. Bang.* act. Havn. vol. I. p. 17. 265. Poſt dies 4. delirio indicata, quo die 9. ceſſante, reuertitur.

37. *Pleuritis ſymptomatica.*

a. haemorrhagiarum comes. *Haartmann.* l. c. p. 50.

A ſanguine nimis ſoluto, a morſu crotali, colubris.

b. empyematis, phthiſeos pulmonalis et hepatophthoes: vt auctor ita et pediſequa horum.

38. *Pleuritis ſcabioſa.* *Sagar.* ſp. 22.

39. *Pleuritis ſplenica.* *Sagar.* ſp. 20.

Signa ſplenitidis, dolor in loco lienis acutus pulſatorius, ad humerum, mammam, et clauiculam, extenſus, pyrexia, reſpiratio interſecta, pulſus ſubdurus, gracilis, inordinate intermittens.

40. *Pleuritis chronica.*

a. *inflammatoria.* *Stoll.* l. c. p. 117. 146 ſq. 181 ſq.

41. *Pleuritis latens Bagliui* op. p. 35. *occulta Stoll.* l. c. p. 112 ſq. 146 ſq.

Pleuritidis ſequelae maxime ſunt *peripneumonia. haemoptyſis*, *empyema*, *pneumophthoë*, *hydrothorax*, *hydrocardia*, *polypus cordis*, *cor auctum*, *concretio pleurae et pulmonum*, per *exſudationem humidam Hunteri.* *Scirrhus* vel *callus Boerh.* aph. 892.]

XIV. Gastritis; *Inflammatio ventriculi Riverii* Pr. Med. Lib. IX. cap. 11. *Dolor ventriculi Boneti* Sepulchr. Lib. III. ſect. 7. *Cardialgia inflammatoria Tralles* de Opio; *inflammation de l'eſtomac.*

Eſt phlegmaſia, ſtipata epigaſtrii dolore, ardore, tenſione, ſiti, vomituritione, et pyrexia acutiſſima. Principium morbificum eſt ventriculi totius, vel partialis, inflammatio.

Principia proëgumena ſunt, plethora, obſtructio vaſorum ventriculi. Principia procatarctica ſunt, ictus in epigaſtrium, vulnera ventriculo inflicta, venena, medicamina acria ingeſta, in ſanguine genita, et in colatorio huius viſceris ſecreta, vel haerentia.

1. *Gaſtritis legitima*; *Febris ſtomachica Frid. Hoffmanni* tom. 2. pag. 121.

Pulſus eſt plenus, velox, calor intenſus, ſine linguae ſorditie, ſeu pura eſt inflammatio, et, vt aiebant Galenici, a ſanguine copioſo, feruido, non bilioſo, oriunda; procedit a metaſtaſi ſanguinis copioſi, a catemeniorum vel haemorrhoidalis fluxus emanſione, a regimine calidiori; ſaepius totum ſtomachum obſidet. His ſignis adde ſummam anxietatem, vigiliam, dyſpnoeam, ſcapularum deorſum tractionem.

2. *Gaſtritis traumatica.* *De Meyzerey* T. II. n. 362.

A graui contuſione, aut vulnere epigaſtrii, pendet, et prioris eſt varietas, quae pro gradu, intenſitate contuſionis, pro vulneris extenſione, numero, pro ſanguinis effuſione, variat quoad

periculum, et vtplurimum cito letalis eſt, ſi a vulnere fiat, ſtipaturque vomitione, et per inferiora reiectione cruoris.

Huc pertinere videtur *gaſtritis muſcularis*, vel deceptiua, ea ſcilicet, quae non a ventriculo proprie inflammato, ſed a muſculis epigaſtrii ipſius inflammatis pendet; quae ob loci viciniam eadem fere, ſed mitiora, excitat ſymptomata, quam gaſtritis legitima, ob calorem, tumorem, preſſionem ipſi ſtomacho nocentes. In gaſtritide muſculari tumor eſt magis apparens et circumſcriptus, ſenſibilitas maior a tactu cutis. In legitima tumor, tenſio, dolor profundiores ſunt.

Si *pylorus* potiſſimum ſit inflammatus, vt de ſua filia refert *Lindanus*, omnia aſſumta vomitione reiiciuntur, et dolor eſt in regione pylori.

Si *cardia* potiſſimum inflammetur, grauiores ſunt ſingultus, frequentes cardialgiae, et ſyncopes, dolor in regione cardiae.

A deglutita acicula gaſtritidem cum febri ardente, et horrendis ſymptomatis ortam recenſet *Hildanus* centur. 1. obſ. 54.

3. *Gaſtritis a veneno Frid. Hoffmanni* obſ. 2, 3, 4, 6, pag. 123 tom. 2. *Febris malignae ſpecies De Meyzerey* Tom. II. n. 225 ab aerugine, aut ſimili veneno, aſſumto.

Pro doſi et efficacia necnon genere veneni, plus, vel minus, intenſa ſunt ſymptomata: difficillima eſt ſaepius huius ſpeciei diagnoſis, quia malefici artes ſuas adhibent, ne origo morbi detegatur; illi ſublimatum corroſiuum, arſenicum, emetica ſtibiata laruant et inuoluunt; quandoque opio admiſcent. Saepius ea venena ipſi ori et oeſophago nocent; ab his aſſumtis dolor ventriculi, cardialgiae, nauſeae, cholera, ſimiliaque ſymptomata ſuperueniunt; febris vero ex pulſu dignoſci non poteſt, cum pulſus doloris vehementia, aut cardialgiis et ſyncope frequenti deprimatur, debilitetur.

4. *Gaſtritis eryſipelatoſa Riverii* de inflamm. ventriculi.

Si inflammatio eſt eryſipelatoſa, ſymptomata grauiſſima ſunt, et ſpeciatim pyrexia eſt lipyria, in qua interiora vruntur, et exteriora rigent, frigentque, ſitis eſt inexſtinguibilis. Summa eſt anxietas, iactatio, extremorum refrigeratio, incendium in praecordiis ſcrobiculi cordis dolor leuiſſimum tactum non tolerans, reiectio omnium aſſumtorum, exacerbatio doloris ab ingeſtis paululum ſapidis, acribuſue, deliria, conuulſiones; pulſus irregularis, frequens, contractus.

5. *Gaſtritis exanthematica Frid. Hoffmanni* de febri ſtomachica art. 7.

Ab Aphthis, ventriculum intus obducentibus, pendet, quae cognoſcitur ex puſtulis albis, acriter dolentibus, totum oeſophagi orificium infeſtantibus, ſi veroſimile ſit, eas ad ventriculum vſque extenſas eſſe, quod ex ſymptomatis ſimultaneis gaſtritidis, ſed maxime apertura cadauerum ſero cognoſcitur.

Vtinam qui has ſpecies obſeruant, ſigna animaduerterent et notarent, vt aliquando hiſtoria morborum promoueri poſſet.

Merito accenſet *Frid. Hoffmannus* inter principia huius morbi variolam, rubeolam, purpuram, miliarem, imo ſcabiem, herpetem, repulſas, in quibus materies ſubtilis, cauſtica, in ventriculum defertur; vnde poſt mortem inuenitur ventriculus ſimilibus puſtulis, punctiſue liuidis, perfuſus cum ichore acri, nigro, intra eius cauum.

Non ita rara eſt, ac vulgo creditur, gaſtritis, licet vulgo in ſcholis nomine proprio deſtituta ſit, et ignota ferme; atque maxime cauendum in ea a catharticis, quae iuxta plurimos ex vomitu, nauſea, cardialgia continuo indicari videntur. *Difficillimum eſt* quandoque, *gaſtritidem diſtinguere* ab his, illis, cholerae, ilei, vomituſque ſpeciebus, vt ab ileo hyſterico, ſeu colica hyſterica Sydenhami, necnon a gaſtrodyniaednia bilioſa, quia non ita obuia eſt febris illa acuta, quae huius ſignum eſt; propter cardialgias et dolorem *pulſus* minutus, inaequalis quandoque videtur.

Alias tamen gaſtritis in longum tempus abit, et chronica fere euadit, vt patet ex *Sepulchreto Boneti*; ventriculi enim vlcera, phlyctaenae, maculae, febriculam arceſſunt, quae alterius indolis morbum conſtituunt, ſimplici vomitui aliiue generi affinem.

6. *Gaſtritis ſternocoſtalis.*

Sub finem menſis Junii 1760 Monſpelii viguit haec ſpecies, cuius ſigna febris amphimerina, noctu exacerbans, cum ſummo capitis dolore; epigaſtrii totius, infra et circa cartilaginem xiphoideam, dolor acutus, preſſionem quidem tolerans, aſt ab ea creſcens; reſpiratio paululum ſuſpirioſa, minime frequens, ſine tuſſi, niſi ſub finem morbi; ſanguis corio albo tenui tectus; dolor ad coſtas ſpurias initio protenſus, et ſecundum ſpinam dorſi obſcurus; nulla ſigna ſaburrae vel inflammati ſtomachi, ſcilicet

nulla nauſea, vel vomitio, nec cardialgia. Nulla ſigna inflammati pulmonis, cum reſpiratio non eſſet frequens, nec vlla tuſſis.

Cathartica tria, vel quatuor, interpoſitis praemiſſiſue totidem phlebotomiis, dolorem epigaſtrii ſubleuabant; noctu emulſiones anodynae iuuabant; ſic intra ſeptem dies circiter morbus feliciter ſoluebatur.

Muſculus ſternocoſtalis inflammatus in hoc morbo mihi videtur, epigaſtrium a mediaſtino etiam dolente diſtractum, inde etiam dolor iuxta ſpinam dorſi; non eſt tamen pleuritis mediaſtini, ſed mediaſtinum ex conſenſu muſculi triangularis ſterni diſtrahitur.

7. *Gaſtritis hernioſa.* *Garengeot* Mem. de l'Acad. R. de Chir. T. I. p. 703. Pendet a gaſtrocele, ſeu prolapſu ventriculi inter muſculos rectos; cognoſcitur ex ſignis generis, et ex leui tumore circumſcripto; curatur repoſitione, quam iuuant phlebotomia larga; inflexio trunci, ita vt muſculi recti laxentur; operatione manus, imo, ſi opus ſit, ſectione cutis; dein ſpleniis et vinculis ſtomachus in ſede ſua retinetur; narcoticis, phlebotomiis, diaeta tenuiſſima, reſiduum curae abſoluitur.

[8. *Gaſtritis choleſeptica.* *Moultrie* l. c. p. 6. in *Bald.* coll. diſſ. pract. vol. I.

9. *Gaſtritis bilioſa.* *Stoll.* l. c. T. 2. p. 112.

10. *Gaſtritis verminoſa.* Journ. de med. Aout 1773. pag. 145.

Perforatio ventriculi a vermibus: hinc purulenta etiam, ſeu abſceſſu ventriculi ſtipata.

11. *Gaſtritis purulenta.* Comm. Lipſ. vol. I. p. 690. vol. VI. pag. 70.

Vomitus et deiectiones purulentae, cruentae, variae, poſt dolores varios (credas non agnitam eſſe aliam ſpeciem) cum apoplexiae, paralyſis, rel. ſymptomatibus: reſtitutio ex morbo etiam 7. annos durante. Cf. Syſt. aegr. T. 2. pag. 116. ſq. et ſp. 10.

a. Gaſtritis ab vlceribus praemature conſolidatis. *Frid. Hoffmann.*

12. *Gaſtritis feroſa.* *Stoll.* l. c. p. 84. 88 ſq.

13. *Gaſtritis ſcabioſa.* *Fr. Hoffmann* febr. ſtomach. §. 7.

14. *Gaſtritis atrabilaria.* vid. ſyſt. aegr. T. I. p.

15 *Gaſtritis dyſarthritica.* *Boneti* ſepulchr.

16. *Gaſtritis ſarcomatica. Bang.* in nov. act. Havn. vol. I. p. 272. et p. 281. I. N. *Pezold* Abh. v. d. Verhärt. u. Verenger. d. unt. Magenmundes. Dresd. 1787. 8.

Sexagenarii ventriculi extremitas dextra ad magnitudinem capitis infantilis in toto ambitu ad corpus admodum durum, cartilaginoſum fere, incraſſata, ex tunicis incraſſatis, ſiniſtra ſimiliter. Ventriculi capacitas parua, ad pylorum ichor brunneus. Dolor abdominis medii et regionis ventriculi, tactum non ferens, ructus, vomitus, obſtipatio, macies, oedema, ſingultus. Leuamen ab antiphlogiſticis.

b. Cardia ad inſertionem oeſophagi in viro 36. ann. ad ⅔ p. cartilaginea, duos pollices craſſa, paucis nodis duris piſiformibus praedita, oeſophagus ipſe ſcirrhoſus, cartilagineus, hinc orificium ſuperius anguſtiſſimum, hepar et pancreas ex parte ſcirrhoſa. Vomitus ingeſtorum omnium, cum dyſphagia, obice ſub ſterni extrem. infer. percepto, tumor, durities cardiae atque hypochondrii dextri per 9. menſ. macies, haematemeſis.

Poſt cibum ſumtum, hor. 4. 5, maxime dyſpeptum, flatulentum, potumue, gaſtrodynia, borborygmi, dolor ad vmbilicum, ad ventriculum adſcendens, vomituritio, ructus, anxietas maxima, ad tetanum vſque; remiſſio, intermiſſio ad aliquot hebdom. In aegritudine grauiori a quouis bolo dolor et anxietas maxima, vomitu ceſſantes. In cardia ad tactum inaequalis, mobilis durities, macies mors.

Oritur a cauſſis commun., maxime aëre humido, ſpirituoſis, victu crudo, rel. Plerumque diſſimulatur, hinc letalis vtplur. Eſt, vbi oeſophagus ampliatur in ſaccum ab aſſumtis, donec vomitu reddantur, dilatatus. Iuuant mel, ſapones, aliaque reſoluentia.

17. *Gaſtritis ſcirrhoſa.* Mem. preſ. T. I. p. 383. Comm. Lipſ. vol. I. p. 30. *Morgagni* de ſed. ep. XXIX. n. 6. *Halleri* el. phyſ. T. I. p. 43.]

XV. Enteritis; *Chordapſus Galeni* 6 de loc. affect. cap. 2; *Inflammatio inteſtinorum Sennerti* Lib. 3. Part. 2. Sect. 1. c. 2; *Febris inteſtinorum inflammatoria Frid. Hoffmanni* Tom. II. pag. 171; *Febris iliaca inflammatoria* eiuſdem pag. 174; *Meteoriſmus* Patholog. Method. Iª *ſpecies; Enterophlogia*, De Meyzerey, *Inflammation des boyaux, du méſentére*, cet.

Eſt phlegmaſia acuta, cuius praecipua ſymptomata ſunt tenſio ſumme dolorifica et tumida earum partium abdominis, quibus inteſtina reſpondent, cum pyrexia, meteoriſmo, quibus ileus, dyſenteria, vel ſimilia ſymptomata adiunguntur.

Ex tenſione phlegmonodea, tactum non tolerante, ſumme dolorifica, cum pyrexia acuta, diſtinguitur ab ileo, dyſenteria, colica, quarum ſpecies etiam plures inflammatoriae ſunt, ſed in quibus ſymptomata generi propria praedominantur. [Cum dolore id oportebit *Sauvag.* methodo artificiali dare, vt, quas in ſyſtem. aegrit. coniunxi, nimirum *enteritidem*, *iliacam*, *colicam*, *ileum*, disiunctas exhibeam. Quod coniungendae ſint, vel ex propriis auct. dictis patet, quin imo natura rei iubere videtur, vt ob eſſentiam adiungas etiam *dyſenteriam* (vel inflammationem vel catarrhum inteſtinorum) et *proctitidem* ſeu *proctalgiam*: attamen ne coniunctione tam in ſcribendo, tum in conſulendo libro difficultas oriatur, ſinam disiunctionem. His breuiter dictis in ſupplem. adiiciam neceſſaria hac de re. Specierum Supplementa dabo ad colicam.]

1. *Enteritis iliaca; Febris iliaca Frid. Hoffmanni.*

Veteres duo tantum inteſtina admittebant, tenue, ſeu ileum, et craſſum ſeu colum; hinc enteritis iliaca eſt, quae potiſſimum inteſtina tenuia afficit: cognoſcitur ex ſitu circa vmbilicum, dolore atrociori, diſtenſione epigaſtrii et vmbilici, dyſpnoea, nauſea, et vomitione aſſiduis ac vehementibus, ita, vt nec potus contineri queat, dein vomitus ſtercuroſus ſequatur, et fere ſemper mors.

De hac ſpecie ab ictu orta, Vide *Frid. Hoffmanni* obſerv. 3; *Benedicti Syluatici* centur. 2. obſerv. 86.

De hac ſpecie ſpontanea, Vide *Frid. Hoffmanni* obſerv. 4. Frigus extremorum huic anſam praebet.

Principia ſunt cathartica acria, venena aſſumta, plethora, quaecumque ileum excitant.

2. *Enteritis colica; Chordapſus* Galeni.

Dignoſcitur ex eo, quod non vmbilicum, ſed partes abdominis laterales, afficiat, vbi colum et coecum iacent. Lumborum adeſt grauitas, dolor, tenſio, cum febri acuta, rarius vomitio accidit. Dicitur proprie chordapſus, cum ab inteſtini parte inflammata adeſt tumor, chordam tenſam referens, aut in glomum conuolutus.

3. *Enteritis flatulenta, Meteoriſmus* vulgo.

Eſt tenſio dolorifica totius abdominis cum tumore ſubelaſtico, tactum non tolerante; ſed illud ſymptoma eſt accidens pluribus morbis inflammatoriis commune, quoties ſaburra acris, putreſcens in febribus, et phlegmaſiis acutis excitat flatus, quibus inteſtina omnia, praeſertim tenuia, diſtenduntur. Hoc ſymptoma febribus putridis et malignis valde familiare. Vide *Ballonii* obſ. lib. 2. Epidem. et *Sepulchret. Boneti* de Ileo, obſ. 19.

In noſocomio Monſpelienſi vir quidam per ſeptimanam omnia vomitu reiecerat, cum enteritidis ſignis; ſecto cadauere inuentum eſt coecum e ſede ſua ita dimotum, vt ventriculo incumberet, et firmiter adhaereret, colo et recto multum anguſtatis, ceteris diſtenſis, inflammatis.

Curatio. Potus ſit ex aqua pulli, in qua ſemina frigida maiora, imo caput papaueris albi incoquantur, clyſmata ex oleo et decoctis maluae, violarum, ſeminum lini, fomenta leuiſſima ex ſimili decocto abdomini ope lintei duplicati apponantur, oleum recentiſſimum ex amygdalis dulcibus ingeratur; cremores hordei, oryzae pro cibo ſumantur; narcoticis dolores compeſcantur; et quod palmarium eſt, phlebotomiae, quantocyus fieri poteſt, e brachio, dein e pede, repetantur, ſi vires ſinant: ſi demum dilutum caſſiae facile et ſine ſtrage tranſiturum ſpes ſit, eius ope ſaburra acris, quae malum fouet, eliminetur; ſed ſi maturius exhibeas catharticum, vtcumque leniſſimum, graue periculum imminet: ita ſi meteoriſmus febribus putridis, aut malignis, ſuperuenerit, id non raro a neglectis antea catharticis ortum eſſe cenſendum ſaepe eſt.

Laudantur in hoc morbo fomenta ex linteis, (liquore ſaturni madidis,) ex omento animalis, vt veruecis, calido; clyſmata ex lacte, oleo; ptiſana nitrata: ſi dolor ſubito et ſine ratione ceſſauerit, licet pulſus bene ſe habere videatur, ſphacelus inteſtinorum, et mors in procinctu ſunt. In Enteritide veſicatoria abdomini applicanda ſuadet *Pringle*, quod peſſime ſucceſſit aliis.

4. *Enteritis meſenterica; Phlegmone meſenterii Proſper. Alpini* Medic. methodic. lib. 7. cap. 18. *Meſenterii inflammatio Sennert.* lib. 3. cap. 4. part. 3.

Difficillime diſtinguitur ab enteritide, quacum etiam ſaepe complicatur; dolor et tumor ad vmbilicalem regionem circiter adeſt profundus, alui excrementa aegre, aut minime, eiiciuntur; a clyſmatibus poſt primas feces nihil excernitur; febris eſt quando-

que mitis, nunc hemitritaea, nunc vehemens; vrina rubra eſt; os amarum, inappetentia, ſitis, vigilia, accedunt; aluus deinde excernit ſaniem rubram, imo ſi fides quibuſdam, vt *Alpino*, materies chyloſas.

Niſi reſoluatur inflammatio, in aegro ſuperſtite, accedit ſuppuratio meſenterii, tabes, aſcites purulentus, aliaque letifera mala.

5. *Enteritis enterocelica.* De *Meyzerey* lib. 2. n. 368. A.

Producitur hernia inteſtinali, ventrali, inguinali, aut alia quacumque. Curatur vt enterocele.

XVI. EPIPLOITIS; *Inflammation de l'Epiploon.*

Cognoſcitur ex febri inflammatoria cum dolore acuto, lancinante, per ſuperiorem et mediam abdominis regionem, infra tegumenta, in ipſo abdominis cauo, percepto.

1. *Epiploitis vera Fr. Roebman* diſſ. de omento.

Femina, febrifugis et pilulis acribus vſa, perſenſit dolorem acutum, lancinantem in abdomine, et durum in regione vmbilici; ea verſus hypochondrium dextrum pugni magnitudine eminentem tumorem percepit, qui, in dies auctus, totum abdominis ambitum occupauit. Chirurgus cataplaſmata emollientia admouit vnde intra triduum dolor et tumor imminuebantur; abdomen tamen inflatum et fluctuatio inibi, vt in aſcite, aderat, quocirca ope acus triquetrae vtrumque abdominis latus perforauit, tuncque cum putrida, ichoroſa, materies efflueret, continuo patentiorem apertionem inſtituit, vnde ſuppurati et ſeparati omenti fruſta cum foetore ingenti, et magna ichoroſae aquae quantitate, omnia libras duas pondere aequantia, per aliquot dies effluxere. Sed ars victa malo fuit, et aegra obiit.

[Sp. 2. *Epiploitis purulenta.*

Sp. 3. *Epiploitis ſeptica.* I. P. X. *Fauken* Abh. v. d. Faulfieb. p. 66. Comm Lipſ. vol. XIX. p. 291.

Sp. 4. *Epiploitis bilioſa putrida.* *Stoll* rat. med. T. 2. p.]

Similem omenti inflammati et corrupti, ex quo magna foetidi et aquoſi puris quantitas effluxit, ſimiliterque letalis hiſtoriam refert *Storchius* Act. Natur. Curioſ. vol. V. obſerv. 146. Hiſtoria cum apertura cadaueris videatur in anno medico *Storchii* cadauere 12. pag. 132. Laborabat quotidiana, tumore, grauatiuo-

que dolore epigaſtrii, omentum inuentum fuit quinque pollices craſſum, ſphaceloſumque. Conſulantur de his *Williſius* Pathol. cerebr. cap. 9. *Sennertus* Prax. lib. 3. part. 3. cap. 8.

Cura exigit initio phlebotomias, antiphlogiſtica; extus vero diſcutientia, emollientia; formato abſceſſu inciſionem, mundificantia, balſamica, cet.

XVII. Metritis, *Inflammatio vteri Sennert.* de morbis mulierum; *Hyſteritis* Pathologiae methodic. *Inflammation de la matrice*; *Mauriceau* libr. 3. chap. 11. Dicitur Metritis a *metra*, vtero.

Eſt phlegmaſia, cuius praecipuum ſymptoma eſt tumor regionis vteri cum ardore, dolore, grauitate, et pyrexia acuta.

Immiſſo in vaginam digito, os vteri tactum non tolerat, rubet, retractum eſt; pyrexia eſt continua, ſynochus ardens, quandoque amphimerina, lipyria, cum horrore perpetuo, frigore extremorum, delirio, iactatione; caput, potiſſimum vero ſinciput, dolet, necnon oculi; conuulſiones colli, manuum ac pedum accedunt.

Dolor ad inguina, femora, diaphragma, clauiculas extenditur cum dyſpnoea, pleuriticiſque ſymptomatis; accedit nauſea, vomitio, ſingultus, conſtipatio alui, iſchuria. Pulſus initio magnus, celer, deinde debilis, frequens; animi deliquium, extremorum refrigeratio, ſopor, aliaque grauiſſima ſymptomata, adiunguntur.

1. *Metritis puerperarum Mauriceau* lib. 3. chap. 11. *Puzos* pag. 252.

Cognoſcitur ex magna grauitate peluis, accedente tenſione vteri, eiuſque intumeſcentia, quae grauiditatem quandoque aemulatur. Adeſt mingendi, et alui deponendae, difficultas, febris ſimul magna, difficultas reſpirandi, ſuperuenit dein ſingultus, vomitio, conuulſio, delirium, et mors, niſi praeuertatur remediis.

Saepius praecedunt lochiorum ſuppreſſio, rudis contrectatio in difficili partu, ictus, compreſſio, laceratio a digitis, inſtrumentis, grumorum retentio, prolapſus, per vim repoſitus.

Hic morbus plurimas puerperas e medio tollit.

Febris in hac ſpecie eſt ſynochis affinis; ſi ab hyſterocele inuerſa procedat metritis poſt partum, cito reſtituenda eſt pars in priſtinum locum.

2. *Metritis typhodes; Fiévre maligne avec inflammation de l'uterus.*

Procedit vtplurimum a cauſſis internis, vt ſaburra putri, acri, metaſtaſi materiae eryſipelatoſae.

Cognoſcitur ex febri amphimerina, lipyria, ſeu incendio interno cum iactatione, anxietate, delirio, ſopore, lingua nigra, ſicca, ſimulque extremorum refrigeratione, pulſu frequenti, inaequali.

Hiſtoria. Mulier, triginta annos nata, tam acriter dolebat vulua, vagina, et potiſſimum vtero, vt nocte, dieque eiularet. Aderat pyrexia mediocris, et identidem leucorrhoea albeſcens, puriformis, et menorrhagia, cruore pellucido vel diluto ſtipata; hyſteralgiam vlceroſam ſuſpicabatur Medicus; interea vterus, a viris obſtetriciae artis peritis exploratus, ſcirrhi, vlceriſque erat expers, et tantum inflammatus, tenſus, dolens; repetitis itaque phlebotomiis, balneis, fomentis emollientibus, iuſculis refrigerantibus, noctu iulapiis narcoticis, horrendi illi dolores poſt duos tantum menſes ſanati ſunt: *Puzos* pag. 251. Ex hac hiſtoria ſequitur, metritidem ſub forma hyſteralgiae vlceroſae quandoque latere, atque in his morbis praemittendam ſemper eſſe vteri explorationem.

3. *Metritis lactea; Dèpot laiteux avec fiévre aiguë Puzo* Traité des accouchem. pag. 367. 2. Mem.

Eſt morbus acutus febrilis, meteoriſmo, vteri tenſione, dolore, lochiorum fluxu, ſiti, cephalalgia, delirio ſtipata cum torminibus vterinis.

Haec febris, ephemera lactea promtius, vel ſerius, accedit; atque vti haec ſtipatur ephidroſi, mammarum tenſione, abdominis mollitie; ita illa, linguae ſiccitatem, ſitim, cephalalgiam et delirium arceſſit, vel inſomnium, ſeu dormientis delirium; vterus leuiter manu preſſus dolet, licet vbertas lochiorum adſit, ſimulque abdomen tenſum eſt.

Hic morbus periculoſiſſimus eſt, breui plures puerperas aufert, et medendi methodus aegre ab adſtantibus admittitur; haec metritis quandoque partum antecedit, quandoque ſubſequitur.

Methodus medendi exigit magnas euacuationes per phlebotomiam, catharſin et diureſin, cum regimine victus tenuiſſimo.

Fruſtra mulierculae inſtant, adeſſe tantum ephemeram lacteam, hyſteralgiam puerperii; delirium a cerebri vacuitate, aut debilitate pendere, lochia recte fluere, nec eſſe turbandam naturam: morbus eſt phlogoſis vteri, et vti peripneumonia non ſoluitur per ſputum cruentum, ita nec metritis per lochia; lochiorum quantitas vulgaris ad quinque vel ſex uncias in die adſcendit; in metritide vero et enteritide, lacteis, multo plures vnciae ſanguinis mittendae ſunt, vt mors auertatur, et lactis in abdomen extrauaſatio, aut apoſtema lacteum, praeuertatur.

Cura. Si febris mediocris ſit, lochia, ſudores, lac mammarum rite fluant, nullus ſit meteoriſmus, nulla cephalalgia, maxime ſi aluus fluat, et bilioſa deiiciat, ſufficit, euacuationes illas ſuſtinere copioſo potu ptiſanae lenientis, clyſmatibus; et lochia iuuare infuſo theae, et ſimilium; verum ſi grauia ſint ſymptomata, mulier vegeta, plethorica, tunc repetitae et mature inſtitutae phlebotomiae, e brachio, dein e pede, neceſſariae ſunt ad lactis ſtaſin, et eius in abdomine effuſionem praeuertendam, vnde mors certa adueniret; qua de re conſulendus *Puzos*, ad quem referenda prima morborum lacteorum hiſtoria, generi humano perutilis.

De his vide *enteritidem lacteam*, *ſynocham lacteam*, cet., *hyſteralgiam*, cet. Sectis cadaueribus inuenitur materies lactea, vel fluxilis, vel grumoſa ad libram quandoque in abdomine effuſa, et hic morbus maximam puerperarum partem e medio tollit.

[4. *Metritis languida.* *Sagar.* ſp. 2. metrorrhagica. Syſt. aegr. T. I. pag. 329.

Metrorrhagiae immodicae pediſequa, typhus, tritaeophya, dyſuria, obſtipatio, dyslochia, deſiderium coitus, tetanus, catalepſis, paraphrenitis, hydrophobia, riſus, fletus, ſuſpiria. Leuamen, ſalus a reficientibus, nutrientibus.

5. *Metritis ſeptica.* *Sauv.* ſp. 2.

A placentae, fetus, aut capitis poſt partum retentione et corruptione.

α. *Sphacelus vteri prolapſi.* Journ. de med. Nov. 1766, pag. 458.

Exſtirpatio tolerata, ſuperata.

6. *Metritis catarrhoſa bilioſa.* *Wagler* l. c. p. 89.

7. *Metritis purulenta.* v. *Swieten* T. 4. p. 620 ſq. *Aſtruc.* m. mul. T. 3. c. 4. *Puzos* c. 4. *Muzell* obſ. 2. c. 2. 3. Huc *Sauv.* hyſteralg. Sp. 4. et leucorrh. ſp. 1. N. *Piſo* l. 3. c. 58. p. 836.

Metritis genuina non reſoluta, pyrexia exacerbans, ſubitaneae frigoris et caloris viciſſitudines, cutis punctiones, tumor et dolor obtuſus vteri, dolores capitis, ſyncipitis, ad ceruicem, oculorum radices, ad digitos pedum et manuum extenſi, ſudores nocturni, effluxus materiae foetidiſſimae, ſanioſae, cruentae ex vagina: aliquando pus per ſputa redditur. Eſt etiam ab vlcuſculis, fundi aut ceruicis vteri, inſtar aphtharum. Salus a ſero lactis atque iniectionibus balſamicis vterinis.

8. *Metritis venerea.*

a. *vlceroſa.* *Aſtruc* l. 4. c. 3. §. 9. *Plenck* m. ven. p. 119.

b. *ſcirrhoſa.* *Aſtruc* l. m. c.

9. *Metritis atrabilaria* v. hydrometr.

10. *Metritis ſcirrhoſa.*

11. *Metritis cancroſa.* Cancer vteri hanc conſtituit v. *Cancer.*

12. *Metritis traumatica.*

Per ictum, contuſionem, vulnus internum, rudem placentae ſolutionem, illata.]

XVIII. CYSTITIS; *Veſicae inflammatio Sennerti* lib. 3. pag. 8. S. 1. cap. 4. *Cyſtiphlogia de Meyzerey* Malad. des arm. *Inflammation de la Veſſie.*

Eſt phlegmaſia, cuius praecipua ſymptomata ſunt intumeſcentia oualis in pelui cum tenſione, dolore, tactum non tolerante, dyſuria, vel iſchuria et pyrexia continua; accedunt vigiliae, ſitis, delirium, extremorum frigus, tumoris durities, increſcens ab vrina, per moram congeſta, teneſmus.

1. *Cyſtitis ſpontanea* ſeu *plethorica.*

A cauſſis internis pendet, vt a plethora commota, vrinae acrimonia concurrente; cognoſcitur eo, quod non detur in externis ſufficiens huius ratio.

Curatur phlebotomiis, iteratis e brachio, fomentis emollientibus ex herbis maluae, violae, ſeminibus lini, radice althaeae; clyſmatibus ſimilibus; potu refrigerante nitroſo, emulſionato, anodynis.

2. *Cyſtitis a cantharidibus.*

Si ad libidinem excitandam, aut per infortunium, puluis cantharidum aſſumtus ſit ea doſi, vt cyſtitis ſuperueniat, adeſt grauis dyſuria, haematuria, priapiſmus; accedunt conuulſiones.

Praeter remedia cyſtitidis ſpontaneae, camphora intus ſumta, quae veneni huius acrimoniam infringit, emulſiones, ſemicupia, fomenta, conducunt.

3. *Cyſtitis traumatica.* [*Puzos* p. 137. Comm. Lipſ. vol. XV. p. 119.]

A principiis mechanicis excitatur, vt ictu, contuſione, vulnere, compreſſione, equitatione, imo calculi veſicae commotione, quae more aliarum inflammationum, et ſpecierum ſuperiorum curanda eſt.

[a. *a dyſtocia:* vbi collum veſicae inter oſſa pubis et caput infantis comprimitur.

Salus a phlebot. enemat. veſicat. c. camph.

4. *Cyſtitis verminoſa.* N. A. N. C. T. 5. obſ. 6.

5. *Cyſtitis purulenta.* *Cyſtophthoë.* Tulp. l. 3. obſ. 2. *Klein* int. cl. p. 253. *Boneti* ſep. T. 2. obſ. 20. p. 695. Act. Helv. vol. 2. p. 50. Journ. de med. Juill. 1766. p. 71.

A cyſtitide alia aut cyſtolithiaſi, citra nephropyuſin mictio vrinae cruentae, purulentae, foetidae, exhibentis craſſamentum viſcidum, albidum: niſi vrina in abdomen abierit, vbi dolor abdomin. acris, meteoriſmus, iſchuria, tetanus: macies ſumma, dolor ad hypogaſtrium, aut ſi eſt in collo veſicae, calor, tumor, dolor atrox in perinaeo, poſt dyſuriam, ſtranguriam, iſchuria, haematuria, pyuria, teneſmus, erectio penis frequens. Soluitur per vrinae iter, perinaeum, rectum. Grauior eſt illa ceruicis altera. Salus ab inciſione inteſtini recti et veſicae.

6. *Cyſtitis ſeroſa.* *Lentini* mem. p. 123 *Stoll* rheuma veſicae rat. med. T. 3. p. 103. Comm. Lipſ. vol. XV. p. 119.

Iſchuria, teneſmus, continuus et vehemens ſub micturitione dolor, pyrexia veſpertina. Salus a veſicat. ad part. adf. ſpir. minder. aut linim. volat. adhib.

7. *Cyſtitis ſarcomatica.* *Morgagni* de ſed. ep. LX.

Vuulae veſicae nomine inſigniunt ſpeciem ſarcomatis, ad veſicae ſphincterem enati, quod et naturale habent. Infert dyſuriam, iſchuriam cyſticam.

8. *Cyſtitis deuia.*

a. *a cyſtocele varia.* *Petit* ſyſt. aegr. T. 2. p. 475.]

ORDO QVARTVS.

PHLEGMASIAE PARENCHYMATOSAE.

SUNT illi morbi inflammatorii, qui ſedem habent in viſceribus farctis, non ſacciformibus, quae Graecis *parenchymata* dicebantur, teſte *Galeno*, Libr. 2. de ſimplici medic. *Parenchyma* enim eſt caro viſcerum farctorum, vt hepatis, renum, ſplenis, pulmonis; cetera vero viſcera ſunt mere membranacea, vt ſtomachus, inteſtina, veſica, cet.

Cognoſcuntur hae phlegmaſiae cognita ſede, figura, vſu viſceris, ſed etiam quod dolor non ſit acutus, niſi forte extima horum membrana magis afficiatur, vt in hepatitide, pleuritide, cet.: ſed dolor eſt grauatiuus, obtuſus cum ceteris phlegmaſiarum ſignis, vt pyrexia acuta, calore, aliisque; adde quod parenchymatoſae phlegmaſiae magis ad phlegmonem accedant, et ad ſuppuratum vergant; membranoſae magis eryſipelati ſint affines, et rarius ſuppurentur. Fatendum tamen, vtriuſque ordinis limites non ſatis eſſe diſtinctos, nec dari ſigna ſpecialia phlegmaſiae quorumdam viſcerum, vt thymi, medullae ſpinalis, pancreatis, cet.

XIX. CEPHALITIS; *Sphaceliſmus cerebri*, *Siriaſis*, Hippocratis; Vide *Amati Luſitani* Cur. 9; an *Sphacerus* aut *Sphalerus Galeni*, cit. in *Caſtelli* Lexicon; *Sideratio* Latinis; *Coma-cephalus Alex. Aphrodiſei* de Morb. III; *Apoplexia* Braſavoli; *Vlcus*, *cerebrum depaſcens*, Amati Luſitani; *Encephalonoſos* I. C. Rhumel; *Cerebri abſceſſus et ſphacelus River.* Pr. Lib. I. cap. 12; *Apoplexia purulenta Morgagni* ep. an. V. 2, 4, 7; *Inflammation du cerveau; Fiévre maligne cerebrale De Meyzerey Tom. 2. n.* 231.

Eſt phlegmaſia, in qua cum pyrexia acuta datur delirium ſomnolentum, vel mentis ſtupor et ſopor, cum crocidiſmo, ſeu carphologia. Crocidiſmus eſt motus manuum, qualis ad feſtucas, e veſtibus auellendas, aut muſcas venandas adhiberi ſolet.

Creditur excitari ille morbus ab inflammatione cerebri vel cerebelli, et reapſe hanc theoriam pluries confirmauit cadauerum ſectio.

Diſtinguitur a *lethargo* per acutiem, qua fit, vt fere intra triduum pereant aegri, ad ſummum decimo quarto die terminetur, et pyrexia ſit acuta. Ab *apoplexia* per pyrexiam et vagum motum manuum, ſeu carphologiam, vt alii vocant; a *phrenitide* per ſomnolentiam.

1. *Cephalitis Aegyptiaca; Dem el muia Proſp. Alpini* de med. Aegyptiorum; *Phlegmone cerebri* quam Aegyptii *dem el muia* vocant, *Proſper Alpin.* de Medic. method. lib. 7. cap. 6. a *dem* ſanguis et *muia* aqua.

Phrenitidi ſimilis eſt morbus, qui ſingulis fere annis Aegypti populos, campſinis ventis ſpirantibus, in prima aeſtate diuexat, aliquando non minorem ſtragem faciens, quam ſi magna peſtilentia eſſet; hoc enim affectu, quem *dem el muia* Aegyptii appellant, innumeri repente eodem tempore moriuntur: noſque ipſum in magna ciuitate Cayri epidemice graſſantem anno 1583 menſe Maio obſeruauimus: innumeri enim tunc temporis per vniuerſam ciuitatem quaſi repentina morte moriebantur. In iis praecedit capitis dolor cum vigilia per aliquot dies, ante non admodum grauis, et poſtea in alterò oculorum angulo interno, exilis quidem tumor rubens, efflorefcens, apparet, quaſi exinde eryſipelas ſit futurum, qui tumor paulo poſt, ſpatio ſcilicet duarum aut trium horarum ad ſummum, intro recurrit, atque euaneſcit; a quo fere continuo homines obtumeſcunt, atque manibus deliria facientes, apoplecticorum more, exſtinguuntur.

Venti campſini ſunt calidiſſimi; regimen Aegyptiorum putredinem ſimul ſaepius arceſſit, inde morbus.

Curatio conſiſtit in repetitis phlebotomiis cum dolor capitis adoritur; prima vel ſecunda die, ſanguinis ſaltem libram qualibet vice extrahunt praemiſſo clyſmate laxatorio; in Eunuchis ſcarificantur crura, admouentur cucurbitulae humidae; iterantur etiam phlebotomiae, et his praemiſſis balneum vaporarium ingreſſi aegri ſudant et calida lauantur; aliqui poſt ſanguinis euacuationem in balneo aſſumunt decoctum liquiritiae et modici ſeminis foeniculorum, quo vomere plurimum coguntur; quo facto per horam ſudant; ea praeſidia ſtatim adhibita plures a morte praeſeruant: *P. Alpinus*.

Legi meretur cephalitis, quam expertus eſt D. *le Blanc* ab intenſo fornacum calore, quaeque otorrhoea purulenta terminata fuit, poſt tres menſes; relatio ab ipſo aegro tradita eſt *Journ.*

de Med. Sept. 1762; aderat cephalalgia atrox, mox conuulſiones, carphologia, conatus ad laceranda, rumpenda obuia, intumeſcentia capitis, agrypnia.

2. *Cephalitis traumatica*; vide *River.* pag. 29. cap. 12. *Abſceſſus cerebri* Schenckii; vide *fracturam cranii* apud *Heiſter* in Chirurgia.

A cranii fractura, intropreſſione, vel commotione cerebri pendet; vnde fit ſtaſis ſanguinis in cerebri ſubſtantia, proindeque cerebri inflammatio.

Memini me intereſſe aperturae cadaueris hominis, qui ſeptimo die morbi periit; is in occiput ceciderat et inde factus ſoporoſus, per totum hoc tempus febri et obſcuro delirio detentus fuerat, continuo ſcilicet labiis quiddam obmurmurans, et manibus floccos ſtragulorum auellens; detracto cranio inueni in cerebelli ipſius ſubſtantia vlcus digiti diametro, et fere pollicis longitudine, pure refertum; hoc obſeruaui cum *D. Serane patre* in Noſocomio Sancti Eloei. Signa inflammati cerebri a contuſione refert *Riverius.* Initio capitis torpor, moeſtitia, dein febricula, dolor, ſomnolentia, mox febris intenſior, aeger e profundo ſomno emergens vociferatur, ſurgit e lecto, manum ad caput frequenter adducit, cet.

3. *Cephalitis ſpontanea*; *Phrenitis hectica Hippocrat.* l. 1. Prorrhetic. text. 33. *Morbus ſolſtitialis Plauti* Trin. *Cerebri abſceſſus et ſphacelus Riverii* prax. pag. 28.

Inuadente affectu ingens capitis dolor aegrum adoritur, qui per occiput collo et vniuerſae ſpinae communicatur, cui ſuccedit ſenſuum omnium abolitio, ſicut in apoplexia contingit, a qua tamen diſcrepat in eo, quod variis motibus et inordinatis ſeſe aegri exagitant, vt vix in vno loco contineri valeant; manibus interdum partes ſuperiores inuadunt, eaſque diuellere ac laniare conantur; at procedente morbo corpus langueſcit, et ad motum impotens efficitur. Febris acutiſſima et intenſiſſima hunc perpetuo comitatur affectum, et ab ingenti cerebri inflammatione procedit, denique aegri vix quidquam deglutiunt.

Quibus cerebrum ſphacelatum eſt, hi in tribus diebus pereunt; ſi vero hos euaſerint, ſani fiunt. *Hippocr.* Aphor. 51. ſect. 7.

Phrenitidem hecticam vocat *Hippocrates* eam, in qua delirium mite eſt et obſcurum, aegri non loquuntur, quieti manent, et dormire videntur; qui morbus vera cephalitis eſt.

Magna puris copia per os, nares, et aures reiecta liberari hos aegros, obſeruatum eſt, memorante *Schenckio*. Vide *Dodonaei* obſeruat. medic. cap. 1. et 2. *Boneti* Sepulchret. pag. 196. obſ. 18, et alibi horum morborum hiſtorias relatas.

4. *Cephalitis Siriaſis; Ardor capitis Plinii* lib. 2. cap. 3. *Siriaſis Aetii* Tetrabil. 1. ſerm. 4. c. 13. *Cauma* Alexandri. Trall.

Morbus eſt infantibus proprius, qui cognoſcitur ex ſyncipitis calore, eiusque et oculorum depreſſione, ſeu fouea, rubedine faciei, febri ardenti et pallore, corporis ſiccitate, proſtrato appetitu, et vigiliis; produci cenſetur a cerebri eiuſque meningum inflammatione, et iuxta plures Auctores eſt veluti phrenitis comatoſa, adeoque cephalitis. Qui cum obſeruarunt, accuratius deſcribant. [An idem eſt, quod recentiores ſub hydrocephali interni nomine deſcribunt, q. v.?]

5. *Cephalitis Littriana*.

Inflammationem glandulae pinealis obſeruauit *Littre*, et morbum, ab ea pendentem, deſcripturum ſe promiſit Mem. de l'Acad. de Sc.; ſed ea deſcriptio adhucdum deſideratur. In ea glandula ſaepius inuentae ſunt concretiones calculoſae abſque vllo functionum animae detrimento.

6. *Cephalitis neruoſa, epidemica anno* 1510, vulgo *Coqueluche*; *Mezeray*, hiſt. de France ſous Louis XII. *Typhus Carcerum Pringle* T. 2. Cap. 6. §. 4.

Erat febris continua ardens, anorexia cum horrore carnium, delirium, gaſtrodynia, nephralgia, dolor ſurarum et cephalalgia grauatiua (noſtris vero temporibus nomine *coqueluche* catarrhum deſignant.) Similem morbum refert *Riuerius* centur. 2. obſ. 63 et 73, febris malignae nomine, cui circa vndecimum, alias vero ſeptimum morbi diem, ſuperuenere delirium, ſubſultus tendinum, leipopſychia, lentores nigri circa dentes, lingua ſcabra, nigra, exuſta.

His praeter remedia generalia profuere quinque veſicatoria, brachiis, ſuris, vel ceruici applicata, deinde iulapium ex aquis cardui benedicti, vnc. iij. aqua theriacali, dragm. iij. bezoartic. mineral., ſcrupul. ij. et camphorae, gr. vi: quod iulapium mane ſero per biduum repetebatur, atque cuilibet iuſculo bezoartici mineralis ſcrupulus vnus addebatur; praemiſſa vero fuit ſectio venae frontis.

Singularem huius morbi epidemiam narrat *Petrus Borellus Caſtrenſis* obſ. 55. pag. 60. Alii aegri putabant, ſe ora tria ha-

bere, alii vero pedes, manuſue amiſiſſe, plurimi ſagarum choreas et conuentus daemonum ſibi videre videbantur, quia hoc ſaeculo ea vigebat opinio, hodie vix plebis fidem extorquens.

7. *Cephalitis verminoſa; Febris peſtilens*, quae Gallis *Trouſſegalant*, *Foreſti* obſ. 7. lib. 6. pag. 156.

Ea fuit epidemica apud Gallos anno 1545, et fortiores iuuenes e medio abſtulit, vnde nomen.

Febris erat amphimerina, veſpere quouis exacerbans, aut continua erat vigilia, quae aegrum ad phrenitidem deducebat, aut continuus ſopor, qui in lethargum tranſibat; dolor plerumque capitis adeſt in principio et renum calor cum laſſitudine. Maxima eſt vermium copia, qui viui per os euomuntur non ſine magno cruciatu, ita vt fere ſtrangulari aegri videantur; pleriſque exanthemata erumpunt, quae in declinatione apparentia ſalutaria ſunt.

Cura. Nihil praeſtantius eſt, quam phlebotomia larga repetita; ſcilicet ſanguinis octodecim vnciae in viris, libra vna in mulieribus, extrahebatur; cucurbitulis etiam ſcarificatis libra ſanguinis extrahebatur e natibus, ſcapulis; dein cum minoratiuis purgabatur aeger, tum apozemata refrigerantia, potus vermifugi adhibebantur. Morbus hic quarto die vtplurimum, rarius vndecimo, terminatur.

8. *Cephalitis ſuppuratoria* ſeu *cerebelli.* Vide *Pringle* T. 2. pag. 71.

D. Privat Medic. Monſpel. ſequentia in milite obſeruauit. Morbus a graui cephalalgia inceperat, inde in ſoporem caroticum altiſſimum aeger incidit, in quo ſupinus iacens, oculis apertis et irretortis, cum pulſu aequali, valido, ſano ſimili vt et reſpiratione, atque continua carphologia, demum poſt quinque dies ab initio ſoporis obiit. Secto cranio nihil aliud inuentum eſt, niſi abſceſſus auellanae magnitudine in cerebello; haec anno 1757.

[9. *Cephalitis bilioſa.* Eryſipelas cerebri *Paulli Aegin.* l. 3. c. 8.]

XX. CYNANCHE; *Squinantia* Gordon. Lil.; *Prunella* Paracelſi; *Angina inflammatoria*, *Boerhaave* Aphor.; *Eſquinancie*, *Trouſſegalant*, *Etranguillon*, in equis *les Avives*, Soleyſel. [*Angina* ab angendo. *Paracynanche. Paraſynanche* Graec. *Mal de Gorge Angine.*]

Phlegmaſia acuta, cuius praecipuum ſymptoma eſt ſenſus obicis in faucibus praefocantis, aut dyſpnoeam atque dyſphagiam producentis, cum pyrexia acuta, faucium rubore, calore, dolore, tumore cet.

Licet in Scholis laryngis, aut pharyngis, inflammatio tantum incuſentur, docet obſeruatio, fere ſemper in cynanche inflammari tonſillas, aliquando ſimul vuulam, velumque palatinum.

Falſum eſt, anguſtiam laryngis ſemper eſſe eſſentialem anginae, cum non ſit eſſentialis difficultati reſpirandi ad guttur relatae; etenim ſi quoquo modo reſiſtant organa reſpirationis in gutture poſita, ſeu ſi doleant, rigeant, cum ad reſpirationem ſiue tacitam, ſiue velocem, et loquelam, moueri debeant, inde difficilis erit reſpiratio cum ſenſu moleſto in gutture; ſic anginae frequentiſſimae ſunt in tonſillis, et velo palatino, intacta larynge.

Anginam non ſemper comitatur reſpiratio frequens; quandoque pacatiſſima eſt, niſi quod doleant organa inter loquendum, clamandum, ridendum, aut fortius reſpirandum.

Differt cynanche ab angina, vt phrenitis a mania, nephritis a nephralgia, quod cynanche ſit cum febri, angina vero huius expers ſit.

[Iam ſi tot locorum memineris, vbi *Sauvag.* noluit febris abſentia, aut praeſentia, ſeu plus et minus, morbi denominationem alterare, indeque *aegritudines apyretas* propoſuit, non capies, cur anginam a cynanche diuellens, illam in claſſe quinta anhelationum dederit. Iure itaque cum *Culleno* connexionem inter vtramque aegritudinem reſtituo, ita tamen, vt adiungam Auct. d. de angina propoſitis de cynanche, noſtra ſimul adiungens. Cf. etiam ſyſt. aegr. T. I. p. 96 ſq.]

[*Cynanche Loweriana*, *Angine oedemateuſe Boerhaave.*

Anginae eſt ſpecies artificialis a *Lowero* inſtituta *lib. de corde cap. 2. pag.* 123. quaeque ad theoriam huius morbi illuſtrandam multum confert; venas ſcilicet iugulares filo ligabat in cane viuo, poſt aliquot horas partes omnes ſupra ligaturam mire intumuerunt, et intra biduum canis angina ſuffocatus eſt; per totum illud tempus lacrimae, ſaliua vbertim effluebant, ptyaliſmi mercurialis inſtar; poſt mortem canis cutim a partibus tumefactis ſeparans, miratus eſt *Lowerus*, minime rubere partes turgidas, et tumidas, ſed muſculos et glandulas ſero pellucido tantum eſſe diſtenſas.

Hoc experimento docemur, qui agendum ſit in angina, quam excitat venarum, collo vicinarum, compreſſio, facta ab ſcirrho, ſteatomate, ſtruma, hygromate, calculo adnato, quorum exempla videſis apud *van Swieten n.* 793. *de angina aquoſa;* ea enim agunt vti ligatura *Loweri:* cum enim in venis ſanguis liberrime fluit, tunc vix agit in oſcula venarum lymphaticarum ex vena oriundarum, parciuſque lympha ea ſubit; aſt retardato motu progreſſiuo cruoris, tunc ille cruor latera, verſus quae diffluit, fortius diſtendit, oſcula lymphaticorum diducit, vnde et lympha ea vberius ſubit, diſtendit, quae omnia, ſublata ligatura aut reſiſtentia, ſolent euaneſcere; angina autem illa dicitur oedematoſa, cum oedemate tument partes externae, membrana ſcilicet adipoſa cutis loco adipis copioſam lympham, aut ſerum perſpirabile retentum excipiente; ideo vero fiunt illa oedemata, quia retardato motu progreſſiuo cruoris, vt accidit chloroticis, preſſio lateralis ſanguinis in parietes venarum et arteriarum adaugetur, vt in angina *Loweriana;* atque vt ea oedemata praeuertantur, nihil eſt aptius, quam vt martialibus, millepedibus et exercitio, ſanguinis viſcoſitas ſoluatur, fluxilitas ei concilietur, roburque vaſis reſtituatur; ſudorifica, fomenta reſoluentia, ſpirituoſa, fumi aromatici extus in eumdem finem conſpirant.]

1. *Cynanche tonſillaris; Synanche* Graecorum: *Anginae* 5ª. *ſpecies Boerhaave* n° 805; *Eſquinancie ordinaire.*

Ea eſt ſpecies, in qua vtraque, vel alterutra, tonſilla tumet, rubet, dolet cum viciniae infarctu, vuulae elongatione, tumore, veli palatini etiam inflammatione, quae omnia, depreſſa ope cochlearis lingua, facile in conſpectum veniunt. Huius autem varietates ſunt cynanche catarrhalis, cynanche ſanguinea, vel pura, vel cynanche ſynochalis, ſiue cum febre putri coniuncta.

Reſpiratio eſt incommoda, difficilis, per nares nulla, vel parua, per fauces anguſta, niſi pluries aeger hunc morbum paſſus ſit; nam obſeruant, prima vice cynanchen eſſe grauiorem, quam ſequentibus, maxime ſi prima vice reſecta fuerit, vel ſuppurata alterutra tonſilla; cibi deglutiendi per os redeunt, exſcreatio frequens eſt et mucoſa, viſcida, dolor in aurem per tubam Euſtachianam protenſus, crepitatio in aure inter deglutiendum, ſurditas etiam accedit.

Catarrhalis originem ducit a frigore ſuſcepto, calente corpore, et adoritur cum coryza, ſternutatione, tuſſi, dein, vt vulgo

aiunt, deſcendit fluxio ad pectus, et remittente cynanche accedit rheuma, ſeu tuſſis acrior, dyſpnoea maior, expectoratio viſcoſa; febris vero non ita acuta eſt, minuſque grauia ſunt ſymptomata. Vide *Anginam Claudini* Conſil. 115. pag. 275.

Sanguinea, vel plethorica, a metaſtaſi ſanguinis copioſioris in tonſillas excitatur, a clamore, equitatione, vento aduerſo facta; labore valido, vento per feneſtrae rimas illapſo, inter ver et aeſtatem potiſſimum; cognoſcitur ex temperamento, praegreſſis, defectu ſignorum catarrhalis et ſynochalis.

Synochalis incipit ab horrore et frigore ſine cauſſa externa, deinde dolent fauces, ſaliua vix deglutiri poteſt, febris accedit magna cum tuſſi, dyſpnoea, dyſphagia; lingua eſt alba, ſordida, adeſt inappetentia, ſaepe nauſea, a tuſſi et anacatharſi creſcens, prauus in ore ſapor, cardialgia, ventriculi grauitas, febris exacerbatio, capitis grauitas; in hac ſpecie etiam phlebotomiae repetitae conueniunt, pauciores tamen, quam in ſanguinea, vberiores, quam in catarrhali; verum poſt duas, vel tres, phlebotomias nihil eſt vtilius, niſi vomitionem tartaro ſtibiato excitare, etenim inde tam vber fit pituitae viſcidae e faucibus expreſſio, etiam ante vomitionem, vt illico a vomitorii actione guttur liberari, vel ſubleuari, videatur, ſaltem fomes febris foras eiicitur; vnde cum altera phlebotomia et ſubſequente catharſi breui aeger conualeſcit.

Interea in omnibus ſpeciebus gargariſmata repercutientia, aut deterſiua, conueniunt, vt decoctum hordei cum ſyrupo de moris, de malis granatis; baccae rhois, ſumach, nitrum, ſal prunellae, mel roſaceum etiam in gargariſmatis vſurpantur; in catarrhali tamen aqua vitae optime reſoluit in ore volutata.

In cynanche omni praeſtans remedium, teſte *Pringle*, eſt pannos laneos in anaticis olei communis et ſpiritus cornu cerui partibus immerſos collo circumducere et fotum quarta quauis hora renouare, vnde ſudor, qui praemiſſa phlebotomia inflammationem vel aufert, vel minuit. Gargariſmata ex decocto ficuum in lacte addito ſpiritu ſalis ammoniaci optima ſunt.

2. *Cynanche epidemica; morbus epidemicus Coqueluche* vulgo dictus. *River.* obſerv. 9. pag. 136. *Febris anginoſa, Huxham* l. I. p. 92.

Immaniter diſcrepat hic morbus a cephalitide, quae *Coqueluche* dicebatur olim ex *Mezeray*.

Illa cynanche anno 1557 menſe Iulio Galliam Narbonenſem affecit, plures e medio abſtulit intra paucos dies; erat tuſſis, faucium aſperitas, feruensque inflammatio, febris continua, grauis dolor capitis, tuſſis ferina, ex qua peruigilium, renum et lumborum dolor aſſiduus, coryza perpetua.

Curabatur phlebotomia, bechicis, ſuperueniente ſudore foetido; ceteri ob fauces cibis imperuias, non ſatis cito adhibitis auxiliis, febri et inedia conſumti ad interitum pergebant; catharſis vero lenis ex manna et caſſia indicabatur.

3. *Cynanche maligna Panaroli* Pentecoſt. 5.

Angina epidemica maligna ea eſt, quae cum tritaeophya, aut hemitritaeo, malignis, coniungitur, cum paroxyſmis praelongis: ea, *Hartmanno* et *Lindano* teſtibus, valde periculoſa et ſaepius letalis eſt; forte eadem, ac *Cynanche contagioſa* Strauſii; *Angina peſtilens, in capite fomitem habens Boneti* Polyalth.; *Tonſillae peſtilentes* Aëtii; *Laqueus gutturis; Vlcus Syriacum* Aretaei; *Garrotillo* Hiſpanis; *Paedancone* Graecis quibuſdam; *Angina ſicca Hippocratis I. Prognoſt.* ſec. *Severinum* ea ſpecies cognoſcitur ex carbunculo, linguae baſim et laryngem afficiente. Ea infantibus funeſtiſſima, vnde paedancone, ſeu infantum ſtrangulatrix dicta. In cadauerum cerebro reperiuntur puſtulae liuidae.

Haec ſpecies ante triginta annos epidemica fuit circa Nemauſum, maxime inter boues; atque etiam aliquot homines infecit: bobus lingua ad radicem exeſa decidebat, omnibus ſummum remedium fuit, anthracem moneta argentea vel cochleari deradere, et deterſiuo gargariſmate eluere; allium, piper, ſal, et ſimilia, in gargariſmate adhibebantur: an haec ſpecies a duabus ſequentibus diuerſa ſit, iudicent Autoptae. *Collect. Acad. T.* 2. *pag.* 295.

a. *Cynanche vlceroſa Vandermonde* 1758. *pag.* 557. *Mal de gorge gangréneux* D. *Boucler.*

Debilitas magna, pulſatio temporum, amphimerina acuta, a catharticis deiectiones ſeroſae, ſtillae ſanguinis ex naribus, catamenia intermixta, dolor gutturis, velum palati rubrum, pulſus debilis, eſcharae griſeae vtrinque in omnibus fornicis palatinae oris rubris ſumme ſenſibilibus; eſcharae creſcunt inuitis omnibus gargariſmatis, excepto gargariſmate *D. Raulin.* Diſſolue ſalis ſaturni ſcrupulum in aquae plantaginis vnciis duabus, et ex lino carpto tange eſcharas pluries in die, inde vlceris imminutio et

conſolidatio. Siſtitur ſubito hic morbus ſi ſexies in die penicillo tangantur hae eſcharae tincto in mellis roſacei ſemi-uncia, cum ſpiritus ſalis gutt. XX; ſit pro gargariſmate infuſum florum ſambuci, quod etiam pro potu vtatur. *van Swieten.*

b. *Cynanche gangraenoſa* D. *Marteau* Journ. de Med. Mars 1756. *Maux de gorge malins et gangréneux Huxham.* Journal de Med. Octob. 1757. *Contagioſa peſtilenſque Cynanche*, diſſert. D. *de Rabours* de vlcere tonſillarum 1749.

Praeludium varium. Vulgo calor et horror, capitis grauitas et dolor, dolor gutturis, raucitas, tuſſicula ſubitanea, magnaque aſthenia, magna pectoris oppreſſio et debilitas, infantibus nauſea et teneſmus; pulſus in omnibus paruus, celer, agitatus; vrinae pallidae, crudae, adultis tamen ſaepe coloratae, paucae, turbidae; oculi graues, ſubrubri, ſublacrimoſi. Facies plena, turgidula, viuida, raro pallida, depreſſa. Nocte omnia creſcebant ſymptomata, febris peior, paroxyſmus quouis veſpere accedens per totum morbum, cum delirio ſaepe improuiſo. Citius ſeriuſue amygdalarum, parotidum, maxillarum, tumor ſaepe ſubitus, quandoque ſtrangulatorius, oris calor ſubito cramaeſinus, maculae in fundo oris ſubalbae, velociter extenſae, vlcera ſcilicet vuulam, amygdalaſue depaſcentia. Lingua alba et humida in apice, ſaburra craſſa, brunnea vel flaua in radice. Anhelitus primum iniucundus, gradatim foetidiſſimus. Secunda vel tertia die exacerbantur ſymptomata, febris intenſior; ſed poſt triginta vel quadraginta horas ſedabantur, excepto peruigilio, dyſphagia, anxietate, quae creſcebant. Vertigines, dolores, grauitates capitis ſaepius cum delirio, vel phrenitico, vel ſtupido, et muſſitatione. Cutis calida, ſicca, aſpera, cum ephidroſi, vrinae vt initio, nauſea, diarrhoea praeſertim infantibus accedebant. Reſpiratio multo difficilior cum graui ſtertore orthopnoico, voce rauca, caua, ipſis propria. Quarta, quintaue die ſputa mucoſa, foetida, purulenta, ſanguinolenta vel liuida, et abominabilia. Pluribus nares inflammatae, excoriatae, ichore cauſtico corrodente genas, manus, potiſſimum in infantibus, vnde in illis ſternutamenta. Suppreſſo oris vel narium effluxu infantes ſubito moriebantur, hoc deglutito veneno tormina, dyſenteriae, ano et natibus intactis. Trachea arteria carioſa, tunicis tuſſi reiectis, aegri hectica conficiebantur, ſaepe peripneumonia inde oborta e medio tollebantur. Circa tertiam diem circiter eruptio cutanea,

vel cramaeſina et eryſipelatoſa in pectore, brachiis, quae ſucco ſrambeſiae, ſeu vino, tincta videbantur, quandoque puſtulae in facie, ſaltem pruritus et deſquammatio furfuracea, eruptio, ſaepius aegros ſubleuabat. Eruptio brunnea, liuida, ſubitoue euaneſcens peſſima; tunc enim purpura nigra, vrinae limpidae, conuulſiones, orthopnoea, ſuperueniebant. Morbi vigor quinta vel ſexta die, in pueris, tardius paulo in adultis, mors peripneumonica, vel comatoſa, vel phthiſica, vel hectica. Pulſus tardus, aequalis, eſcharae gutturis facile eiectae, vlcera deterſa ſeu rubra, oculi viuidi, reſpiratio liberior praenunciabant ſudorem, vel vrinas turbidas, craſſas, furfuroſas, vel anacatharſin copioſam, vel deſquammationem vniuerſalem epidermidis, et ſalutem. Si horrores reuertantur; ſi exanthemata ſubito retrocedant, liueſcant; ſi pulſus paruus, viuidus, cutis vrens, ſicca, reſpiratio difficilis, oculi mortui, vrinae pallidae, limpidae; ſi phrenitis, vel carus, cum ſudore frigido, viſcoſo faciei, tunc ſingultus, ſtrangulatio, facies oedematoſa, lucens et unctuoſa, obtutus cadaueroſus, mors, accedunt. Vnica phlebotomia quandoque vtilis, ſecunda perniciosa ſemper; cruor primae phlebotomiae cruſta tenaci plumbea obductus, infra vt in ſecunda gelatinoſus, virideſcens, vel nigricans, minime ſeroſus, molliſſimo thrombo diſſolutioni proximus. Apertura cadauerum cruorem putrem, diſſolutum, ſphacelatumque in viſceribus oſtendebat. De hac ſpecie ſcripſit *D. Serane pater in Act. Societ. Monſp.*

Cura vergit ad corrigendam ſanguinis putredinem per antiſeptica calida, non tamen per ſalia alkalina. Ordiebar a clyſmate emollienti, raro vnicam phlebotomiam adhibui; cathartica leniſſima adhibebam, ſi forent indicata initio, quod rarum; ſaepius in declinatione purgabam; initio tamen vbi nauſea erat, oxymel ſcilliticum, vel aliud lene emeticum, cynanchica ſymptomata mire ſubleuabat.

Statim ab his euacuationibus ſumebatur potio Riuerii cum pauxillo contrayeruae, camphora etiam adultis proderat; ſecunda, vel tertia, die addebatur leuis kinkinae tinctura. His eruptioni et ſudori proſpiciebatur, in hunc etiam finem leuia diaphoretica cum decocto hordei ſumebantur. Si ſudores foetidi forent, addebam tincturae kinkinae elixirium vitrioli, vel offerebam aquam cum vino, et ſucco limonum: os aſſidue detergendum decocto ficuum, roſarum, cum myrrha et melle, ſpiritu vitrioli et muci-

laginoſis: vapor ex decocto ſyſimbrii vel cochleariae, roſarum, chamaemeli, cum myrrha et camphora in aceto naribus excipiebatur, epiſpaſtica parotidibus admouebantur, vel pone aures fomenta emollientia.

4. *Cynanche exanthematica, Winkleri*; Collect. Acad. tom. 3. obſ. 42. *Angina varioloſa Sydenhami* pag. 659 ſq. 664. 696; *Angina morbilloſa Sydenh.* pag. 144. *Morton.* de Morbillis. [Auct. ang. ſp. 12. Symptomat. *Fr. Hoffmanni.* §. 8.]

Cynanche varioloſa tunc accedit, cum variolae vel ſuppuratae, vel exſiccationi proximae, ſunt, ſcilicet circa vndecimum ab inuaſione diem; [At caue, ne peripneumoniam cum typho pro hac habeas, et iniectionibus, et cataplaſmatibus fidas, potius in anguſto ſpes eſt ſaepiſſime, et vidi, ſero arceſſitus in ſubiectis neglectis, aut debilioribus, ſuppuratione, vermium praeſentia, aliisue, cohibita, mortem mox ſuperuenturam. Veſicatoria aliaque minus vtilia viſa, quam exſpectares.] tunc ob puſtulas narium poſticarum, et veli palatini, iuſcula deglutienda per nares reuertuntur, mucus exſiccatus exſcreari non poteſt, adeſt difficultas reſpirandi, anguſtia in faucibus, febrisque ſecundaria in confluentibus accedit. Interea quotquot vndec. die in variola moriuntur, fere hoc ſymptomate iugulantur.

Nihil eſt conuenientius quam gargariſma ex decocto hordei cum melle roſaceo ope ſyringae in os et nares iniicere, vt omnia emolliantur, et liberentur aegri. [His ſimul polypum narium per tres annos in faucibus detentum, et reſpirationem difficilem, iam ſub variola cynanchen augentem, ſuſtuli, qui aequabat linguam ipſius ſubiecti 7. annor.]

Angina vero morbilloſa etiam et maxime ante papularum eruptionem accidit cum voce rauca, tuſſi ſicca, valde importuna, coryza, oculis lacrimoſis, reſpirandi et deglutiendi difficultate, ob infarctum faucium a materie papularum exituriente. Praeſtant autem maxime eclegmata et ptiſanae edulcorantes, quae in rubeolae curatione laudantur.

De *Cynanche miliari* ante eruptionem paucis agit *D. Allioni* in tractatu de morbo miliarium: ea vero accedente eruptione ſolet euaneſcere. In Cynanche ſcarlatinoſa et morbilloſa *Brogiani Prof. Piſanus* libr. de Venenis pag. 101 horrorem potus hydrophobicum obſeruauit ſaluis aegris.

5. *Cynanche trachealis*; *Cynanche vera* Graecorum et *Cynanche laryngea*; *Angina canina Zacuti Luſitani* lib. 1. Obſ. 88; *Anginae* 1ª *ſpecies Boerhaave* Aph. 801.

Si ſola trachea, illaeſis aliis, in interna ſua membrana muſculoſa inflammetur, tum oritur ibi tumor, calor, dolor, febris acuta, calida: ceterum externa ſigna nulla; vox acuta, clangoſa, ſibilans; inſpiratio acute dolens, reſpiratio parua, frequens, erecta cum ſummo molimine; hinc circulatio ſanguinis per pulmones difficilis, pulſus mire et cito vacillans, anguſtiae ſummae, cita mors; eſtque haec vna ex iis, quae funeſtiſſimae, nec externa dant ſigna; quo vero propius glottidi et epiglottidi malum, eo ſane magis letale. Cum vero ipſius laryngis muſculis inſidet inflammatio, maxime ſi interna fuerit, dolor in eleuatione laryngis ad deglutitionem ingens, auctus inter loquendum ac vociferandum, vox acutiſſima, ſtridula, citiſſima cum ſummis anguſtiis mors; ea varietas eſt trachealis omnium peſſima.

De hac vide *Dodonaei* obſerv. c. 18, *Tulpii* libr. 1. cap. 51 Greg. Horſtium cet.

6. *Cynanche pharyngea*, *Paraſynanche* Graecorum; *Dyſphagia inflammatoria*; *quarta ſpecies anginae Boerhaave* n° 804.

Quando ſola pharynx inflammatur, ſigna ſpecifica ſunt inſpectis faucibus apparentia: reſpiratio ſatis commoda, deglutitio dolens, impoſſibilis, materies deglutienda per nares rediens; eadem in aſperam arteriam pulſa, et tuſſim violentam excitans; hinc defectus cibi, potusque ingerendi, exſiccatio et exaſperatio omnium humorum in corpore, febris non adeo intenſa, maior morbi duratio, ante illatam mortem.

7. *Cynanche thymica Boneti* Sepulchret. obſervat. II. pag. 478.

Ea eſt ſpecies rara, quae a thymi inflammatione procedit; a thymo premitur oeſophagus et trachea, tumor eſt ad imam colli partem iuxta ſternum, deglutita vomitione reiiciuntur, in faucibus nulla mutatio.

8. *Cynanche hepatica Guarinonii* conſil. 161: *Angina, ſalua larynge, a iecore corrupto ortum ducens Boneti* Sepulchret.: *les Avives* equis.

Qui angina ſtrangulatus viſus eſt, loco laryngis nihil praeter naturam obtulit, ſed iecur ipſum putrefactum, adeo, vt qua-

ſi gleba diſſolueretur, nimirum quod abundantia, ex ea putredine, exeuntium halituum et ichorum laryngem ſic conſtringeret; aeger ſpatio triginta horarum exſtinctus eſt.

Hic morbus equis eſt familiaris, cum aeſtuantes in aquam deducti ſunt; intumeſcunt tamen illis glandulae colli, et plerumque intra biduum intereunt; ſed iecur, obſeruante *Gliſſonio*, in illis reperitur prae putredine omnino diſſolutum.

9. *Cynanche a deglutitis; Angina ſpuria* Ettmülleri. Vide *Dyſphagiam*.

10. *Cynanche dyſarthritica; Angina arthritica Muſgraue* cap. 13.

Poſt arthritidis regularis paroxyſmum, ex eodem aeſtu febrili, cum articulorum dolore fugaci, aggreditur, facile in abſceſſum deſinit cum copioſo pure, et vices arthritidis explet, vnde aeger ab arthritide diutius immunis viuit; demum, repulſa eius materie, ſuperuenit arthritis.

Febris antecedit vehemens, fere ardens; ſequitur faucium dolor, tumor phlegmonodes; degluticndi, ſpirandique difficultas tanta, vt biduo quandoque impoſſibile ſit, quidquam deglutire; ſaliua affatim emanat, aluus adſtricta eſt, ſanguis in patella coriaceus eſt.

Cura. Humores e corpore euocandi ope phlebotomiae, purgationis, gargariſmatum, veſicatoriorum, vt in cynanche vulgari; verum vt e parte affecta reuellantur, et in artubus deponantur, enitendum eſt, in quo ab aliarum cura huius curatio diſcrepat; in quem finem deſinente morbo ſuadetur vſus pomacei, vini albi aut rhenani, praemiſſa catharſi; ea enim dolorem articularem arceſſunt; articulo prius dolenti apponitur emplaſtrum ex oxycroceo, cephalico et pice Burgundiaca, vel tela cerata, vel phoenigmus acer et ſtimulans, imo pediluuium in aqua feruida quantum tolerari poteſt; tumor excitatus panno molli, vel linteo duplicato veſtiatur; cum vero ille tumor pedis vel genu apparet, reſiduum *cynanches* euaneſcit.

11. *Cynanche mercurialis Schenckii* lib. 6. obſeruat.; *Angina ab hydrargyroſi Aſtrucii* de morb. vener. libr. 4. cap. 8. [*Noſe* de m. ven. p. 99. Syſt. aegr. T. 2. p. 439.]

Accidit aliquando poſt tertiam quartamue inunctionem, vt glandulae ſaliuales, maxillares, parotides, tonſillae, derepente tumeant, caleant, doleant, lingua tumefiat, foras exſeratur, fa-

cies, totumque caput turgeſcat, vnde deglutitio et reſpiratio difficilis, vox ſuppreſſa vel incondita, et mugitui ſimilis, ſopor, febris acuta, ſaliuatio foetida, copioſa, viſcida, vlcuſcula in ore infra linguam, a lateribus ad genas, ſenſatio quaſi dentium extus protruſorum, gingiuarum tumor, rubor, dentium ipſorum vacillatio, lapſus, maxime ſi ope tartari connexi fuere; haec vel plurima ex hiſce mala a largiori, aut citra ſufficientem balneorum numerum, repetita et frequentiori hydrargyroſi, ſuperueniunt.

Cura vero exigit: vt 1° lintea hydrargyro infecta deponantur, cutis detergatur in balneo tepido, phlebotomia impetus ſanguinis compeſcatur, dein catharſi foras educatur hydrargyrum, non neglectis gargariſmatis ex lacte tepido, cet.

12. *Cynanche prunella Ettmüller*, de febr. p. 202, et 207.

Eſt ſymptoma tritaeophyae ardentis; adeſt ſitis, ardorque ſummus cum linguae ariditate, et rubore obſcuro, faucium ardore, deglutiendi difficultate, dyſpnoea.

Conuenit mucilago ſeminum pſyllii et cydoniorum, cum aqua ſemperuiui extracta, quae linguae ſaepius applicetur: item gargariſma ex aquis plantaginis, lactucae, ſolani, liguſtri, portulacae, brunellae, addito ſucco mori, berberidis, citri, lapide prunellae, aut nitro, cet. *

13. *Cynanche a dyſenteria Ettmüller*, de angina; *G. Fabricii Hildani* de dyſenteria; *Lamoniere* tract. de fluxu dyſenterico, cap. 5.

Dyſenteriae ſuppreſſae, male curatae, ſuccedit, cum gutturis inflammatione, febri, lipotymia; hanc oriri putat *Hildanus* ex puſtulis, in gutture genitis, quas natura ad labia alias emittere conſueuit in conualeſcentibus.

Curatur gargarismatibus ex lacte, ex decocto hordei, litu colli ex oleo liliorum, amygdalarum, fomento ex lana ſuccida. Vide plura in Bibliotheca medico-practica *Mangeti* de angina pag. 77.

14. *Cynanche parotidaea*, vulgo *oreillons* et *ourles Tiſſot* Avis au Peuple §. 116. B.

Apyreta eſt, tumore parotidum, glandularum maxillarium, deglutiendi et os aperiendi difficultate ſtipatur: ea ſpecies diaeta tenui, potuque reſoluente in loco calido curatur.

* *Prunella Paracelſo* idem eſt ac *angina*.

15. *Cynanche neruoſa* ſeu *maligna, purpuro-parotidaea D. Tiſſot* n. 117. A.

Differt a cynanche vulgari tumore parotidum totiusque colli, eruptione petechiali, vſque ad ſextam diem, niſi ſudore vberi eruptio ſuppleretur, pyrexia irregulariter exacerbante, exigua deglutiendi difficultate, exulceratione non maligna tonſillarum; praemiſſis generalibus curabatur per ſudorifica, maxime ope kermes mineralis.

16. *Cynanche bronchus; Angina pituitoſa; Catarrhus ad fauces; Angina mucoſa Huxhami* pag. 16; *Angine catarrhale; Fluxion ſur la gorge;* A.

A lympha, intra organa gutturis congeſta, pendet; atque cognoſcitur ex raucedine, tuſſi, ſternutatione, coryza, vel praegreſſis, vel concomitantibus, cum tumore et dolore colli, tonſillarum, parotidum, aut maxillarium glandularum, ſine febri acuta, et a frigore ſuſcepto, dum potiſſimum corpus aeſtuat.

Haec ſpecies *Bronchos* Graecis dicitur, vulgo dicitur fiuxio in fauces, a *Boerhaave angina catarrhoſa tenuis*, aph. 791. Etiamſi vero tumor externus colli, ſi adſit, cuti concolor ſit, et vix acute doleat, tumor tamen tonſillarum, gargareoniſque rubet, quia hic eſt natiuus fere harum partium color *Boerhaave* exiſtimat affici in hac ſpecie membranam mucoſam, quae nares internas, fauces, oeſophagum inueſtit, et muco illo infarciri, quod dein matureſcente angina, plorat, vbertim exprimitur, ſub forma viſcoſi phlegmatis, quandoque acris, vicina excoriantis, et quamuis; addit *van Swieten*, in catarrho ſit leuis, et ſuperficiaria huius membranae phlogoſis, ad hanc anginae ſpeciem, non vero ad inflammatoriam cynanchen, hic morbus pertinet, cum haec longe grauioribus ſtipetur ſymptomatis, iisque diuerſis.

Cura exigit vnam ad ſummum phlebotomiam; dein verò potum calidum, leuiter ſudorificum ex thea, capillis veneris, decocto ſcorzonerae, ſcabioſae; fomenta calida; aërem ſiccum, calidum; diuretica; diaetam tenuem, vel mediocrem; gargariſmata reſoluentia ex aqua vitae; vuulae, aut tonſillarum ſcarificationem, ſi nimis tumeant. De his vide *van Swieten* §. 796.

17. *Cynanche calculoſa Riverii* obſ. 7. pag. 127. L.

Calculos, aut concrementa dura, in faucibus, tonſillis, initio tracheae, in larynge obſeruarunt *Felix Plater*, obſ. l. 1. pag.

180, *Ballon.* Ephemer. libr. 2. pag. 197 et 201, *Kerckring.* obſ. 27. Specil. Rec. period. T. 5. p. 69.

Sexagenarius gutturis inflammatione frequenter corripiebatur, praecipue a cantu: ſedabatur phlebotomia et gargariſmate ex oxycrato; demum Medicus quoddam extraneum iuxta finem mandibulae dextrae in faucibus imis infixum vidit, globulum ſclopeti referens, quod extractum nihil aliud fuit, niſi lapis durus et compactus ad pyri formam compoſitus, cauda ſua muſculis maſſeteribus infixus; vlcus, quod ſuperfuit conſolidatum fuit: Pomaret Chir. Monſpel.

18. *Cynanche a deglutitis Tulpii* lib. 2. obſ. c. 7; *Ab infixo aſperae arteriae oſſiculo Bonet.* Sepulchret. de dyſpnoea obſ. 1; *Angina, a ſpina piſcis in faucibus haerente Schenck.* A. D.

Vidi et dolores gutturis cum difficultate canendi, loquendi, tuſſi, dyſphagia, ab aciculis intra guttur haerentibus; modo nulla febris inflammatoria enaſcatur, hic morbus intra anginae, aut dyſphagiae, limites continetur. Vide *Dyſphagiam.*

Curam huius ſpeciei et hiſtoriam vide apud *Foreſtum* obſ. 27, libr. 15.

19. *Cynanche a laqueo*; *Strangulatio ſuſpenſorum:* Vide *Foreſtum* obſ. 25 libr. 15. A.

Frequens eſt obſeruatio melancholicorum, maniacorum, furore percitorum, qui ſe laqueo ſuſpendunt, ita et in bello non raro ab hoſtibus milites capti quandoque ad ramum arboris fune ſuſpenduntur, necdum ſtrangulati relinquuntur; illis omnibus opem ferre non eſt inutile, etiamſi aliquamdiu ſuſpenſi iam demortui videantur; verum nulla ſpes eſt ad vitam reuocandi eos, quibus tortor ita pede caput detorſit, vt vertebram colli luxauerit.

Ipſe opem tuli quondam miſero, qui vitam aëris defectu redimere non potuit a publicanis; reſecto a poenitentibus fune delatus eſt in ipſorum ſacellum, vbi intra duas horas tres phlebotomias paſſus eſt; pulſus ante primam nullus micabat, aſt fluente ſanguine praeſertim poſt alteram ſenſim ſeſe explicuit, ita tamen vt rariſſimus eſſet, et vix quadrageſies intra minutum perciperetur; vitae reſtitutus miſer caput erexit, rauciſſima voce aquam petiit, multa ſputa cruenta reiecit, aquam ex vrceolo affatim bibit, tunc paulo clarius locutus; antea altero pede feretrum, in quo iacebat, inuitus percutiebat conuulſione repetita, tunc vero pacatus fuit, pulſus ad frequentiam ſanis ordinariam

peruenit, reſpiratio numquam frequens fuit, aſt collum prius ad pollicem laqueo depreſſum intumuit, et cum nullus Chirurgus, metu friuolo deterritus, vellet venam iuguli ſupra tumorem tundere, miſer placide obdormiuit ſine vlla dyſpnoea, pulſu ſenſim rariori et depreſſiori facto ob impeditum ſanguinis a cerebro reditum, et ſic obiit; pulſus vix trigeſies ſexies in minuto micabat, et reſpiratio raritate et paruitate erat vix conſpicua paulo ante mortem.

Auctores in hoc caſu praeſcribunt emetica et cardiaca, verum multo praeſtantius eſt phlebotomias largas, promptas, inſtituere, frigida ſitim horrendam ſedare, et carum a iugularibus compreſſis per inflammationem ſulci a laqueo effecti praeuertere;, nam raro reapſe pacatiſſime et ſine dyſpnoea moriuntur, quibus laqueo reſecto, vita reſtituta eſt.

20. *Cynanche ſcirrhoſa Boerhaave* aph. 797; *Dyſpnoea a tumore carcinomatoſo aſperae arteriae adnato*, *Boneti* Sepulchret. obſ. 5. *a ſarcomate in poſtica parte palati*, *Ruyſchii* obſ. 48. pag. 45. *Galen.* de locis affect. lib. 5. cap. 5; *Tulp.* obſ. lib. 1. cap. 44. [*Quarin* infl. pag. 47 ſq. Rec. period. T. 2. pag. 115. Comm. Lipſ. vol. VI. p. 89.] D.

Scirrhoſus tumor ſaepe ſequitur cynanchen non reſolutam; ſcrophuloſus, bronchoceloſus ſine cynanche praegreſſa ſenſim oritur; dantur etiam excreſcentiae ſeu ſarcomata, quae iugulo adnata anginam excitant.

Raro vero, niſi recentes, ſcirrhi reſoluentibus ſanantur, adeoque ſupereſt tantum, vt cultro exſcindantur, cum vix erodi poſſint cathaereticis.

21. *Cynanche ſuppuratoria Boerhaave* aphor. 814. *De la Motte* Chirurg. tom. 1. pag. 193. C.

Eſt duplicis conditionis, vel ſcilicet apoſtematoſa, de qua *Boerhaave* et *van Swieten* fuſe egerunt, quaeque caute lanceolam admotam exigit, vt pus foras effundat, praemiſſis emollientibus intus ore detentis, extus cataplaſmatis forma admotis, et illa vtplurimum fauſtum ſortitur euentum.

Vidi nuper abſceſſum, intra quatuor dies efformatum et ſponte ruptum, in textu veli palatini; qui vero plures cynanches paſſi ſunt, illi poſteriores habent mitiores, et non ita conſtringiur via aëris, imo fere ſine febri abſcedunt tumores.

Quodſi exulcerentur fauces, vlcus illud, modò non ſit venereum, nec cancroſum, detergentibus ſanatur, exiguam difficultatem loquendi, et reſpirandi ſecum infert, cum anhelitus foetore, copioſo ptyaliſmo; numquam vidi vlcus ibi profundum; ſola epithelis, ſeu membrana mucoſa, excoriata eſt, et locùs excoriatus eſt coloris griſacei.

22. *Cynanche venerea, Ulcère vérolique au goſier, Chancre au goſier.* C.

Nihil eſt frequentius in venereorum praxi, quam vlcuſcula ſuperius deſcripta, leuiſſime exeſa, griſea, ſed circa laryngem, pharyngem, vuulam, ſerpentia, cum voce rauca, naſali, ptyaliſmo aquoſo, mucoſo, foetido, exiguo dolore, nullatenus frequenti reſpiratione, ſed cum ſenſu impedimenti inter deglutiendum, inter loquendum, clamandum. Mitto loqui de cynanche mercuriali, ſeu quam hydrargyroſis excitat, quaeque non eſt huius loci.

23. *Cynanche hyſterica, Riuerii* obſ. 26. centur. 2. *Frid. Hoffmanni*; L.

Ea ſpecies periodice ſingulis diebus reuertitur, cum ſopore, nauſea, ſuffocatione, doloribus vagis, difficultate deglutiendi; quae omnia ſymptomata poſt aliquot horas euaneſcunt. Febriſne intermittens, licet ſine pulſus frequentia, eum morbum fouet, qui complicatus ſit cum hyſteria, vti ſuſpicatus eſt *Riverius*, et non obſtante ſopore magnam laudani doſin ante acceſſum exhibuit, quo morbus ſanatus eſt? *Vide dyſphagiam hyſtericam*, et *orthopnoeam hyſtericam*.

24. *Cynanche hydrophobica; Lycanke* Graecis. *Darluc* Jour. de Med. 1756, *Brogiani* de Venenis p. 101.

Puerulus Monſpelienſis, a fele rabida demorſus in tibia, bene ſe habuit per duos menſes, demum febricula cum difficultate deglutiendi et reſpirandi, ac aquae horrore correptus, pacatus et minime furens, languit, nec vllum cibum capere voluit, ſicque intra vndecim dies obiit. Ruſticus ante quadraginta dies a cane rabido demorſus, quem memorat in *Mem. de l'Acad. de Montpel. Haguenot*, querebatur tantum de angina, antequam furor, et mordendi cupiditas eum inuaderent; huc vſque nulla, aut exigua febris. In cadauere hydrophobicorum vidi ſummam rubedinem in poſtica parte tracheae arteriae iuxta glottidem; ca-

ueant Medici, ne digito, in guttur aegri adacto, malum explorent, vt accidit peritiſſimo Chirurgo.

25. *Cynanche naſalis.* A.

Eſt ingurgitatio catarrhalis membranae pituitariae, quae nares poſticas ſuccingit, cum difficultate loquendi, deglutiendi, et per nares reſpirandi, nec non doloribus noctu adauctis, velum palatinum eiuſque columnas, nec non tubas Euſtachianas diſtrahentibus, peruigilio, odore ſingulari cupri in naribus. Terminatur intra aliquot dies per excretionem et emunctionem copioſi muci, albi, flaueſcentis, inſipidi, qui non ex ſuprema narium parte, ſed tantum ex naribus poſticis iuxta fauces procedit. Hanc paſſus ſum et in aliis obſeruaui; Auctores vero minime recenſent.

Diſtinguitur a coryza 1° ſede in pariſthmiis; 2° odoratu ſuperſtite; 3° dolore ad aures externas protenſo, viuido; 4° continua exſpuitione muci faucium viſcidi; 5° deglutiendi difficultate; 6° veli palatini rubedine; cum ſoluitur morbus mucus viſcidus et ſanguinolentus ex naribus et ore circa ſextum, ſeptimumue, diem affatim reiicitur; adeſt vt in coryza vox naſalis, ſternutatio et ſenſus obſtructionis in naribus, ita vt aeger noctu, ore aperto, dormire cogatur ad reſpirandum.

26. *Cynanche ſcorbutica Frid. Hoffmanni* §. 6. *Bartholin.* Med. Dan.; *Lind.* l. c. p. 192.

Eſt leuior colli et interiorum faucium phlogoſis cum tumore et dolore glandularum, quae frequens admodum eſt ſcorbuticis.

[*α. gangraenoſa. v. Swieten* T. 2. p. 698.]

27. *Cynanche thymica Boneti* Sepulchret. obſ. 2ª Simon. Paulli. L.

Videtur pertinere ad dyſpnoeam; procedit a thymi intumeſcentia.

28. *Cynanche polypoſa naſalis Albucaſis* Chirurgiae lib. 2. c. 36. *Baglivi* prax. C.

Eſt difficultas reſpirandi ac deglutiendi a polypo narium, in gulam vſque protenſo; huius obſeruatio et curatio apud *Albucaſim*, nec non in *Schenckio* et apud *Baglivi* reperitur. Vide *Schenckium* pag. 223.

29. *Cynanche anevryſmatica Boneti* Sepulchret. C.

Eſt angina, orta ab aneuryſmate arteriae maioris, laryngem aut tracheam prementis.

30. *Cynanche bronchocelica* Petri de Marchettis et Fel. Plater. *a ſtruma intrena circa iugulum.* L. Vide orthopnoeam, nec non dyſphagiam.

31. *Cynanche ſpaſmodica Rud. Zwingeri* Act. Heluet. Tom. III. p. 319.

Nono die poſt vulnus metacarpi et fracturam digiti, ſedata pyrexia, aeger iuuenis, iam, vt videbatur, conualeſcens, inopinata deglutiendi difficultate et anxietate ſuffocatiua ad ſingulos manducandi conatus corripitur: in collo nihil erat conſpicui; maxilla inferior ad ſuperiorem contracta et rigida, in manu ſaucia ſpaſmus dolorificus frequens per totum brachium excurrens: animus ſui compos et ſupra modum anxius et inquietus; interdum ſaliua et mucus ex ore ſcaturiens, cum deglutiendi niſu ſpontaneo; ingeſta quaeuis a faucibus reſilientia; poſt aliquot dies, ſic noctu et interdiu conflictatus, tetano rectilineo correptus, voce quaſi catulina, interius ardens, ſitiens, omnia ſtragula reiiciens, die poſt vulnus 17°, ab angina 8°, obiit: curam vide in *Triſmo traumatico.*

[32. *Cynanche neruoſa.*

a. *maligna* v. cyn. ſp. 15.

b. *torpida. Trachealis. Held's* Ausz. T. I. p. 265.

Polypoſam hanc vidi, deſcripſi in ſyſt. aegr. T. I. p. 311.

c. *languida.* paralytodea *Quarin* infl. p. 51 ſq.

Aliorum morborum pediſequa: in exhauſtis, pallor, facies hippocratica, ſiccitas, tenuitas faucium.

d. *irritabilis. Sauv.* ang. ſp. 9.

33. *Cynanche ſeptica.*

a. *pharyngitis. Paedanchone Seuerini* abſc. l. 8. vlceroſa *Fothergill* tr. ed. 1751. et Journ. de med. 1758. ſp. a) *maligna.* Mars 1756. Oct. 1757. gangraen. rar. b. Oct. 1769. p. 302. Dec. 1769. pag. 508. *Huxham* op. T. 3. p. 92. *Withering* d. Edinb. 1766. et tr. Lond. 1779. 8. Auserl. Abh. f. prakt. Aerzte T. 5. p. 250 ſq. *Suffocatiua Bards* inq. new works 1771. *Rutty* hiſt. of the Wather epidem. *Ruſſel* oecon. an. p. 105. *Douglas* pract. hiſt. Boſt. 1736. *Tiſſot* av. au peupl. §. 117. *Grant* tr. de febr. pag. 570. *Selle* pyr. pag. 183. *Cullen* prax. T. I. §. 303 ſq. Comm. Lipſ. vol. 1. pag. 91. *Michaelis* tr. de

angina polypoſa pag. 138. 143. 147. 161. 165. 169. *Sauv.* ſp. 3.

Inde ab a. 1728. in Anglia comparuit, in Germania raro. Oritur vere et hieme, ſub tempeſtate humida et calida, in locis humidis: corripit infantes et feminas teneras. Primo die faucium phlogoſis die 2 vel 3 partes albeſcunt (ſigna gangraenae incipientis) vox rauca, obſcura, debilis, quaſi ab vlcere venereo, anima foetida; oculi phlegmaſia aquoſa laborant, languidi, retracti ſunt, diarrhoea; ſanguis miſſus laete rubet et mollis eſt. Die 4 aut 5 partes faucium liueſcunt et putreſcunt et ſanies putrida corrodens ex ore et naribus promanat: ſenſus doloris in faucibus quaſi a pipere comeſto. Partes inflammatae vlceribus ſimiles ſunt, quorum margines tument, quaſi linea circumdati: cruſta craſſa, profunde colorata partis adfectae, tumor longitudinalis ad cornua oſſis hyoides. Non raro exanthema, magis reliqua cute rubens, mane humidum comes eſt, ſimile rubeolae aut ſcarlatinae fere criticum. Salus ab antiſepticis calidis, kinkina, epiſpaſticis ad parotides, non neglectis initio emeticis et acidis mineral.

a. eryſipelacea Grantii l. c. p. 572.

Eadem cum magna excoriata, nec tamen ſuppurante, nec vlcera excitante ſuperficie, irregulari membrana griſea tecta, cum cutis rubore et digitorum manuum phlegmatia.

b. *Parotitis.* *Grant.* l. c. p. 18.

Ptyaliſmus criticus, anima foetida, quaſi a mercurio.

c. *Tonſillaris.* *Stoerck.* ann. med. ſec. p. 141.

Aſthenia, horror lenis, pulſus celeres, inaequales, parui, anxietates crebrae, calores vagi, ſitis mediocris, lingua tremula, plumbea, oculi triſtes, vrina cruda, flocculenta, ſubfuſca et breui foetens: dyſphagia. Die primo in poſteriori faucium parte et circa tonſillas maculae adparent latae, purpureae, quae eodem die veſperi, aut die 2. liuidae in centro, nigrae, ichorem fundunt, in ambitu manent profunde rubrae, tenſae, dolentes.

34. *Cynanche choleſeptica.*

a. *Pharyngitis Maligna Huxh.* op. T. 3. p. 92. Rec. period. T. 7. p. 62. *Tiſſot* §. 121. *Grant* l. c. p. 548. *Finke* l. c. p. 119. *Sauv.* ſcarlat. ſp. 6.

35. *Cynanche bilioſa.* *Forcſt.* l. 15. obſerv. 17. *Huxham* T. 3. pag. 96. N. *Piſo* l. 2. c. 3. pag. 329. *Stoll* l. c. T. 2.

pag. 54. 128. *Lentini* mem. p. 56. *Rega* de ſympath. pag. 235. *Sauv.* ſp. 12.

a. *Pharyngitis.*

b. *Parotitis.* *Stoll.* l. c. p. 103. T. 2.

c. *Tonſillaris.* *Sauv.* ſp. 1. *Rega* l. c. p. 135. *Stoll.* T. 3. pag. 6. 115.

36. *Cynanche catarrhoſa bilioſa.* *Backer* de cat. Comm. Lipſ. vol. XIV. p. 142. *Stoll.* l. c. T. 2. p. 30 ſq.

37. *Cynanche verminoſa.* v. d. *Boſch* l. c. p. 189 ſq. v. *Phelſum* T. 2. p. 250 ſq.

38. *Cynanche plethorica* ſeu *inflammatoria vera.*

a. *Pharyngitis.* *Sauv.* ſp. 6. *Boerh.* §. 804.

b. *Laryngitis.* *Boerh.* §. 802.

c. *Pharyngolaryngitis.* *Sydenh.* S. I. c. 5. p. 60. *Eller* l. c. p. 172. R. A. *Vogel* §. 137.

d. *Trachealis.* *Sauv.* ſp. 5. *Boerh.* §. 801. *Michaelis* l. c. pag. 171.

e. *Parotitis.* *Sauv.* ſp. 14.

f. *Tonſillaris.* *Sauv.* ſp. 1.

g. *Thymica.* *Sauv.* ſp. 7.

h. *Hypoſtaphyle.* *Himantoſis.* *Cionis.* *Sauv.* ſp. 1. T. I. pag. 179.

39. *Cynanche purulenta.* *Sauv.* ang. ſp. 7.

a. *apoſtematoſa.* Pediſequa aliarum.

b. *vlceroſa.* Stomadyſodia, paraphonia, ptyaliſmus, dyſpnoea, color griſeus loci excoriati. Saepe ad alios morbos ſpectat. v. neruoſam et ſepticas.

40. *Cynanche ſeroſa.* *Stoll.* l. c. T. I. p. 89.

a. *Pharyngitis.* *Lentini* memor. p. 123. *)

Nullus faucium tumor, dyſphagia doloroſiſſima, lingua immobilis fere et admodum dolens.

α. *chronica.* *Catarrhus pharyngis.* R. A. *Vogel* d. pec. Goett. 1765.

Signa catarrhi, nauſea oris, vomituritio, reſpirationis oppreſſio maxime in ieiunis, a potu calido ſcreatus frequens, vomitus pituitae.

b. *Laryngitis.* *Stoll.* l. c. T. 3. p. 101. *I. Weitbrecht* in Comm. Petrop. vol. XIV. p. 207 ſq.

Chronica, *catarrhus laryngis*, pituitae e glandulis arytaenoideis et aſperae arteriae, lenteſcenti, ſumme tenaci, ſaliuae, glomerum inſtar adhaerenti, albae, opacae, glaucae, ſubinde ſtriis nigricantibus tinctae, in granula etiam concreſcenti debetur, non rara ceterum. In ventriculis quoque laryngis accumulatur, flaueſcentis tum coloris, ſputa puriformia, ichoroſa ſimulans pituita: vt metum pneumophthoës facill. iniiciat. Eſt etiam, quod in nobili iuuene vidi nuper cum colli anterioris intumeſcentia, reſpiratione ad os hyodes, maxime praegreſſa eius maiori vſu, cohibita fere, aut refraenata: Senſus moleſtus ad laryngem ſub ſcreatu matutino. Eſt etiam haemoptyſeos, pneumophthoës adſtringentibus male tractatarum comes et pediſequa. Nimis accumulata pituitae quantitas dyspnoeam, peripneumoniam, indeque phrenitidem et ſuffocationem inducit.

c. *Trachealis. membranacea, polypoſa* Auct. *Tulp.* l. 2. c. 13. A. N. C. vol. I. N. A. N. C. T. 2. p. 157. *M. Ghiſi* lett. med. in Crem. 1749. S. *Aurivillius* d. de ang. infant. Vpſ. 1764. *Suffocatio ſtridula Home* on the Croup. *B. Ruſh* d. on the ſpaſmod. aſthma. *Crawford* d. de cyn. ſtridula. Edinb. 1771. Mem. de l'ac. des ſc. 1747. p. 581. Comm. Lipſ. vol. II. p. 223. A. Soc. Suec. 1772. vol. I. *Roſenſtein* v. d. Kinderkr. p. 622 ſq. *Michaelis* tr. de ang. membr. Goett. 1778. 8. *Richter's* chir. Bibl. vol. V. p. 739 ſq. rel.

Reſpiratio difficilis, profunda, rarius celeris, ſono peculiari, gallinarum minorum pipienti ſimili, vel in omni inſpiratione, vel ſub clamore et tuſſi tantum, ſtipata. Doloris in trachea, plerumque obtuſi, raro pungentis, ſenſus; colli anterioris faciei leuis tumor, a preſſione dolor. Vomitus materiae tenaciſſimae, fruſtorum polypi trachealis, ſeu materiae albae, tenacis, caſeoſae, aut concretionum cauarum, tubuliformium, quae figuram arteriae aſperae et bronchiorum imitantur, tuſſi ſolutarum. — Malum epidemicum, endemicum, ſporadicum, maxime infantile. Necat ſaepe iam diebus primis, vel ſalus reiecta diebus 4. 5 ſq. in adultis. Abit in pneumoniam variam. Poſt phlebotomiam, ſcarific. aut hirudinum, veſicatoriorum ad collum adplicat. ſalus a reſoluentibus, tuſſim, vomitum, ſaliuationem, excitantibus, vaporibus, bronchotomia.

d. *Parotitis.* C. *Piſo* obſ. 5.

e. *Tonſillaris. Stoll.* l. c. T. 2. p. 30. 33.

f. *Thymica. naſalis. Sauv.* ſp. 11.

g. *Hypoſtaphile. Sauv.* ſp. 2. Act. Helv. vol. 2. p. 260. Comm. Lipſ. vol. VI. p. 686.

41. *Cynanche aquoſa. Boerh.* §. 791. ſq. *v. Swieten* T. 2. p. 634 ſq. *Quarin* infl. p. 63.

Leucophlegmaticis, pallidis, debilibus, familiaris eſt citra genuinae inflammat. ſigna tumor albus, aquoſus, frigidus faucium rel.

42. *Cynanche pituitoſa. Sauv.* ſp. 1. ang. *Huxh.* op. T. I. pag. 16.

43. *Cynanche ſcabioſa.* de *Meyzerey* T. 2. n. 318.

a. *Parotitis* letalis. Journ. de med. Febr. 1763. p. 169.

44. *Cynanche venerea. Sauv.* ang. ſp. 8. 22. *Aſtruc* l. 4. c. 3. §. 3.

a. *Tonſillaris. André.* p. 139 ſq.

Interdum ab oſculo ſubiecti, hac paſſione laboranti, aut a coitu impuro, etiam citra aedoitidem, aut ex hac vlceroſa ſuppreſſa non ſatis certus index morbi venerei. Vlcerum labia tumida, varie inciſa, inaequalia, coloris albidi.

45. *Cynanche ſarcomatica.*

1. a ſarcomate iugulo adnato.

2. a ſarcomate, in poſtica parte palati. *Ruyſch* thes. obſ. 48. p. 45. Journ. de med. Nov. 1760. p. 433.

3. a polypo narium. *Sauv.* ſp. 15. ang.

46. *Cynanche ſcrophuloſa.*

a. a ſtruma interna circa iugulum. *Sauv.* ſp. 17.

b. ſcirrhoſa. *Sauv.* ang. ſp. 6.

47. *Cynanche deuia.*

a. a luxatis ad anteriora vertebris. Syſt. aegr. T. I. p. 271.

48. *Cynanche traumatica.*

a. a vulnere faucium, oris, colli.

b. a vulnere metacarpi. Act. Helv. T. 3. p. 319. Spaſmodica.

49. *Cynanche toxica.*

a. *a belladonna.* A. N. C. vol. X. p. 90. *Bald.* Mag. f. Aerzte T. I. p. 30 ſq.

b. *mercurialis. Sauv.* ſp. 11.

50. *Cynanche exanthematica. Sauv.* ſp. 4.

a. *varioloſa. Sydenh.* T. I. p. 659. 664.

b. *rubeoloſa. Sydenh.* p. 144. *Morton* pyr.
c. *miliaris. Allion.* de mil.
d. *ſcarlatinoſa. Brogiani* de venen. p. 101.
e. *aphthoſa. Quarin* infl. p. 30.]

51. *Cynanche alba De Meyzerey* Tom. 2, p. 315. *Eſquinancie blanche* ou *pituiteuſe.*

XXI. Carditis; *Inflammatio cordis et pericardii* D. *Senac* Malad. du coeur chap. VI et VII; *Meckel* Mémoires de l'ac. des Sc. de Berlin 1756; *Synochus cardiaca, De Meyzerey* T. 2. n. 230. *Inflammation du coeur.*

Character obſcurus anceps deducitur a dolore ſub ſterno, palpitatione, frequentibus animi deliquiis, pulſus inaequalitate et frequentia, quandoque etiam febri acuta, ſed poſt aliquot dies accedente, cum pulſu duro et frequenti. Dolores punctorii, anxietates continuae in regione cordis, videntur aſſidua ſymptomata.

1. *Carditis ſpontanea*; vide tres obſeruat. *Meckelii* et *Senaci* cap. 7. vbi numeroſae huius morbi hiſtoriae.

In Carditide Epidemica *Clar. Trecourt* Journ. de Med. Dec. 1755. memorat ſigna ſequentia; 1° ſymptomata peripneumoniae, ſed violentiora; 2° dyſpnoeam extremam, cum longo interuallo inter exſpirationem et ſequentem inſpirationem; 3° ſitim clamoſam; 4° horrorem potus, ita, vt ab aquae adſpectu tremerent et conuellerentur aegri; 5° dolorem in regione cordis, quo pectus tamquam clauo confoſſum videretur; his adde nauſeam continuam, palpitationem, pulſum depreſſum, oculos lacrimoſos, triſtes, linguam aridam, nigram, ſanguinem pleuriticum, corio flauo denſo obductum; minus ſanis erant ſimiles; aegritudo *contagioſa*, quae ſeptimana terminabatur. Sectis cadaueribus plurimis cordis ſubſtantia omnibus vlcerata; plurimis concretiones polypoſae, pericardium cordi accretum.

Curatio. Phlebotomiae alternis horis repetebantur ad 4 vel 5 vices; mox purgabantur aegri ex decocto caſſiae cum tartaro ſtibiato; haec prima die adhibita proſpere ſuccedebant; ad alteram dimiſſa inutilia erant; morbo ad quintam vel ſextam diem protracto, ſpes erat vitae ſeruandae. Apozemata diluentia, puluis temperans cum pauxillo camphorae, ptiſana nitrata,

catharſis iterata alternis fere diebus plurimos ſeruauere; viginti tamen obiere. Hactenus *Clar. Trecourt.*

Adoleſcens dolores acutiſſimos, pungentes in cordis regione, cum anxietatibus et anguſtiis, patiebatur, vnde a ſolitis muniis abſtrahebatur, ſexta die febris cum pulſu frequenti et duro inuaſit; repetitis phlebotomiis morbus decima quarta die remiſit, ſed anxietates et dolores punctorii recrudeſcentes aegrum 20ª die abſtulerunt.

Apertura cadaueris. Cordis ſuperficies integrà pure obvoluta, cruſta pingui, vel purulenta, tegente tunicam eius eroſam; pericardium rubrum, vaſis turgidis cinctum; textus carnoſus cordis, pallidus, mollis.

Plurimas obſeruationes cordis quoad corpus, auriculas, baſin, apicem, pericardium, cet. inflammati et ſuppurati, videſis *loco citato.* Sed incerta diagnoſis, prognoſis et therapeia nulla efficax.

2. *Carditis traumatica Senac*, *Bleſſures du coeur*, chap. VI.

Locus vulneris, inſtrumenti directio, vulneris altitudo cum ſignis aliunde obſcuriſſimis eam indicant, ſcilicet dolor, anxietas, febris altera, vèl tertia, die ſuperueniens; ſaepius animi deliquia, pulſus paruus et inaequalis, ſudores frigidi, anxietates ſine febri acuta et ſine palpitatione. Vide *Syncopes* et *orthopnoeas traumaticas.*

Euentus vtplurimum letalis; intra aliquot dies cum haemorrhagia larga mors accedit. [Cor in apice laeſum ſuperſtitem eſſe hominem ſinit.]

In carditide et gaſtritide febris, quoad calorem et pulſus vim, exigua, rara, vel nulla, quoad euentum et ſymptomata funeſta, ad typhum vulgo febrim malignam accedit, vnde ad hanc claſſem vix pertinent hi morbi.

[3. *Carditis purulenta. Cardiophthoë. Schenck* obſ. l. 2. p. 448. *Boneti* ſep. l. 2. S. 1. obſ. 86. 90. l. 4. S. 3. p. 1611. Act. Vratisl. vol. 28. p. 437. C. *a Reies* elyſ. iuc. qu. c. qu. 32. p. 378. *Fr. Hoffmann* d. de exeſo corde H. 1697. Act. med. Berol. d. 1. vol. 7. p. 78. *Franckenau* ſat. med. 7. p. 138 ſq. *v. Swieten* T. I. p. 259. *v. Haller* el. phyſ. T. I. p. 432. *van Doeveren* obſ. acad. p. 69 ſq.

Poſt pneumoniam variam, carditidem, tetartaeam, freq. animi deliquia, thoracis fiſtulam. Horum comes et pediſequa: an auctor? v. et ſpec. ſequ.

4. *Carditis ſeroſa.*

a. *aquoſa: hydroelcoſis cardiaca. Sylv.* prax. l. 1. c. 26. S. 26. Act. Havn. vol. I. p. 89.

Eroſio cordis ex hydrocardia: hinc et varietas ſp. 3.

5. *Carditis ſarcomatica.* v. ſyſt. aegr. T. I. p. 255. n. 1. *Auenbrugger* l. c. §. 48. p. 360. in *de Waſſerb.* coll. op. Aneuryſma cordis.

6. *Carditis lithica.*

Comes lithiaſeos cordis.]

XXII. Peripnevmonia; *Pulmonaria* quibuſdam; *Pulmonia pneumonia P. Alpini* Medic. Method. Lib. 7; *Pulmonia* et *Peripleumonia Caſtelli* Lex.; *Pleuroperipneumonia Boneti* Merc. Comp.; *Pneumop-leuritis Dolaei* Encycl.; *Péripneumonie.*

Eſt phlegmaſia, horum ſymptomatum concurſu ſtipata, ſcilicet pyrexia acuta, dyſpnoea graui, grauatiuo pectoris dolore, tuſſi moleſta, et expectoratione cruenta, cum pulſu molli.

Principium morbificum eſt phlegmaſia vaſorum ſanguïferorum pulmonis.

In aſthmate datur tantum obex reſpirationi oppoſitus, vnde nulla febris; in peripneumonia obſtat etiam infarctus circulationi per pulmones, vnde reſiſtentiam perſentit cor. Hinc vehementer inſurgit ad eam tritu, calore, vi truſiua auctis ſuperandam, quo pertinet etiam ſanguinis expectoratio, ſarcinae partem auferens.

In peripneumonia et pleuritide *ſanguineis*, ſeu puris, febris eſt ſynocha, id eſt, continua hebdomadaria; in impuris, putridis, malignis, febris eſt ſynochus aut tritaeophya duplex, aut amphimerina ad duas ſeptimanas extendi ſolita.

1. *Peripneumonia pura; Peripneumonia vera* Auctorum, *Huxham* lib. 1. pag. 66. *Pneumonitis Mich. Bourgard* diſſert. 1754. *la vraie Péripneumonie.* [*Seile* pyr. p. 122.]

Peripneumonia eſt, quae, ſine ſaburra putri aut maligna, a plethora tantum commota, et infarctu ſubitaneo pulmonis, ortum ducit; febris eſt continua, ſynocha, non remittens; lingua anhelitus, foetoris expers; nulla nauſea; calor intenſus, rubedo faciei magna; pulſus velox, plenus, mollis, vndoſus, quandoque

inaequalis, ea inaequalitate, quae pulſui pectorali propria eſt, ſcilicet reduplicata; ſputa ſunt vel cruenta, vel rubiginoſa, in declinatione alba, viſcida.

Curatur vt pleuritis ſanguinea, flammoſa, methodo antiphlogiſtica, nimir. phlebotomiis, apud adultos pluries repetitis, ad ſemilibram circiter, interpoſitis iuſculis tenuibus et potu diluente, vt decocto hordei cum glycyrrhiza, vel in infuſo capillorum veneris aliquot borraginis folia decoquantur, niſi tertio vel quarto die ſudor proritandus ſit, in quo caſu ſuccus borraginis purus, calidus, ad vncias quatuor propinetur. [Quibus adiungas laxantia antiphlogiſt. enemata, expectorationem iuuantia; rel.]

2. *Peripneumonia putrida* Theſis Pariſienſ. 1752. *Péripneumonie ſymptomatique.*

Fouetur a ſebri putrida amphimerina vel tritaeophya, ſeu a cacochylia putri primarum viarum in ſanguinem transmiſſa, ortum ducit a frigore, horrore, quem ſequitur deinceps prima, vel ſecunda, die tuſſis, dolor pectoris ſaepe ſimul in latere pungitiuus, in ſterno grauatiuus, ceu pleuro-peripneumonia, aut pleuripneumonia *Schroederi.*

In ea ſpecie minor ſanguinis quantitas extrahenda venit, et in prima remiſſione lene catharticum eſt praeſcribendum, vt mannae vnciae duae diſſolutae in cyatho infuſionis florum maluae et violarum, vbi quandoque tartari ſtibiati granum vel ſyrupi Glauberiani guttae quatuor adduntur ad accelerandam catharſin; iterum ad phlebotomias reuertimur, et eodem modo curamus ac pleuritidem.

3. *Peripneumonia bilioſa* ſeu *ardens* Brunsfelſii; *Peripneumonia bilioſa Foreſti* lib. 16. obſ. 46. pag. 71; *Peripneumonitis Mich. Bourgard.* [*Sauv.* amphim. ſp. 15. *Tiſſot.* c. 20. §. 285 ſq. epid. haus. op. p. 203. *Schroeder* ampl. febr. bil. p. 27. Journ. de med. T. 7. pag. 79. *Morgagni* de ſed. ep. XX. n. 30. 31. *Stoll* l. c. T. I. p. 3. 29. 49 ſq. T. 2. p. 109. T. 3. p. 115. *Lentini* mem. p. 46.]

Cognoſcitur ex tritaeophyae typo, ſimul cum ſiti multa, ardore thoracis, aegri temperamento ſicco, bilioſo; ex praegreſſis exercitiis immodicis, potu ſpirituoſo vel fermentato, iracundia praegreſſa, oris amarore, linguae flauedine, aut nigredine, et ſiccitate, ſputo et vrina citrinis, pulſu celeri, calore acri, ſicco.

Ea varietas exigit phlebotomias repetitas, ptiſanas demulcentes et refrigerantes ex floribus maluae, decocto hordei cum liquiritia, ſeminibus frigidis; catharſes lenes in remiſſione ex decocto caſſiae cum manna in infuſo florum violarum, ſeminum lini; noctu ſyrupum de nymphaea, imo de papauere albo parca doſi, quae anacatharſin non ſupprimat; cetera vt in prima ſpecie; ſoluitur autem hic morbus ſudoribus, qui ſuo tempore iuuandi: vidi in hac ſpecie phlebotomiam octodecies celebratam et feliciter.

4. *Peripneumonia maligna; Peripneumonia peſtilens Schenckii* obſ. lib. 6. pag. 855; *eryſipelatoſa Schenckii* Schol. ad obſ. 46; *Febris crimodes Foreſti* obſ. 37. lib. 1. Schol.

Peripneumonia peſtilens Europam ita deuaſtauit anno 1348, vt vix decima hominum pars ſuperfuerit, ſi credamus *Gallo* et *Schenckio:* ea intra tres vel quatuor dies trucidabat.

Aderat tuſſis, ſumma reſpirandi difficultas, vt aegri ſedere cogerentur, ſputum cruentum, ſuperueniebant exanthemata, abſceſſus externi, cet.

Curatur vt pleuritis maligna, verminoſa, peſtilens.

5. *Peripneumonia choleſeptica* ſeu *typhodes; Deplaigne* Journ. de Med. Septembre 1757; *Epidemia annua apud milites a Valenciennes; Pleuro-péripneumonie bilieuſe et putride.* [*Huxham* T. I. p. 333. *Cleghorn* l. c. p. *Quarin* infl. p. 109. *Tiſſot* op. T. I. p. *Finke* l. c. p. 126 ſq.]

Character. Oppreſſio pectoris, dolor pungitiuus, aut grauatiuus, aſthenia magna, pulſus paruus, debilis, depreſſus, ſaepe concentratus, vtplurimum vix frequens (ſine febri, vt ait Auctor), dyſpnoea, reſpiratio interciſa, tuſſis violenta, ſicca, ſputa per vim extracta, viſcida, tenacia, ſubflaua; ſuccedunt nauſeae, vomitio biliosa, lingua craſſa, ſaburra albeſcente onuſta, cephalalgia leuis, qua creſcente aeger delirat obſcure, pari paſſu ac pectoris infarctus augetur. In cadaueribus omnibus ſuppuratio pulmonis, alteruter huius lobus infarctus, vel ambo ſuppurati; thorax ſaepe vel pure, vel ſero gelatinoſo, plenus, ſimilia ramenta gelatinoſa in abdomine viſcera obducunt; quandoque idem pus, vel ſerum, in pericardio; adhaerentia pleurae dolenti lateri; non raro polypoſae concretiones in corde, quas reſpiratio impedita et crebra deſignabat; cetera ſana, niſi hepar ſolito maius et decolor.

Cura. Poſt vnam vel alteram phlebotomiam, emeticum praeſcribito, imo ſi pulſus paruus, minimeque frequens, ab emetica et cardiaca potione inchoandum: deinde vel phlebotomia, vel catharſis, ex minoratiuis et tartari ſtibiati granis paucis. Statim a primis euacuationibus emplaſtrum veſicatorium lateri dolenti applicetur; intra horas quindecim omnia ſymptomata miteſcunt; febris minuitur, expectoratio reſtituitur, diaphoreſis accedit, nihil in vrinis mutatur; antiſeptica energetica minime in hoc morbo pertimeſcenda; itaque quarta quauis hora ſumatur bolus ex radice contrayeruae, camphora et nitro, vel alter bechicus et diaphoreticus, prout caſus exegerit. Oxymel ſcilliticum, ſyrupus de althaea tuſſim iuuant, ſedant. Felix euentus ex diaphoreſi et anacatharſi exſpectandus, adeoque prout indicatae fuerint, in interuallis praeſcribuntur cathartica minoratiua, clyſmata, ptiſanae nitratae vel bechicae, cardiaca et diaphoretica; et ſi delirium, vel cephalalgia vrgeant, ſectio iugularis optime ſuccedit.

6. *Peripneumonia catarrhalis;* vide *Amati* Cent. VII. cur. 79. *Peripneumonia a capitis deſtillatione; Peripneumonia pituitoſa* Foreſti; *Peripneumonia tuſſi epidemicae ſuccedens Sydenham* Sect. V. Cap. 5. 1. et 2; *Peripneumonia notha, eiusdem* Sect. VI. Cap. 4; *Boerhaave* Aphor. 867. *Fluxion ſur la poitrine.*

Eſt ſpecies hieme exeunte frequentior, quae a tuſſi catarrhali orditur cum frigore et incaleſcentia alternis repetente, doloribus totius pectoris, et raucedine; aeger vertiginoſus eſt; caput inter tuſſiendum diſſilire videtur aegrotanti; tuſſis tamen conſtans non eſt; potulenta omnia aeger vomitu reiicit; ſenes, frigidos, pituitoſos praeſertim aggreditur hic morbus, cum febri quidem manifeſta, vnde ab aſthmate differt, ſed leni tamen, praeſertim apud habiliores, ita vt longe minor ſit, quam in vera peripneumonia; de cetero ſanguis pleuriticorum eſt aemulus quoad corium.

In hac ſpecie paucae phlebotomiae, catharſes vero plures requiruntur; ſic *Sydenham* prima die ſanguinis miſſionem vnam praeſcribit, altera die purgat ex caſſia, manna, ſyrupo roſarum ſolutiuo in infuſo foliorum ſennae cum ficubus et glycyrrhiza; poſtridie iterat phlebotomiam; interiecto vno die catharſin repetit, et ſic deinceps, vſquequo aeger conualuerit; diebus vero a catharſi vacuis, bechicis, oleoſiſque vtitur; ptiſana eſt decoctum

hordei cum glycyrrhiza, aeger cremoribus veſcitur. Vapore exhalantis aceti *Geſnerum* peripneumonia affectum conualuiſſe vidit *Hallerus*, Seuerini et Boerhaave conſilium ſecutus.

Si cynanche euaneſcente ſuperueniat pectoris oppreſſio, ſumma anxietas, perpetua orthopnoea et ſuffocatio quaſi tuſſiculoſa, haec peripneumonia letalis eſt.

Curam Sydenhamianam *cap.* 5. *ſect.* 5. videſis.

7. *Peripneumonia dyſarthritica Muſgrave* cap. 11. hiſtor. 5, *Sydenham* proceſſ. integri pag. 710.

Materiae arthriticae metaſtaſi in pulmones debetur, liberatis artubus a dolore et tumore.

Sydenham hanc tractat, vt peripneumoniam abſolutam ſeu puram, venae ſectione ſcilicet repetita, diaeta, remediis refrigerantibus, incraſſantibus: purgandus eſt inſuper aeger inter venae ſectiones potionibus lenientibus; ſudoris autem prouocatio obeſt.

Verum *Muſgrauius* contendit, a *Sydenham* in hoc recedendum eſſe, et per ſudorifica etiam materiam arthriticam eſſe ad artus mittendam.

8. *Peripneumonia Phthiſicorum Morton.* Phthiſiol. cap. 4. pag. 41.

Eſt febris peripneumonica identidem phthiſicis confirmatis ſuperueniens a noua tuberculorum inflammatione; quoties ſcilicet a percepto frigore, liberali vini potu, nimiis exercitiis, ſimilibuſue de cauſſis iſta febris exſurgit, difficilis euadit reſpiratio, expectoratio ſupprimitur, tuſſis tamen vrget, non raro cum dolore lateris; ſaepius oppreſſio pectoris accedit, cum aliquot ſtriis ſanguinis et puris in ſputis; ſitis, iactatio, vigiliae, intenſus et continuus calor; vnde aeger lecto affigitur, et quandoque e medio tollitur.

Febris iſta peripneumonica tractanda eſt vt ceterae peripneumoniae, habito reſpectu virium, quae exiles ſunt in phthiſicis; tenuiſſima ſit diaeta ex iuſculis, vel cremoribus; medicamenta bechica expectorationem cientia, vt decoctum ficuum, paſſularum, ſyrupus capillorum veneris, violaceus; adde linimenta anodyna, et, ſi vrgeant ſymptomata, aliquot ſanguinis vnciae e brachio extrahendae, cruor extractus erit ſero multo circumdatus, cum thrombo tamen coriaceo ſuperne concauo, ſubluteo, duriuſ-

culo: (*Mortonus* copioſam vult phlebotomiam, ligatura vero venae tuſae ſit arcta, ne cruor elabatur, quod phthiſicis familiare eſt, et inde ſublatum etiam intra Chirurgi manus vidi nobilem virum phthiſicum, qui amiſſa vix ſemilibra cruoris ſenſim exſtillantis, nulla arte a morte eripi potuit;) ſedata febri ante, quam diaetae lacteae reſtituatur aeger, lenis catharſis adhibenda demum erit.

9. *Peripneumonia exanthematica; Peripneumonia a variola Morton* de Variol. cap. 7. p. 64, *Sydenham* pag. 122; *Peripneumónia a rubeola* ſeu *poſt morbillos Sydenham* Sect. IV. cap. 5; *Peripneumonia a miliari Allioni* de morbo miliarium §. 99. 206. pag. 109. 57. [*Stoll* l. c. T. I. p. 40 ſq. *ab eryſipelate Stoerck.* ann. med. I. p. 101. *a petechiis Huxh.* op. T. I. p. 231. *Strack* l. c. pag. 16.]

A viru morbi cuiuſdam exanthematici vel repreſſi, vel non libere ad cutim irruentis, pendet.

In *miliari* peripneumonia praeter ſymptomata miliaris, ſudores acidos aſſiduos cum pulſu, celeri, contracto, accedunt ſymptomata peripneumonica, laterum dolores mobiles et fugaces, ſputum ex parte, vel ex toto, cruentum vel flauum, dein ſudores profuſi, et dolore imminuto, exanthemata miliaria erumpunt; vrinae, vrgente lateris dolore, rubrae ſunt, inſtante eruptione aqueae euadunt; quandoque delirium ſuperuenit peripneumoniae, puſtulis exortis, ſedandum.

Si tertio, quartoue, die ſputa biliofa, vel fuliginoſa, ad quintam diem perſeuerent cito cum delirio, catarrho ſuffocatiuo accedente, pulſu reddito inaequali, intermittente, breui pereunt eadem fere die, omnis doloris expertes; haec peripneumonia in ſuppuratum non abit, eryſipelatoſa eſt; niſi blande reſoluatur, ſphacelum promte inducit. Timenda eſt praematura ante ſextum diem miliaris eruptio.

In hac peripneumonia et pleuritide miliari cito et liberaliter mittendus eſt ſanguis et attenuandus; diluentia et emollientia requiruntur; mitioribus acidis venenum eſt corrigendum, praeſertim rob ſambuci: antiphlogiſtica etiam indicantur, vt nitrum, taraxacum, cichorii, ſonchi ſuccus; ſi immineat ſphacelus pulmonis, adhibeantur flores papaueris rhoeados, ſambuci, camphora cum nitro, oxymel.

In peripneumonia, quae *morbillos* excipit, quae plures iugulat, quam ipſa variola, potiſſimum praeſidium eſt in phlebotomia.

Quoad *varioloſam*, quae vndecima die, cum exſiccatur facies in confluentibus, ſuperuenit, vide *Freind* de febri ſecundaria.

10. *Peripneumonia hydrophobica*, Journal Encyclopédique tom. I. 3.

11. *Peripneumonia gaſtrica*, D. Barthes Praelection. Monſpel. An gaſtritis ſterno-coſtalis?

Eſt ea peripneumoniae ſiccae ſpecies, quae ſub gaſtritidis perſona ludit, et ſecto cadauere, ſanus ſtomachus, pulmo inflammatus, vel purulentus, repertus eſt.

Dolor acutus, infra cartilaginem xiphoideam, regione ventriculi circumſcriptus, hypochondria dolentia et tenſa, inanis tuſſis, ſanguis, pluries e vena extractus; floridus; ſecto cadauere, nullum vitium in ſtomacho, hepar mole adauctum, inteſtina gracilia, liuida, pulmones contracti, magnis abſceſſibus et tuberculis ſuppuratis farcti, in ſero natantes, veſicae vrinariae parietes pollicem craſſi; ante hunc morbum aeger febri lenta laborabat et dolore ſpinae dorſalis.

12. *Peripneumonia rachialgica* Doazam D. M. Monſpel.

Ab eodem principio pendet, quo colica metallica; quaeque ſine phlebotomia, praemiſſis decoctis lignorum ſudorificorum, curatur emeticis, dupla doſi aſſumptis et catharticis, vti curari ſolet in Noſocomio Charitatis Pariſienſis ipſa Rachialgia metallica.

[13. *Peripneumonia neruoſa.*

a. *maligna.* *Quarin* infl. p. 112.

b. *torpida:* ſimulata. *Huxham* T. 2. p. 87.

c. *irritabilis.* Chronica, hyſterica.

14. *Peripneumonia ſeptica.* *Sauv.* ſp. 2 et 4. *Huxham* T. I. p. 324 ſq. 327. 333. T. 2. p. 63. 170 ſq. 190 ſq. *Quarin* infl. p. 109 ſq. *Calliſen* in act. Havn. vol. I. p. 74. amphimerina vel tritaeophya ſtipatur. Poſt frigus, horrorem, die 1. 2. tuſſis, dolor, vel potius grauitas maior, anhelatio aeſtuans, ſaepe ſyncope, ſuſpirium frequens: lingua, atro muco obducta, vel ſicca et praerubra, colori granati cort. aemula, arida, liueſcens, pulſus celeres, exiles, contracti, molles, inaequales, vacillantes, vrina cruda, tenuis, ſubinde lactea, parca, turbida, ſubnigra: ephidroſis frigida: ſputa ſanioſa, nigra, foetida.

15. *Peripneumonia catarrhoſa, bilioſa. Wagler* l. c. p. 19. *Stoll.* T. 2. p. 317 ſq. 340. 344. T. 3. p. 43. 117. *Backer* de catarrho. Comm. Lipſ. vol. XIV. p. 142.

16. *Peripneumonia verminoſa.* v. d. *Boſch* l. c. p. 261. 269. Journ. de med. 1767. p. 436.

17. *Peripneum. purulenta.*

a. *acuta primaria. Sarcone* de m. epid. §. 197.

Aliquot horas poſt doloris initium ſputa puriformia copioſa ſub pyrexia periodica, reiiciuntur.

b. *ſecundaria Sauv. phthiſ.* ſp. 6. *acuta.*

Aliarum pediſequa, vt iisdem non reſolutis die 14. 16. ſuccedat.

α. *pneumophthoica Stoll* l. c. T. 3. p. 94.

Ab vſu roborantium in pneumophthoë, ſub conſtitutione inflammatoria, hieme.

18. *Peripneum. ſeroſa.*

a. *catarrhalis Sauv.* ſp. 6. et orthopnoea ſp. 21.

b. *rheumatica, periodica.*

α. *alia Sarcone.* l. c. §. 224 ſq.

Tritaea duplex aut amphimerina hemitritaeus, cum paroxyſmo horrore ſtipato, peripneumonia, noua adaucta: ſputa flaua, ſanguine tincta: lingua multo albo muco tecta, vrina lateritia, aluus facilis, ordinata, ſanguis denſus; pulſus initio parui, debiles, ſub calore fortes, pleni, ad finem ordinati. Salus a ſuppreſſis paroxyſmis kinkina, poſt phlebotomiam, catartica cet.

β. *altera Sarcone.* §. 239 ſq.

Horroris expers, dolores rheumatici artuum, aliarumque partium, tum pectoris, in acme paroxyſmi dolores pectoris fixi et grauatiui, thymos, ſcreatusue muci ſpumeſcentis cruenti, decubitus moleſtus: cum remiſſione febris peripneumoniae eadem. Die 2. febris cum pulſu pleno, duriori, calore genarum, ephidroſi. Dolores vagi die 3. febris in acme, ſeptim. 1. aut 2. agrypnia et paraphroſyne erat ſtipata, atypica fere. Lingua muco albo tecta, ad latera et apicem inflammata. Finis die 9. 14. 21. Sputa non critica, potius vrina, aluus, ſudor.

γ. ab angina tracheali.

c. *lactea. Deleurye* pag. 344. Sputa pituitoſa, cruenta.

d. *pituitoſa* v. lethargum.

19. *Peripneumonia ſcorbutica. Huxham* op. T. I. p. 234. *Lind.* p. 154. 173. ſputa purulenta, foetida.

20. *Peripneumonia ſcabioſa.* Hamb. Abh. v. *Giſcke.* pag. 310.

21. *Peripneumonia atrabilaria.' notha Grant.* l. c. pag. 435 ſq.

Symptomata fere bilioſae, chronicae, reſpiratio etiam ſibiloſa, raucedo, citra dolorem topicum thymos, dein anacatharſis mucoſa, tenax, ſputa albida, deinde flaua, diluta, pyrexia interdum intermittens, pulſus parui, molles, congeſtiones ad caput, apoplexiam minantes. Anacatharſis critica ad 40 dies durans.

22. *Peripneumonia lithica. Morton* phthiſ. c. 6. *Morgagni* de ſed.

23. *Peripneum. ſarcomatica.*

a. *a polypo. Morgagni* l. c.
Maxime poſt labores.

b. a corde aucto. Phil. Tranſ. p. LII. p. 1. p. 344.

24. *Peripn. ſcrophuloſa. Schmuck.* chir. Schr. T. I. p. 299. a ſcirrhoſa glandula thyreoidea, multum aucta et pulmones comprimente.

25. *Peripneum. ſymptom.*

a. *grauidarum.* A labore; partus etiam.

b. *puerperarum.* Pertinet ad ſpecies varias.

c. *infantum diſſimulata.* Comm. Lipſ. vol. VII. p. 318.

XXIII. HEPATITIS *Galeni* I. Epid. Comm. 3; *Febris icteriodes Galeni* Iſagoge 146; *Febris typhodes Foreſti* libr. I. Obſ. 39; *Inflammatio hepatis Sennerti* libr. 3. Sect. 1; *Inflammation du foye; la Piéce.* Aegri *Hepatici Caſtelli* Lex.

Phlegmaſia eſt acuta, cuius praecipua ſymptomata ſunt tenſio dolorifica hypochondrii dextri ſub coſtis ſpuriis, cum ſenſu ardoris, grauitatis, dyſpnoea, tuſſi ſicca, faciei colore flaueſcente, ſiti, anorexia, et ſaepius ſingultu et vomitu.

Definitur a *Galeno* phlegmone hepatis; verum rectius definiuntur morbi a ſymptomatibus, quam a ſede latente. In ſcholis definitur per tumorem hypochondrii dextri, calore magno et febri continua ſtipatum, cui vtplurimum ſingultus et vomitus adiunguntur. Sed cum pars hepatis poſtica, imo intima, tantum

inflammatur, tenſio ad ſummum, minime vero ignoti voluminis augmentum, ſeu tumor, diiudicari poteſt.

Saepius erramus in hepatitide dignoſcenda; verum haec praecipua ſigna ſunt; 1° grauitas in dextro hypochondrio, ab hepatis diſtenſione oriunda; vnde difficilis in alterutrum latus deuolutio ac decubitus; 2° dolor, vel grauatiuus, vel tenſiuus, circa coſtas ſpurias, pleuritidem mentiens, imo ad iugulum extenſus, deorſum tracto mediaſtino; 3° febris amphimerina vel noctu ingrauescens cum pulſu duro, ſi extima hepatis membrana inflammetur, ſecus minor febris, pulſuſque minus tenſus; 4° dyſpnoea cum tuſſi, ſaepius ſicca.

Cetera ſymptomata ſpeciebus diuerſis tantum propria ſunt, vt thymos, pulſus durus, inaequalis, cibi faſtidium, ſitis intenſa, lingua rubra, dein nigreſcens, auriginoſus color, vrina rubra, flammea, alui adſtrictio, cet.

1. *Hepatitis eryſipelatoſa*; vide *Amati Luſitani* centur. I. curat. 28. pag. 169; *Hepatitis a bile Ionſtoni* id. vniu. medic. *Bilioſa*, *Bontii* de Med. Indor.

Mulier quadragenaria maior acuta febri affligebatur, ſiti intenſiſſima cum linguae ariditate et nigredine cruciabatur, ſtomachi ſubuerſionem maximam abſque vomitu patiebatur, et circa iecinoris regionem querebatur; totam noctem inſomnem tranſigebat, cibum non guſtabat, ſed auidiſſime gelidam bibebat; cum ſupra iecur manum admouerem, magnam inibi percipiebam caliditatem, et aegrotans dolorem, de quo potiſſimum conquerebatur; nullus tamen ibi erat tumor, aut inflatio aliqua.

Eryſipelas iecoris his ſignis denotari contendit *Amatus*, et merito, cum fuerit eius inflammatio ſine ſenſibili voluminis augmento; partem vero hepatis, quae ventriculo contigua eſt, magis affici crediderim ex defectu tuſſis, dyſpnoeae, ſeu affectionum pectoris et praeſertim ob affectionem ventriculi, vt docet experientia; ergo inflammata erat potiſſimum pars hepatis concaua.

2. *Hepatitis pleuritica*; *Suſpirium irruptum Pauli Aeginetae*; vide *Amati* Cent. IV. Cur. I; *Durant* Journ. de Med. May 1757. pag. 377.

Ab inflammata parte gibba hepatis procedit, dignoſciturque ex eo, quod praeter dolorem et tumorem hypochondrii tactu exaſperatum, adeſt tuſſis et dyſpnoea, non tamen ita graues; ſicut nec ipſa febris ita vehemens, vti in vera pleuritide, pro qua ta-

men non raro habetur in praxi, exempla proſtant a *Galeno*, quae videre eſt apud *Zacutum Luſitanum* lib. 2. Med. princip. hiſtor. 101, et loco citato: praeterea aderat ſputum cruentum. Diſtinguitur tamen a pleuritide dextri lateris imam partem afficiente dolore punctorio mitiori, quandoque nullo, tum exſpiratione facili, quae in pleuritide eſt difficilis, vti et inſpiratio, nec non tuſſi ſaepius arida et mitiori.

Diſtinguitur a colica et ab hepatalgia per febrim acutam, tuſſim et dyſpnoeam, morbique totius acutiem.

Vrinae in hac ſpecie dicuntur aquoſae, non flauae. Vtut genae rubeant in vigore morbi, cutis flaueſcit non raro.

3. *Hepatitis muſcularis Ettmuller.* de inflammat. hepatis p. 291. *Bonet.* Sepulchr. Obſ. 29.

Muſculorum abdominis inflammationi debetur haec ſpecies, et inde compreſſo, quandoque etiam ab eadem cauſſa concuſſo hepati; certum porro eſt, pluries erraſſe Medicos, qui hunc morbum hepatis inflammationi tribuerunt, vt patet ex *Valleriolae* libr. 4. obſeru. 5. *Bartholini* centur. 2. epiſtola 45.

Dignoſcitur contactu cutis, pulſatione tumoris, eius circumſcriptione, quandoque vltra hepatis limites et ſupra coſtas extenſi, abſentia tuſſis, dyſpnoeae, vomitionis, ſingultus. Similem morbum a graui huius partis contuſione ortum pro hepatitide habitum cum cadaueris apertura vide in *Boneti* Sepulchret. Tom. 2. p. 311. obſ. 29: abſceſſus erat pugni magnitudine.

4. *Hepatitis cyſtica*; vide *Boneti* Sepulchret. obſeruat. 10, Tom. 2. pag. 303.

Veram hepatitidem referebat, in qua ita contuſa fuerat cyſtis fellea, vt rupturam pateretur, quod citra grauem huius dolorem et phlogoſin fieri non potuit; bilis effuſa fuit; aeger intra quatriduum obiit; ex ſimplici vulnere cyſtidis huius exſurgit tympanitis obſeruante *Alex. Stwart in Philoſoph. Transact.* Sed ex graui proiectione corporis contra ſcamnum, puer, de quo hic agitur, debuit inflammationem ſimul cum ruptura cyſtidis experiri.

5. *Hepatitis obſcura Ionſtoni* Idea vniu. medic. *Spuria Bartholin.* obſ. 73.

A tuberculis, furunculisue hepatis pendet, vel ab vlcere, vomica fouetur, vel a calculis tum cyſtidis felleae, tum hepatis excitatur, ſed ita exiguis ſtipata ſymptomatibus, vt pyrexia ſit vel nulla, vel fugax, vel lenta, ſeu hectica; vel ſi febris adſit, dolor

exiguus ſit, renitentiaue, aut tumor, deficiant, vel ab hepatis inflatione, duritie, pendeant; vel demum tantummodo ſit phlogoſis hepatis, quam intemperiei calidae nomine Veteres deſignant; ea vero ſpecies inter hepatitidem et hepatalgiam vlceroſam, ſcirrhoſam, cet. ambigit, haſque varietates diſtinguere in viuis valde arduum eſt.

6. *Hepatitis ſuppurans; Febris typhoides Foreſti* obſ. 37. libr. I. *Durand* Journ. de Med. Mai 1757. pag. 377. inciſione ſanata.

Eſt morbus ſecundarius, hepatitidem veram ſubſequens, ab hepatitide exquiſita diſtinctus, ex eo, quod veluti eius recidiua ſit, et in longum tempus protrahatur, atque in purulentiam hepar abeat cum febri initio acuta; nam cum ſuppuratio inſtituitur, febris intenſior videtur, noctu exacerbatur, et facto pure hectica euadit; interea tumor hypochondrii maior, mollior, dolor conſtans, ſitis vrget, lingua ſicca et aſpera eſt, aeger macie notabili in dies creſcente abſumitur cum calore acri; tum vel ſuperuenit hepatirrhoea, vel rupto introrſum abſceſſu aſcites purulentus, vel extrorſum a Chirurgo abſceſſus aperitur, et ſi pus album, laudabile, effluat, ſpes eſt ſanationis; ſi amurcoſum, bilioſum, immedicabile malum eſt. Vide etiam *Morand Mem. de l'Acad. de Chir. T.* 2.

[7. *Hepatitis neruoſa.*

a. *periodica.* E. N. C. dec. 3. a. 4. p. 186. *Sarcone* l. c. §. 265 ſq.

Sub frigore hepatitis: poſt inſultum criſis imperfecta per ſputa et aluum: tuſſis mediocris, ſputa copioſa, faciliora. Salus a kinkina, audacter propinata, quamuis ſubſequens paroxyſmus fortior ſit praecedenti, deinde ſoluentibus.

8. *Hepat. ſeptica. Foreſt.* l. 16. obſ. 46. *Selle* pyr. p. 185. *Bang* in n. act. Havn. vol. I. p. 97.

Latet ſaepe, an ſimplex febris putrida, an cum hepatitide praeſto ſit; preſſorius enim et obtuſus cardiae dolor cum aliis putridae ſignis incertam diagnoſin praebent. Solum ex incremento doloris poſt emeticum, ex ſanguine phlogiſtico, et vrinae ſaturato colore, ictero que maius lumen accenditur, niſi et febris phlogiſticae ſimul indolis ſit.

9. *Hepat. choleſeptica. Moultrie* l. c. *Wienholt* infl. occ. pag. 16. *Selle* pyr. p. 235. *Fincke* l. c. p. 127.

10. *Hepatitis bilioſa.* *Wienbolt* infl. occ. p. 18. 20. *van Swieten* T. 3. pag. 86. 125. *Selle* pyr. pag. 218. Huc et *Sauv.* ſp. 1.

a. *diſſimulata.* *Bianchi* hiſt. hep. T. I. p. 234. *Sauv.* pleuritis ſp. 12 ſq.

α. *partis epigaſtricae.* *Ferrein* l. c.

11. *Hepatitis verminoſa.* Med. obſ. and. inq. vol. I. p. 68. Dolores hypochondrii dextri, acus ictui ſimiles, cum doloribus ſcapulae alternantes a taenia ventriculi.

12. *Hepatitis vera.*

a. *lobi hypochondriaci dextri.*

α. *partis conuexae.* *Sauv.* ſp. 2.

β. *partis concauae.* *v. Swieten* T. 3. p. 83. *Selle* pyr. pag. 126.

γ. *cyſtidis felleae.* *Sauv.* ſp. 4.

b. *lobi epigaſtrici.* *Ferrein* l. c.

A catameniis inſtantibus, aut ſuppreſſis.

13. *Hepatitis ſuppuratoria, apoſtematoſa.* *Hepatophthoë.* *Sauv.* hepat. ſp. 5 et 6. *hepatalgia* ſp. 7. *tetartophya* ſp. 6. *phthiſis* ſp. 15. *aurigo* ſp. 7. Hiſt. morb. Vratisl. *hectica hepatica.* a. 1700. p. 214. Mem. de l'ac. de chir. T. 2. et t. 4. p. 105 ſq. *Haller* op. path. obſ. 37. h. i. Phil. Tranſ. vol. 56. p. 92. *Lentin.* mem. pag. 107. *Acrel* chir. Vorf. p. 359. 361. *v. Swieten* T. 3. pag. 106 ſq. *Sarcone* l. c. *Bang* in nov. act. Havn. vol. I. p. 107.

Hepatis phlegmaſiae, tuberculorum, vomicarum, hepatolithiaſis, cyſthepatolithiaſis comes et pediſequa.

Dolor hypochondrii dextri, citra renitentiam et tumorem, exiguus, grauatiuus, compreſſiuus, pulſatilis; alias hepatalgia atrox, ad viciniam et pectus delata, tribus a paſtu horis maxime recrudeſcens. Reſpiratio anheloſa, anorexia et nauſea inſuperabilis, flauedo cutis ſaepe pruriginoſa (aurigo pruriens), vrina intenſe flaua, rubra, coloris etiam brunnei, vt caffée, craſſa. Deiectiones iam nimium durae, iam liquidae et ſpumoſae, hepatirrhoea: Symptomata phthiſeos, aſcitis, et hic vere purulentus, niſi pus arte educatur, dolores cruris, aut ſurae, in primis dextrae, intolerabiles, conſtantes. Dolor hypochondrii pulſatilis creſcit, dum pus formatur: *abſceſſus* cognoſcitur ex fluctuatione in medio hypoch. dextro, ſenſim creſcente loco, *marginibus*, hypochondrio dextro et epigaſtrio, reſiſtentibus.

Apoſtema aut totum hepar depaſcitur, et foras pus emittit, *aut* effunditur pus, *vel* in abdomen, *vel* in inteſtina, *vel* per diaphragma et pulmones, exeſa tranſit, *vel* reſorbetur.

a. *in parte conuexa. Serapion.* op. pr. tr. 4. c. 2. pag. 276. Dolor maior ex anhelitu, ad partes externas, tuſſis vehementior: empyema, pneumophthoë ſimulata.

b. *in parte concaua. Serapion* l. m. c. Anorexia, nauſea, vomitus biliofus, ſitis vehemens, diarrhoea, hepatirrhoea.

c. *cyſtidis felleae.* Journ. de med. T. X. p. 432. Hiſt. de l'ac. des ſc. 1759. *Sabatier* l. c. p. 74.

α. *metaſtatica. I. Bohn.* de vuln. let. p. 201. *Morgagni* ep. LI. n. 15 — 23. LII. 9. 15. 16. A metaſtaſi puris ex vulnere capitis.

β. *apoſtatica. Bertrandi* in Mem. de l'ac. de chir. T. 3. pag. 485.

A pyogenia, per vulnus capitis, excitata in hepate, depoſito pure, non metaſtatice congeſto, repetit *Bertrandi.* Vomitus bilis viridis, paraphroſyne, conuulſiones, ſanguinis ex ore, oculis, auribus, effluxus, genarum tumor, iugulorum palpitatio, hypochondriorum conuulſio, aut in comatoſis, ſtupidis, delirantibus iugula toment et liuent, et hypochondria intenſa dolent. Abſceſſus hepatis profundi, ſaepe diſſimulati: a phlebotomia etiam geniti: ictero teſtante.

γ. *diſſimulata.*

1. *pneumophthoën ſimulans. Muzell* obſ. T. 2. c. 1.

2. *empyema ſimulans. Haller* op. min. T. 3. p. 319.

δ. *ſimulata.*

1. *aneuryſma pectoris Haller* l. m. c. p. 320.

2. *tumores* a bile cyſtica retenta. Mem. de l'ac. des ſc. de Par. 1734. 1740. 1743. 1745. *Petit* tr. de mal. chir. T. I. p. 239 ſq.

14. *Hepatitis ſeroſa.*

a. *aquoſa.* Comes et pediſequa aſcitis.

15. *Hepatitis venerea.*

Scleryſma hepatis (*Aſtruc.* l. c. l. 4. c. 3. §. 9. n. 3.) huius exiſtentiam euincit.

16. *Hepatitis atrabilaria.* v. noſolog. hepatemphr. in Suppl.

17. *Hepatitis lithica.* v. noſolog. hepatolith. in Supplem.

a. *cyſtica. Sabatier* l. c. p. 74.

Signa cyſticae: calculi ſub tactu tumoris hypochondrii dextri agnoſcuntur.

18. *Hepatitis ſarcomatica.* *Morgagni* ep. XXXVI. n. 18. cf. et Phyſconiam.

Hepatis moles ingens ad 14. libras et vltra, chronicam hepatidem, hepatis infarctum, innuit. Tumor hypoch. dextri, dolor grauatiuus, inappetentia, polydipſia, vomitio billioſa, rel.

19. *Hepatitis ſcirrhoſa.* v. Syſt. aegr. T. I. p. 261.

20. *Hepatitis toxica.*

1. *aeruginoſa.* *Scheuchzer* iter alpin. vol. I. p. 12.

Ex vino, butyro, lacte in vaſis aeneis, aeruginoſis, contentis.

21. *Hepatitis Petitia* Mem. de l'ac. de chir. T. I. vid. aſcit. ſplanchnodem.

22. *Hepatitis diſſimulata.* vid. al. ſpec. et Syſt. aegr. T. 2. p. 455. cf. et hepatalgiam.]

XXIV. Splenitis. *Lienis inflammatio Sennert.* libr. 8. part. 4. cap. 5. *Dolor hypochondrii ſiniſtri, et ſplenitis* Plateri. *Inflammation de la Rate.*

Eſt phlegmaſia, cuius praecipua ſymptomata ſunt tumor in hypochondrio ſiniſtro, lienis molem et figuram referens, aut locum occupans, cum renitentia, dolore tactum non tolerante, calore, et pyrexia vtplurimum remittente.

Diſtinguitur a nephritide ſiniſtri renis, quod tumor in ſplenitide magis extrorſum protuberet, quod altiorem locum obſideat, quod pulſatili dolore ſtipetur, quod hominem medium quaſi cingat, dolore obſcuriore notetur; pyrexia praeterea eſt quarto quoque die vtplurimum exacerbans, pedes et genua rubent, nares et aures quandoque palleſcunt; adde reſpirandi difficultatem, et abſentiam ſymptomatum nephriticorum, vt dyſuriae, retractionis teſtis, cet.

1. *Splenitis phlegmonodea.* [*Morgagni* ep. XXXIV. n. 21.]

Cognoſcitur ex tumore lienis, vtplurimum, locum, figuram retinente; dolore, calore, et pulſatione eiuſdem, cum febri acuta, cibi faſtidio, ſiti, decubitu ſupra latus ſiniſtrum difficili.

Curatur eodem modo, ac hepatitis; de quibus conſulatur *Riverius*; verum ita rarus eſt hic affectus vt praeter *Foreſtum*, qui bis

hunc ſe obſeruaſſe refert, nec deſcribit, neminem nouerim, qui eius exiſtentiam teſtetur.

[2. *Splenitis neruoſa, irritabilis*, ſaepius occurrit.

3. *Splenitis ſuppuratoria. Sauv.* ſplenalg. ſp. 3. et pleur. ſp. 19. C. *Stalp.* v. d. *Wiel* c. 1. hect. ſplenet. *hiſt. morb. Vratisl.* 1700. p. 215. v. *Swieten* §. 958.

Anxietas cum moeſtitie et moroſitate, color corporis et faciei luridus, et ſubliuidus, pedis ſiniſtri intumeſcentia dura, cum dolore contuſorio. Aliquando ſimulat pleuritidem.

4. *Splenitis ſeroſa.* Aſcitis comes, auctor et pediſequa.

5. *Splenitis venerea.* *Scleryſma lienis Aſtruc.* l. c. l. 4. §. 9. n. 3.

6. *Splenitis ſarcomatica.* *Morgagni* ep. XXXVI. a. 18. v. phyſcon.

7. *Splenitis ſcirrhoſa.* v. Suppl. et noſol. Syſt. aegr. T. I. pag. 262.

8. *Splenitis traumatica.* Non rara, etiam ſpontanea, quaſi a rixu, nixu, ſplenis ruptura. vid. ſcript. chir. et medic. publ. ſ. for. cf. eti. ſplenalg.

XXV. NEPHRITIS, *Renum inflammatio Sennerti* libr. 3. part. 7. ſect. 1. cap. 8. *Phlegmone renum* Proſp. Alpini. *Nephritis* Helmontii. *Inflammation des Reins, Nephretique.* Aegri *Nephritici.*

Eſt phlegmaſia acuta dolore lumbari e regione renis, vrinae ardore, mictione frequenti et pyrexia ſtipata, quandoque etiam vomitione, cruris ſtupore, cet.

Differt a lumbagine inflammatoria, quod aeger antrorſum flexus erigat truncum ſine notabili dolore, in lumbagine cum atroci; quod in nephritide ſit dolor, vreterum iter ſequens, dyſuria, vrina, quoad colorem valde mutata, non vero in lumbagine: In nephralgia nulla pyrexia eſt, vnde a nephritide diſcrepat.

Differt ab enteritide, quod dolor raro ad exteriora referatur, in enteritide et ſplenitide ſaepe ad anteriora, ſeu ad abdomen; a colica per febrem acutam et dolorem in rene fixum, et viarum vrinariarum affectus, excepro, quod in colica etiam iſchuria accedit.

1. *Nephritis vera.*

Eſt ea, quae a febre ortum ducit, non vero in qua febris dolori ſuperuenit, ob calculum commotum; in vera ſcilicet non adſunt cruris ſtupor, teſtiſque retractio; quae adſunt in calculoſa; de cetero febris nunc vehemens et ardens, nunc mediocris cum pulſu parum duro; renum, aut renis alterutrius, dolor grauatiuus, diſtendens, aut pungitiuus, qui reſpondet infra tertiam coſtam ab ima numerando, et tres tranſuerſos digitos a ſpina dorſali; accedit ſitis, anxietas, peruigilium, nauſea, et vomitio; reiiciuntur ſtatim contenta in ſtomacho, dein bilis; vtrum reiiciuntur materies, vrinam redolentes, valde dubito, nec experimentum in cane captum ligatis vaſis renalibus hoc mihi umquam oſtendit; aluus eſt conſtipata, vrina flammea, ardens, quandoque cruenta, in vigore morbi quandoque ſuppreſſa.

Curatur repetitis phlebotomiis, ptiſana leniente ex infuſo florum maluae, violae, radicum althaeae; veſpere emulſiones narcoticae, imo ad dolorem ſedandum laudanum ſolidum interdiu praeſcribantur; clyſmata ex caſſia et foliorum maluae decocto iniiciantur addito oleo, vel aeger ex decocto caſſiae purgatus balneum ingrediatur tepidum; purgatio autem parari poteſt ex vnciis duabus pulpae caſſiae, florum maluae et violarum, pug. I. bulliant in ſeri lactis, vel aquae pulli, libra vna; fiat potio pro duabus doſibus.

Vix poteſt autem purgari, niſi repetitis ter, vel quater, in die phlebotomiis dolor ſubleuatus fuerit; balneum vero iterabitur; imo ſi nulla ſit ſuſpicio ſaburrae in primis viis, tempeſtaſque ſit calida, ante balneandum eſt, quam ad catharſim deuenias. Si vero febris ſaburram primarum viarum pro principio, aut fomite, habeat, vt ſi lingua ſit ſordida, ſapor prauus in ore, morbus ab horrore inceperit, vix balnea in morbo conueniunt, etiam poſt catharſim; e contra vero ſi ab equitatione, itineratione, calore ſummo, vigiliis, liquoribus ardentibus ortum duxit, ſine ſignis ſaburrae, in bilioſo, aeſtiuo tempore, phlebotomiae et balnea ſunt ſumma praeſidia.

2. *Nephritis calculoſa Carol. Piſon.* de morbis a colluuie feroſa. *Sauv.* nephralg. ſp. I.

Dignoſcitur a nephritide vera; 1° dolore acutiori, a calculo per exercitium, ite: in rheda, commoto, pertinacius reuertente, in interuallis grauatiuo; 2° vrina cruenta, quandoque arenuloſa;

mucoſa; 3°. ſtupore cruris eiuſdem lateris; 4°. teſtis retractione, dolore etiam vreteris ductum ſequente; 5° nauſea et vomitione.

Principium morbificum eſt calculus veſicae, vel lapillus craſſior commotus, e ſede aſſueta dimotus, et premens, vellicans renem, vreterem, vbi concurrit plethora, haemorrhoidum ſuppreſſio, arthriticae materiae metaſtaſis ad renes, error in diaeta, gymnaſticaue admiſſus, vſus diureticorum, praeſertim calidorum.

Curatur in paroxyſmo eodem modo, ac vera nephritis, eo diſcrimine, quod paucioribus phlebotomiis opus ſit; aſt balneatio etiam bis in die repetita antea neceſſaria ſit, quam aeger fuerit purgatus, cum ſaburra primarum viarum incuſanda non eſt, ſed calculi commotio; ptiſanae lenientes ex ſeminibus lini, floribus maluae; oleum amygdalarum dulcium, potus nitrati, emulſiones et narcotica, nec non clyſmata ex aqua fontana conueniunt. Si exiguas arenulas rubras aeger mingere conſueuerit, quod ſenibus nephralgicis eſt familiare, nec grandiores calculos ſuſpicemur, tunc leniſſima diuretica, imo lithontriptica leuia, praeſcribi poſſunt ſub ſpe eiiciendae arenulae; ſi vero maiorem calculum reni impactum ſuſpicemur, ab omni diuretico abſtinendum eſt.

Ad pellendas arenulas valent ptiſanae ex ſucco limonum cum paucis parietariae foliis infuſis, iulapia ex decocto foliorum parietariae, oleo amygdalarum et laudano, infuſa foliorum herniariae, decoctum corticis radicum calcitrapae, fructuum cynorrhodonis cet.

Quomodo nephritis differat ab pſoadis phlegmone vide in *lumbagine pſoadica.*

Si nephritis renem dextrum afficiat, non raro dolor magis deorſum et ad anteriora refertur, quaſi circa caecum.

3. *Nephritis arthritica* Fr. Hoffm. T. 3. De Meyſerey tom. 2. n. 374.

Eſt varietas calculoſae, in qua per ſinapiſmos et lauipedia calida materies morbifica ad pedes eſt reuocanda, non neglectis generalibus auxiliis.

De Phlegmone pancreatis vide *Vomitum.*

De Phlegmone capſularum atrabilarium vide *Nephralgiam.*

4. *Nephritis irritabilis, periodica* in hyſtericis, narcoticis cedit.

5. *Nephritis purulenta. Nephropyuſis. Sauv.* nephralg. ſp 7. et tabes ſp. 2. pyuria ſp. 1. haematuria ſp. 4. iſcuria ſp. 8 et 16

Boneti Sep. obſ. 23. cont. obſ. 14. hectica nephrit. hiſt. morb. Vratisl. p. 216. E. N. C. dec. 1. a. 1679. obſ. 182. *Mangeti* bibl. m. pr. T. 4. pag. 993. *Sennert.* l. 3. c. 11. 12. Journ. de med. Avr. 1761. p. 353. Sept. 1762. p. 247. Comm. Bonon. T. 5. p. 2. p. 139. *Lautter* hiſt. morb. b. p. 15. *Wittichii* conſ. med. 51. p. 361.

Poſt nephritidem aliam, haematuriam, vomitum pituitoſum, grauitas continua in lumbo alterutro, cruris ſtupor, pyrexia atypica, lenta, macies inſignis, interdum lumborum tumor fluctuans, (caue autem hunc a lotio retento in vreteribus confundas) hepatophthoë ſimulata, thymos, haemoptyſis, melaena, pyuria, ſeu excretio vrinae craſſae, coloris griſei, flaueſcentis, odoris mephitici, ad fundum vaſis deponentis materiam craſſam, tenacem, flocculentam, veluti lacteam, imo ſubſtantiam ipſius renis diſſolutam, atrorubram, filamentis viſcoſis conſpicuam, haematuria, iſchuria.

α. metaſtatica. *Muzell* Obſ. T. 2. n. 4.

Pneumophthoën ſimulans ad peritonaeum pertinuiſſe viſa. Cf. etiam maxime nephralgiam, quorſum plures ſpecies duco.

ICONVM EXPLICATIO.

Tab. XI. pertinet ad pag. 181. ſq.

XII. ſiſtit ſanguinem alienatum.

F. 1. 3. 4. corium pleuriticum, et quidem 3. 4. denſius ex robuſto, ſeu phlegmaſiae acrioris teſtimonium Fig. 1. ex corpore debili, magis lymphaticum, aquoſum, vt *pituitoſae cruſtae* imaginem ſiſtat.

2. ſimul cruorem, ſero innatantem, ſubputridum, ſiſtit.

XIII. variolas exponit.

Fig. 1 — 11. 26 — 31 ſolitarias, non confluentes, cum diſco, ſepto, inciſas puſtulas, modo humore aquoſo repletas.

24. 32. 33. pure repletas, confluentes, vt tranſitum a prioribus faciant n. 33. not.

18. 19. 20. 23. quae ſuppuratione maturant.

13. 22. magis etiam, vtque, n. 13. ſiniſtrorſum depictae, ſint deſtructae manu inquieta, n. 22. maturae exſiccationi propiores.

n. 25. puſtulae mali moris; ſubliuidae.

XIV. Fig. 1. 2. rubeolae, caſu fortuito, vi liquoris artificis, nimis fere ſeparatae, ſeu ad viſum ſublatae; quarum Fig. 2. ſiſtat magis ſic dictas *Ritteln.*

3. ſcarlatinae exemplum, quod aegre exhiberi poteſt.

4. vrticariae, aliud.

In his colorem, ſaepius viuidiorem, lucidiorem, concipias animo, vt tamen et hunc videas.

Tab. XV. Fig. 1. petechias ſiſtit variae indolis!

2. miliarem rubram albam, vt tamen rubra colore, leuiori fuiſſet notanda.

3. pemphigum.

Vtinam non diſpliceat periculum, imagine imitatum me eſſe naturae vitia.

Non nulli, ſi viſum fuerit, icones ſe carere facile poſſe, mercator librarius, qui ſumtus operis facit, leuiori pretio Sauvageſii laborem, vult, ſuſcipiant.

Fig. 1.




Fig. 2.





Fig. 3.



Tab. XII.

Fig 1.



Fig. 2.




Fig 3.






Fig 4.




Tab. XIII.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20
21.
22
23
24.
25
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33
34.

Tab. XIV.

Fig. 1.



Fig. 2.





Fig. 3.



Fig. 4.



Tab. XV.

Fig. 1.



Fig. 2.




Fig. 3.

